Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Over dit boek

Dit is een digitale kopie van een boek dat al generaties lang op bibliotheekplanken heeft gestaan, maar nu zorgvuldig is gescand door Google. Dat doen we omdat we alle boeken ter wereld online beschikbaar willen maken.

Dit boek is zo oud dat het auteursrecht erop is verlopen, zodat het boek nu deel uitmaakt van het publieke domein. Een boek dat tot het publieke domein behoort, is een boek dat nooit onder het auteursrecht is gevallen, of waarvan de wettelijke auteursrechttermijn is verlopen. Het kan per land verschillen of een boek tot het publieke domein behoort. Boeken in het publieke domein zijn een stem uit het verleden. Ze vormen een bron van geschiedenis, cultuur en kennis die anders moeilijk te verkrijgen zou zijn.

Aantekeningen, opmerkingen en andere kanttekeningen die in het origineel stonden, worden weergegeven in dit bestand, als herinnering aan de lange reis die het boek heeft gemaakt van uitgever naar bibliotheek, en uiteindelijk naar u.

Richtlijnen voor gebruik

Google werkt samen met bibliotheken om materiaal uit het publieke domein te digitaliseren, zodat het voor iedereen beschikbaar wordt. Boeken uit het publieke domein behoren toe aan het publiek; wij bewaren ze alleen. Dit is echter een kostbaar proces. Om deze dienst te kunnen blijven leveren, hebben we maatregelen genomen om misbruik door commerciële partijen te voorkomen, zoals het plaatsen van technische beperkingen op automatisch zoeken.

Verder vragen we u het volgende:

+ *Gebruik de bestanden alleen voor niet-commerciële doeleinden* We hebben Zoeken naar boeken met Google ontworpen voor gebruik door individuen. We vragen u deze bestanden alleen te gebruiken voor persoonlijke en niet-commerciële doeleinden.

+ *Voer geen geautomatiseerde zoekopdrachten uit* Stuur geen geautomatiseerde zoekopdrachten naar het systeem van Google. Als u onderzoek doet naar computervertalingen, optische tekenherkenning of andere wetenschapsgebieden waarbij u toegang nodig heeft tot grote hoeveelheden tekst, kunt u contact met ons opnemen. We raden u aan hiervoor materiaal uit het publieke domein te gebruiken, en kunnen u misschien hiermee van dienst zijn.

+ *Laat de eigendomsverklaring staan* Het "watermerk" van Google dat u onder aan elk bestand ziet, dient om mensen informatie over het project te geven, en ze te helpen extra materiaal te vinden met Zoeken naar boeken met Google. Verwijder dit watermerk niet.

+ *Houd u aan de wet* Wat u ook doet, houd er rekening mee dat u er zelf verantwoordelijk voor bent dat alles wat u doet legaal is. U kunt er niet van uitgaan dat wanneer een werk beschikbaar lijkt te zijn voor het publieke domein in de Verenigde Staten, het ook publiek domein is voor gebruikers in andere landen. Of er nog auteursrecht op een boek rust, verschilt per land. We kunnen u niet vertellen wat u in uw geval met een bepaald boek mag doen. Neem niet zomaar aan dat u een boek overal ter wereld op allerlei manieren kunt gebruiken, wanneer het eenmaal in Zoeken naar boeken met Google staat. De wettelijke aansprakelijkheid voor auteursrechten is behoorlijk streng.

Informatie over Zoeken naar boeken met Google

Het doel van Google is om alle informatie wereldwijd toegankelijk en bruikbaar te maken. Zoeken naar boeken met Google helpt lezers boeken uit allerlei landen te ontdekken, en helpt auteurs en uitgevers om een nieuw leespubliek te bereiken. U kunt de volledige tekst van dit boek doorzoeken op het web via http://books.google.com



VERHANDELINGEN,

RAAKENDE DEN

NATUURLYKEN EN *GEOPENBAARDEN*

GODSDIENST,

UITGEGEEVEN DOOR

TEYLER'S

GODGELEERD GENOOTSCHAP.

XXV. DEEL.

NEW YORK PUBLIC

TE HAARLEM
by J. VAN WALRÉ en COMP.
MDCCCXIV.

TE HAARLEM,
Gedrukt bij JOH. ENSCHEDÉ en ZOONEN.



ANTWOORD

OP DE

VRAAG:

ZIJN ER VOLDOENDE REDENEN OM SOMMIGE VERHALEN UIT D GEWIJDE GESCHIEDENIS ALS *MYTHEN*, LEERZAME VERDICHTSELEN OF ZINNEBEELDIGE VOORSTELLEN OP TE VATTEN? — ZOO JA: KAN ECHTER ZULKE EENE WIJZE VAN UITLEGGING GEENE AANLEIDING GEVEN OM HET GEZAG EN DE ACHTBAARHEID DER HEILIGE SCHRIFTEN AAN HET WANKELEN TE BRENGEN? — EN: WELKE ZIJN DE REGELEN EN WETTEN, DIE MEN ZOU BEHOOREN IN HET OOG TE HOUDEN OM DAT GEVAAR TE VOORKOMEN?

DOOR

JOANNES HENRICUS PAREAU,

THEOL. DOCTOR, HOOGLEERAAR IN DE OOSTERSCHE TALEN EN GEWYDE OUDHEDEN EN GEWOON LEERAAR DER WALSCHE GEMEENTE TE UTRECHT, LID VAN ONDERSCHEIDENE GELEERDE GENOOTSCHAPPEN enz. enz.

Wien daarop de GOUDEN EERPENNING is toegewezen door BESTUURDEREN VAN TEYLER'S STICHTING EN LEDEN VAN HET GODGELEERD GENOOTSCHAP.

Oorſpronkelijk in het Latijn geſchreven en alzoo bekroond, en vervolgens op last van het Genootſchap *in het Hollandsch vertaald en bijgevoegd.*

DISPUTATIO

DE

RATIONUM, QUAE MYTHICAM LIBRORUM SACRORUM INTERPRETATIONEM SUADEANT, MOMENTO AC PONDERE,

AUCTORE

JOANNE HENRICO PAREAU,

THEOL. DOCT. L.L. O.O. ET ANTIQ. SACR. PROFESS. etc. etc.

DISPUTATIONIS

de Mythica Sacri Codicis Interpretatione Conſpectus.

PROLEGOMENA . . . . . Pag. 1

Cap. I. De Mythi vocabulo Mythorumque ſignificatione ac diverſitate generatim. . . . . — 2

§. 1. De Mythi vocabulo hujusque notione. . . . . — —

§. 2. De Mythorum definitione ac generibus variis. . . . . — 4

§. 3. De diverſa Mythos tractandi ratione a diverſis inſtituta. — 8

§. 4. De discrimine, quod inter Mythos est et inter Allegorias ac Fabulas morales. . . . . — 9

Cap. II. De Mythorum diverſitate, qui in ſacris Libris contineantur, ac Mythicae horum interpretationis ratione ac varietate. . . . . Pag. 11

§. 1. De Sacri Codicis Parabolis atque Allegoriis ad Mythos non referendis. . . . . — —

§. 2. De variis Mythorum generibus, qui in Sacro Codice reperiantur. . . . . — 13

§. 3. De praecipuis Mythicae interpretationis diverſitatibus. . — 15

§. 4. De ſingulari ejusdem ratione a nonnullis ſuscepta. . . — 16

§. 5. De inſtituendae Disputationis modo rerumque pertractandarum distributione. . . . . — 20

DISPUTATIONIS

de Mythica Sacri Codicis Interpretatione.

PARS PRIOR.

De generali ac primario argumento, quo Mythici Sacrorum Librorum interpretes utuntur, ex Mythorum uſu, qui apud quasvis gentes antiquas obtinuerit, eorumque ſimilitudine cum Hebraicis petito. . . . . — 21

Cap. I. De ratione quam habeat Mythorum usus, qui ubique in philosophiae atque Historiae primordiis adfuisse dicitur. Pag. 24
§. 1. De eo, quod in modo, quo hac de re disputatur, minus probandum videtur. . . . . — —
§. 2. De ipsius philosophiae initiis apud priscas gentes. . . — 29
§. 3. De historiae apud easdem initiis. . . . . — 34
Cap. II. De jure, quo ex generali, qui antiquis gentibus quibuscumque adscribitur, Mythorum usu conficiatur, eumdem apud Hebraeos etiam omnino obtinuisse. . . . — 39
§. 1. De Mythis Hebraeorum historicis. . . . . — —
§. 2. De Mythis eorum philosophicis. . . . . — 43
§. 3. De Mythis eorum etymologicis. . . . . — 46
§. 4. De Mythis eorum poëticis. . . . . — 47
§. 5. De aliis formis interpretationis Mythicae. . . . . — 48
Cap. III. De exterorum et Hebraicorum Mythorum similitudine probabiliter dijudicanda. . . . . — 51
§. 1. De similitudine, quae sit Hebraeorum inter et aliarum gentium figmenta poëtica. . . . . — —
§. 2. De nonnullis S. C. relationibus historicis et similibus exterorum Mythis poëticis, haud recte inter se comparatis. . . . . — 53
§. 3. De continua quadam Mythorum serie, apud Hebraeos non reperienda. . . . . — 54
§. 4. De puriore unius Dei doctrina in Scriptis Sacris tradita, quae praecipuum Mythologiae cum polytheismi superstitione conjunctissimae fontem sibi penitus intercluserit. . . . . — 55
§. 5. De apparitionibus Dei et Angelorum, non propter aliarum gentium Theophanias Mythorum loco habendis. — 62
§. 6. De notabili, quod est inter Hebraicos et inter exteros mythos secum invicem comparatos, discrimine in longe majori, quod in illis conspicitur, argumenti consiliique praestantia posito. . . . . — 66
§. 7. De similium qui Hebraeis aeque ac aliis gentibus attribuuntur, Mythorum ratione in universum ac propius considerata. . . . . — 68

DIS-

DISPUTATIONIS

de Mythica Codicis Sacri Interpretatione.

PARS ALTERA.

De ſubſidiariis argumentis, pro Mythica Sacri Codicis interpretatione afferri ſolitis. . . . . Pag. 79

Cap. I. De Mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praeſidio, quod quaeritur in horum relationibus hiſtoricis, diu demum post eventum perſcriptis. . . . . — —

§. 1. De modo, quo rerum, in Sacris Libris relatarum perſcriptio ad recentiorum aetatem refertur. . . . . — 80

§. 2. De generalibus momentis, quae vetant hiſtorias S. C. a meris incertisque traditionibus repetere. . . . . — 81

§. 3. De rationibus graviſſimis, quae Pentateuchum Moſi vindicant auctori. . . . . — 84

§. 4. De Geneſeos libro, ex optimae fidei documentis hiſtoricis compoſito. . . . . — 89

§. 5. De ceteris V. T. libris hiſtoricis, eorumque hiſtorica auctoritate. . . . . — 93

§. 6. De Scriptis hiſtoricis N. T., minime ad aetatem rebus ipſis relatis multo recentiorem referendis. . . . . — 98

Cap. II. De Mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praeſidio, quod quaeritur in antiquiſſimo loquendi uſu Mythico, quem ſermonis indoles et magna rerum cauſſarumque naturalium ignoratio pepererint. . . . . — 103

§. 1. De ipſius hujus praeſidii modo ac ratione. . . . . — —

§. 2. De prima fabularum origine cum polytheismo conjunctiſſima, et ex eo potius praecipue repetenda, quam ex prisci ſermonis indole et cauſſarum ignoratione. . . — 104

§. 3. De vi, quam apud Hebraeos habuerit prisci ſermonis indoles. . . . . — 108

§. 4. De vi, quam apud eosdem habuerit cauſſarum ignoratio. . . . . — 115

§. 5.

§. 5. De magna Orientalium ad res sermone exaggerandas et prodigiorum in modum exornandas propensione, ex qua ad Mythicam Librorum Sacrorum interpretationem frustra quoddam praesidium petatur. . . . . Pag. 125

Cap. III. De Mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praesidio, quod quaeritur in eorum dignitate per hanc ipsam tuenda. . . . . — 131

§. 1. De modo, quo Mythica interpretatio ad tuendam Librorum Sacrorum dignitatem commendatur. . . . . — —

§. 2. De Mythica interpretatione, non illos utilitatis fructus, quos promittit, producente. . . . . — 132

§. 3. De Mythicae interpretationis studio Librorum Sacrorum auctoritati historicae et divinae cum ipsorum, tum doctrinarum maxime in iis comprehensarum origini adverso. — 136

§. 4. De periculo, quod a Mythica S. C. interpretatione, utcumque circumscripta, metuendum sit. . . . . — 147

§. 5. De legibus, quarum observatio melius consulat Librorum Sacrorum auctoritati ac dignitati, quam Mythica interpretatio. . . . . — 150

PRO-

PROLEGOMENA.

Tametsi quae ab aliquo inde tempore in Germania exstitit celebratissima de Mythis, qui in Sacro Codice reperiantur, sententia, ita in solo suo natali viget, ut eorum numerus augeatur in dies, qui eam studiose alant excolantque: haud inutilem tamen operam insumsisse censendi estis, Viri spectatissimi, quod rem ipsam, permultis confectam visam, publice disceptandam exhibuistis, atque adeo eam etiam nunc in quaestione positam esse judicastis. Enimvero nos Belgae novarum opinionum specie non mox capi nos patimur, ac lentius in genere agi tardioresque esse solemus, quam vicini Germani. Neque mythica illa ratio nostratibus in universum probatur: quamquam haud plane desunt, qui ab ea se minime ostendant alienos. Certe, nulla a Vobis in re Theologica proponi potuit quaestio, ad communem exspectationem opportunior, nulla ad temporum sacrorumque studiorum conditionem accommodatior, immo vero gravior nulla cumque reverentia sanctis praestantissimae Religionis fontibus debita conjunctior. Prolegomena

Atque hujus Librorum Sacrorum dignitatis sensus uti Vos jam. A. 1807 ad eam proponendam excitavit, ita vero magnum mihi vires meas in eadem disceptanda experiundi amorem movit, simul ac ad meam notitiam pervenerat. Sed comprimebant mox hunc amorem et cohibebant penitus multarum occupationum molestiae: quibus cum nimis diu obrutus, ab eoque, quod mente volverem, distractus fuissem, exoptatum tandem advenit otium, nec tamen ejusmodi illud, quod alacris animi laborem votis concederet. Nihilominus vero rem diligenter mecum coepi perpendere, quaestionis ambitum attente lustrare, diversas argumenti, quod contineret, partes curiose recensere, eorumque adeo, quae pertractanda viderentur, summas ad justum quemdam ordinem redigere, ac nonnulla colligere denique, quae usu ventura esse sperarem. Verum haec quo magis agebam, eo etiam animadvertebam magis, temporis a Vobis praestituti partem, quae mihi superesset, vix sufficere ad rem tanti ponderis vel leviter ac perfunctorie a me tractandam, nedum ita tractandam, uti ejus dignitas atque amplitudo meo judicio postularent. Quapropter satius ducebam inchoatum laborem abrumpere et ab instituto desistere: quod eo potius faciendum putavi, quo minus debitabam fore, qui in suis de illa quaestione disputationibus sic versarentur, suam ut operam Vobis probarent judicibus, ipsamque rem in ea luce collocarent, quae et Vestris, Viri pru-

Prolegomena. dentisſimi, qui magnam erga Sacros Libros reverentiam merito profitemini, et aliorum etiam, quibus ſimilis est animus, votis conſentanea esſet. At vero, cum hoc tantum abesſet ut evenirēt, ut contra eamdem quaestionem iterum proponendam esſe arbitraremini, pristinum rei amorem renasci apud me percepi: etſi tamen eorum, quorum conatus Vestrae ſpei non plane respondisſent, exemplum haud parum habere quod abſterreret, mihi ipſe nequaquam disſimulavi. Enimvero, quandoquidem non exiguo de Religione bene merendi amore trahi, me et ad tentandam, quam in Librorum, qui eam divinitus tradant, honorem aq decus ſuscipi voluistis, disputationem impelli ſentiebam, idcirco, etiamſi mihi non tam contingeret esſe felici, ut Vobis ſatisfacerem, meo tamen officio, quantum per virium mediocritatem liceret, ſatisfacturus mihi videbar.

Prius autem quam illud, *de quo inquiri voluistis*, aggrediar, non aegre feretis, credo, Viri honoratisſimi, ſi de Mythi vocabulo ac Mythicae interpretationis indole paulo enucleatius expoſuero, et huic rei aliquam disputationis partem Introductionis inſtar impendero. Nimirum et meretur id loco exponi idoneo, tinoque conſpectu in antecesſum exhiberi; non Vestri quidem cauſa, ſed aliorum, quibus hoc vel minus perſpectum vel paene incognitum ſit, ac vulgi adeo cauſa, ſi forte haec mea ſcriptio Vobis haud indigna videatur, quae ad publicam notitiam perveniat: et oportet fere, ut, niſi vaga ſit atque inconcinna de re quacumque disputatio, antea definiatur, quae ſit res de qua disputetur, quam quid de ea judicandum ſit, probabiliter edisſeratur, utque vocabuli etiam, ſi novum ſit aut certe recentius in quaslibet linguas introductum, vis atque uſus aperiantur: et Vosmet denique ipſi, cum breviter vocabuli ſignificationem tetigeritis in quaestione propoſita, vel voluisſe, vel ſaltem cupiisſe videmini, ut qui de hac disputarent, cum denominationis, tum rei ipſius rationem minime intactam relinquerent.

CAPUT PRIUS.

De Mythi vocabulo Mythorumque ſignificatione ac diverſitate generatim.

§. 1.

1. Vocabulum *Mythi* non Latinum esſe, ſed Graecum vix opus est ut moneamus. Verbum μύθω vel μύζω, a ſimpliciori ſive primitivo μύω derivatum, proprie ſignificat *claudere*, *comprimere*, et hinc *obſcuros quosdam ac ſubmiſſos*

sonos clausis compressisque labiis edere. Est Latinum *musso* et *mussito.* Inde igitur, sive a μύθω, est μύθος, *mussitatio*, deinde *colloquium*, quod *verbis submissioribus* fiat, et generalius *sermo*, *verbum*: unde μυθέομαι, *colloquor*, *eloquor*, *narro*, et μυθίζω vel μυθίζομαι, ejusdem fere significationis. Atque ille nominis usus est antiquissimus, obtinetque apud Homerum: sed recentiore usu dicitur de sermone, quo quid ita narratur, quasi revera acciderit, cum tamen sive universe, seu partim confictum sit; quo usu respondet Latinum vocabulum *fabulae*, a *fando* dictae. *Eustathius* ad Homeri Iliad. A. vs. 25. monet: ὅτι μύθον ἀεὶ ὁ Ποιητὴς ἁπλῶς τὸν λόγον φησὶ· τὸ δὲ ἐπὶ ψευδοῦς λόγου τεθῆναι αὐτὸν, τῶν ὑστέρων ἐστι· *semper μῦθον a Poëta vocari simpliciter sermonem; sed recentiorum scriptorum proprium esse ut illud de fabulari sermone usurpent:* et interjectis nonnullis haec notat in eamdem sententiam, παρὰ τοῖς ὕστερον ὁ μὲν μῦθος εἰς ψευδολογίαν ἐρρίπτεται· ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῆς ὁσημέραι ἀνθρωπίνης ὁμιλίας τίθεται. *Apud posteriores aetatis homines vocabulum quidem μῦθος translatum est ad fabulosas narrationes, sed λόγος de quotidiano sermone usurpatur.*

2. Ipsum itaque illud Graecum vocabulum μῦθος nostra demum aetata in linguam non Latinam modo (1), sed Germanicam quoque, et inde in alias linguas Europaeas traduci coeptum est. Quod partim quidem attribuere licet simili cuidam usui recentius itidem recepto in Germania, ex quo haud pauci propria Graecorum nomina Graeco potius quam Latino more efferre assueverunt; ut dicerent E. C., *Zeus*, *Poseidon*, *Odysseus*, non vero *Jupiter*, *Neptunus*, *Ulysses*; partim vero inde repetere decet, quod cum μύθου significatio latius patere videretur quam *fabulae*, illud ad rem quam vellent aptius judicarent; partim denique cuidam adscribere possumus metui, ne, usurpato et ad Sacros etiam nostros Libros adhibito *fabularum* nomine, rem ipsam apud vulgus in invidiam adducerent. Certe, qui primus veram Mythologiae notionem definire studuit, celeberrimus *Heynius* (2), ne hoc quidem *mythologiae* vocabulum satis existimabat idoneum esse, optabatque adeo, immo auctor erat, ut ab eo omnino abstinerent qui de erudita antiquitate acturi essent. „ Cum enim, inquit, ejus notio revocata esset [illegible] *ad* [illegible]

(1). *Mythi* nomen, quamquam ut *fabulae* synonymum, jam usurpatum vidi a *Millio* in Oratione *de fabulis Orientalium*, pag. 62., quae ejus *dissertationibus selectis* ad calcem subjecta est. Quid? quod *Ausonius*, *Parental.* L. II. sive *Commemor. Profess. Burdigal.* Carm. 21. *mythos plasmata*, assumtis duobus vocabulis Graecis, dixit pro *fabularum fictionibus.* Sed vocabulum quondam extra compositionem usu rarissimum erat, suaque significatione a *fabula* non diversum.

(2). Fecit hoc praesertim in commentatione quae inscribitur: *Temporum mythicorum memoria a corruptelis nonnullis vindicata*, quae est in *Comment. Gotting.* T. VIII.

Prolegom. C. I. §. 2. rationem inciriae potius eorum, qui vocabulorum notionem accurate constituere neglexerint, quam ipsi rei attribuendam esse. Itaque ipse sibi videtur accommodate ad vulgarem loquendi usum mythos sic definite posse, „ut sint partim pervetustae antiquae gentium narrationes, quae convenienter cum cogitandi ac narrandi modo prisci aevi proprio ad miraculi formam confectae sint ac veram historiam antecesserint, et quae adeo ex iis exstiterint temporibus, quibus aequales scriptores historici non adessent, ac prosa scribendi ratio necdum esset in usu, partim vero etiam antiquas eiusmodi gentium descriptiones sive historicas, seu ad historiarum similitudinem comparatae, quibus eas praesertim res, quae in sensus non caderent, proposuerint."

2. Quid in his definitionibus cum singulis, tum inter se collatis iure merito improbari queat, concinnitatis praesertim ac perspicuitatis habita ratione, ad hoc exsequendum nolim tempus insumere. Idoneo autem loco animadvertatur, quam pridem apud mythi eo, quo vidimus, modo descripti in recentioribus V. T. libris, immo etiam in N. T. ta. Baluero aliisque quam plurimis quaerantur. — Verumtamen haud ita facile una quadam eaque et plane perspicua et omnino concinna definitione comprehendi, quidquid mythorum vocabulo significetur, minime diffiteor. Quamobrem, cum maxime recepta sit mythorum distributio, ex qua sint historici, philosophici, mixti, et poetici, hos quasi distinctas eorum classes singulatim ac breviter lustrabimus, quo melius eorum rationem describamus.

Mythi igitur *historici* dicuntur relationes de eventis rebusque gestis antiquissimae, ante inventam scribendi artem aut ipsam saltem historiarum perscriptionem ore propagatae, variisque modis ex prisco cogitandi et loquendi more auctae atque exornatae. Scilicet, cum apud priscas gentes ea, quae maxime memorabilia judicarentur, ore prius propagata sint, quam inventus esset usus ea scriptis consignandi, statuitur, horum historiam pro infantili, quae dicitur aevi ratione, qua et sensus haberet vividiores sermonemque imperfectiorem, et ad res exaggerandas mirisque coloribus inficiendas pronum ac proclive esset, ita fuisse narratam, pleraque continuas ac diuturnas traditiones ita deinceps mutatam, ut jam fabularum quidem speciem prae se ferant, sed quaedam iis omnino subsit veritas, ab externa illa, quae in solo relationis modo consistat, specie probe secernenda, ab imaginumque, sub quibus quodammodo lateat, involucro expedienda. Ex quo mythorum genere non opus est ut hoc loco exempla illustrandi caussa proferamus, cum eorum ratio per se satis intelligatur.

Alterum *Mythorum* genus est eorum qui *philosophici* vocantur, et quibus nomen quoque tribuitur *Philosophematum*. Intelligimus peculiaque de rebus ab-

fruitioribus earumve causis opiniones, quae a vulgi sapientioribus propefitae (1) Proclus in Tim. Lib. I. Cap. I. §. 22
fide sint, et plerumque in historiae formam prolatae. Summum nimirum, antiquissimis jam temporibus fuisse, qui unde hic mundus adspectabilis esset et quam haberet originem, quo homines modo existitissent, et quae esset malorum causa quibus premerentur, aut si quae alia essent hujusmodi, indagare et explicare studerent, quique, cum remota sua aetas abstractarum notionum parum capax esset, istas suas opiniones historiae cujusdam forma comprehensas vulgi quasi sensibus subjicerent. Huc ergo referuntur praesertim formati mundi terraeve descriptiones, quae apud Indos, Graecos aliasve gentes habentur, ut et opiniones ac doctrinae nonnullae vetustissimae de hominum statu post hanc vitam.

Porro qui *Mythi* ex utroque genere, quod breviter descripsimus, aliquid continere censentur, atque adeo partim historici, partim vero philosophici esse, *mixti* vocantur. Ponitur nimirum accidisse interdum, ut quaedam, a philosophis conficta et in historiae speciem conversa, historiae veritatis aliquod haberent fundamentum, cui ista figmenta inniterentur. Ita philosophicum aureae aetatis et aetatum subsecutarum commentum originem fortasse duxerit ex traditionibus historicis de vitae simplicitate Graecorum primaeva paulatim mutata (1). Huc etiam pertineant quae partim vere acciderint, partim ex etymologia exstiterint. Ita, quod de Deucalione ejusque uxore Pyrrha, solis ex memorabili quodam diluvio superstitibus, magnoque hominum per lapidum jactum ab iis procreatorum numero narratur, eatenus quidem verum sit, quod hi post ejusmodi diluvium ingentem habuerint prosapiam, sed modus, quo id acciderit, commentum censeatur etymologicum, ut λαὸς *gens* a λίθος *lapis* derivatum sit (2).

Denique *Mythi poetici* vocari possunt et narrationes antiquiores, quae mythorum, historicorum, philosophicorum et mixtorum nomine designantur, poetarum figmentis primum in modum amplificatae atque exornatae, et opiniones quaedam populares aut doctrinae sapientum nonnullae, quas *philosophemata* etiam vocabulo significantur, a poetis itidem suo more elaboratae, et nova quaedam denique poetarum de rebus quibuscunque commenta, quorum ratio magis in auctorum facultate imaginandi, quam in ipsarum rerum natura quaerenda sit. Ex cujusmodi generis latissime patentis prima specie exempli hic proferre non opus videtur. Ex media specie exemplum popularis quidem opinionis sit Inferorum regio ex cadaverum humatione, qualis praesertim in Aegypto fiebat, efficta, doctrinae

ve-

(1). *Schelling* Ueber Mythen, historische Sagen und Philosopheme der ältesten Welt, p. 21. in *Pauli* ephemeridibus, quas inscripsit *memorabilien*. P. V.

(2). *Hyginus* ad *Apollod. Biblioth.* I. 7. 2. p. 85.

Prolegom. C. I. §. 2, 3. vero ſapientum, Virgilianum illud, quo dogma quoddam Platonicum de animis humanis post diuturnam purgationem in alia corpora immiſſis ornatur (1). Ex postrema ſpecie ſunt, Aurora, quae currui inſidens Solem per coelos rapide vectum praecedit perpetuo, Venti ab Aeolo carcere inclusi pro ejusque arbitrio laxati: et quae alia ſunt plura hujusmodi.

§. 3.

Haec erant quae de variis mythorum generibus in antecesſum notanda videbantur: qua in deſcriptione praecipue partim *Bauerum*, ac partim *Meyerum* ſecuti ſumus auctores. Sed brevi quodam excurſu haud ſupervacaneum est ut moneamus, ex Heynii ſchola prodiisſe, qui de antiquiſſimis mythis, quamquam diverſa ratione, inquirerent: quales fuerunt *Hermannus*, *Wagnerus*, *Kannius*.

Et *Hermannus* quidem Graecam dumtaxat mythologiam enarravit, ipſamque magiſtri ſui tradidit doctrinam uberius illustratam et amplificatam (2).

Wagnerus vero (3) univerſam prisci aevi mythologiam complexus est, ſed mythos ad ſolas religiones antiquiſſimas ſpectare cenſuit, iisque adeo comprehendi quidquid apud varias gentes vetustas opinionum, ſive cogitationum ad religionem pertinentium mera ſit repraeſentatio ſub ſenſus revocata, earumque involucrum ſymbolicum (4). Idem autem, quod notabile est, a mythorum contagione ſolos exemtos eſſe cupit Semitas, ſive Hebraeos, apud quos pura religionis ratio ipſam historiae rationem puram conſervaverit, ut, ſi ullibi in antiquitate veri nominis historia ſit, haec ibi omnino reperiatur (5): Solam enim horum religionem ſe ipſam penitus à mythis cum tempore liberaſſe dicit (6), ceterarum vero gentium vetuſtiſſimas hiſtorias nihil continere niſi relationes, ab hiſtoricorum vulgo perperam intellectas, de priſcis religionibus earumque forma externa, aut hujus ipſius formae deſcriptiones, quam temporum gentiumque vanitas condiderit adornaveritque, religione ipſa amiſſa (7): fuiſſe vero primitivam religionem mere contemplativam (8), omniumque religionum atque omnis philoſophiae natale ſolum Indiam eſſe, et quidquid mythici in toto orbe reperiatur, id omne hinc per traditionem veniſſe, ab aliis gentibus receptum et a ſingulis ad ſuam indolem accommodatum (9).

Quod

(1). *Aeneid.* VI. 703 ſqq.

(2). *Hermann's Handbuch der Mythologie.* Berlin und Stettin, 1800. III. voll.

(3). *Wagner's Ideen zu einer allgemeine Mythologie der alten Welt.* Frankf. am Mein. 1808.

(4). p. 85. – (5). p. 71. – (6). p. 85. coll. p. 297. – (7). p. 5. – (8). p. 40, 41. – (9). p. 184.

Quod denique ad *Kannium* attinet, hic partim quidem eamdem inſtituit viam, quam Wagnerus, partim vero multum diverſam (1). Hiſtoriam enim tunc demum incepiſſe dicit, cum rerumpublicarum conſtitutio aliarumque cum aliis relationes praecipuam hominum curam postularent: anterioris autem temporis eventa, quae parum curarentur, mox e memoria excidiſſe, ſed omnem curam in iis ab interitu vindicandis et perſcribendis poſitam fuiſſe, quae ſancta haberentur; qualia eſſent Deorum hiſtoriae, calendaria, horoscopi, doctrina moralis, et leges denique Deorum nomine latae, quae omnia arte ſcribendi tamquam ſacrario quodam, quod Deum aliquem habuerit inventorem, ſive literis Alphabeti, tamquam mythica Deorum repraeſentatione continerentur: ita vero integra effluxiſſe ſecula eventorum plena, quae posteritati ignota manſerint, ac nihil adeo hiſtorici ineſſe in fabulis ſive Graecorum, ſeu aliarum gentium quarumcumque, omnesque Patriarchas, Judices, Prophetas fuiſſe Deos; primam nimirum hiſtoriam non hominum eſſe ſed Deorum, quos mythus in homines transformaſſet, ac nobis remanſiſſe duntaxat historiam internae hominum conditionis, ſive cogitationum, ſenſorum animi ac figmentorum, quae habuerint: ceterum totius harum rerum traditionis ſummam conſiſtere in Religione contemplativa, ſive in ſancta doctrina Philoſophemate comprehenſa, ex quo natura ſit Divinitatis corpus, Numen vero anima mundi: quam quidem doctrinam, mythi tegumento involutam, India conſervaverit puriſſimam, ſed cujus tamen imagines vel longiſſime expreſſae apud varias gentes etiamnunc mirum in modum ſuo exemplari ſimiles conſpiciantur (2). Jam vero, cum *Kantii* doctrina de duabus contemplationis formis, ſpatio ac tempore, ipſi generis humani infantiae adſcribenda ſit Kannio judice, cumque adeo ſub his formis priſci Divinitatem contemplarentur (3): ideo quaecumque fabuloſa, hiſtorica, geographica, astronomica in remota antiquitate reperiantur, ea ad temporum notationes revocat, et huc etiam adhibet cum rationes vocabulorum etymologicas, eorumque in linguis quamtumvis ſaepe diverſis ſimilitudinem qualemcumque, tum ipſam literarum figuram. Prolegom. C. I. §. 3, 4.

§. 4.

Priusquam huic Capiti finem imponemus, haud omnino inutile fuerit perpauca notaſſe de diſcrimine, quod inter Mythos eſſe putamus et inter Allegorias atque Fabulas morales.

Est

(1). *Erſte Urkunden der Geſchichte, oder allgemeine Mythologie, von Johan Arnold Kanne, Baireuth*, 1808. II. voll.

(2). Ibid p. 3-14. — (3). p. 22.

Prolegom. Cap. I. §. 4.

Est quaedam enim similitudo inter Allegorias et inter eas fictiones, quas ad postremam Mythorum poëticorum speciem retulimus. Utraeque enim sunt merae rerum repraesentationes, imaginum ope sensibus subjectae. Verum hae poëtarum fere ac sublimioris ornataeque dictionis sunt propriae, illae in prosa etiam ac simplici oratione usurpantur: hae et breves esse possunt et parum aut nihil commune habere cum indole rerum, quas repraesentent; illae contra, cum in continuis translationibus consistant, sunt plerumque longiores, continentque aliquam sive veram seu opinabilem cum rebus, quarum symbolicae imagines sint, convenientiam. Sed ex Mythis philosophicis, sive Philosophematis, esse quoque quibus antiquum *Allegoriarum* vocabulum aeque conveniat, fuerunt qui arbitrarentur: at de hoc alias. Jam notandum est, ad Philosophemata referri etiam a nonnullis eas fictiones, quae *doctrinam aliquam moralem* historico quodam involucro, ad placendum ac persuadendum accommodato, convestitam proponant (1). Recte quidem, quatenus Graecum μῦθος vocabulum Latino *fabulae* respondet: et vero Aesopi fabulae μῦθοι inscribuntur. Sed, ne mythorum, de quibus quaestio est, ambitum nimis late extendamus, praestiterit fere ejusmodi confictas narrationes Mythorum, de quibus disputari voluistis, Viri nobilissimi, numero excludere: ac merito *Meyerus* (2) eas potius dixit παραβολὰς vel ἀπολόγους, earumque tractationem a mythorum sejunxit tractatione. Quid? quod, si Vestram mentem bene ceperim, ne ipsam quidem postremam mythorum poëticorum speciem, quam indicavi, spectastis in quaestione propositа. At, quia *Bauerus* (3) hujusmodi etiam figmenta poëtica *Mythorum* designavit vocabulo, isque in universo hoc argumento auctor habetur primarius, eos non penitus duxi praetermittendos. Enimvero, de quo supra §. 2. querentem audivimus Meyerum, hoc ipse haud sine ingrato quodam sensu animadverti. Nimis vaga est plerumque Mythorum descriptio, ut, quid eo referri velint, quid secus, saepe haereas incertus. Verum, quae tamen fac-

(1). Ita *Schellingius* supra ad §. 2. cit. p. 60., *Hesius* ibid. cit. p. 172. et *Muntinghius in disquisitione de eo quod mythicum est in V. T.* p. 18., quae praefixa est nobilissimo ejus operi *de Biblica culturae humanae historia*, T. V. Atque hic eo nominatim retulit fabulas Aesopicas. Eodem ergo etiam pertineat ficta narratio Menenii Agrippae, quae est apud *Livium* II. 32. de corporis humani membris cum ventre discordantibus: cui similis est fabula Locmani 32., et allegorica quaedam argumentatio Apostoli 1 Corinth. XII. 14 – 26. — Praeiverat *Heynius*, qui in Comment. *de Orig. et Causs. fab. Hom.* p. 50 sq. fuisse jam ante Homerum dicit mythos argumenti *ethici* „ consilio hoc a vatibus priscis inventos, ut sua, tamquam exemplo aliqno, praeceptum sapientiae declararent, seu ipsum praeceptum symbolice proponerent: uti sequior aetas allegorias simili consilio reperit." Ex hoc genere ipsi est *Ate*, vecordia ac stultitia divinitus immissa, Iliad. T. vs. 90 sq., 126 sq.

(2). *Hermeneut. V. T.* I. p. 570.

(3). *Hebr. Mythol.* II. p. 277 sqq.

faeto quodam quasi selectu exhibui, haec proposito satisfacere arbitror. Quamobrem, missis etiam aliis mythorum distinctionibus, levioribus fere nec peculiarem commemorationem postulantibus, videamus jam, quinam mythi in Sacris nostris Libris inesse censeantur, ac mythicae adeo eorum interpretationis rationem variamque pro variis ejus auctoribus indolem exponamus. Prolegom. Cap. II. §. 2.

CAPUT ALTERUM.

De Mythorum diversitate, qui in Sacris Libris contineantur, ac mythicae horum interpretationis ratione ac varietate.

§. 1.

Quandoquidem nec Parabolarum, neque Allegoriarum figmenta ad Mythos referimus, de quibus nobis agendum sit, nequaquam opus videatur aliquam illorum rationem habere in mythicae Librorum Sacrorum interpretationis descriptione. Attamen propter qualemcumque illam, quae ea inter ac mythos intercedat, formae similitudinem modo indicatam, breviter idoneo hoc loco illud notabimus, quod proxime cum nostro instituto conjunctum sit, eaque adeo ab universa nostra disputatione deinceps excludemus.

Reperiri in Codice Sacro et Parabolas et Allegorias uti nemo unquam fuit qui negaret, ita etiam nemo fuit quod sciam, cui justam aliquam crearent offensionem. Etenim, cum ista per Parabolas sive apologos docendi ratio jamdudum in Oriente obtinuerit, atque ad Orientalium ingenium valde sit accommodata, mirum profecto foret, ni ejus exempla exstarent in Sacris nostris Libris, sub Orientali coelo compositis. Et habet ea nihil quidquam nisi quod aptum cumque S. C. dignitate convenientissimum sit. Immo vero habent Apologi, qui in V. T. conservati fuerunt, quales sunt de arboribus regem sibi praefici cupientibus, Judic. IX. 8-15.; de viro divite unam pauperis oviculam dilectissimam sibi rapiente et in cibum hospiti apponendum parente, 2 Sam. XII. 1-14.; de carduo Libani a Libani cedro filiam suo filio in matrimonium petente, sed a feris praetereuntibus conculcato, 2 Reg. XIV. 9.: hujusmodi ergo Parabolae admirabilem habent vim, maximamque ad id, quod earum volebant auctores, auditoribus persuadendum efficacitatem; ne quid dicam de multis illis variisque generis Parabolis, quae in N. T. referuntur, et in quibus nemo fuit, quin divini omniumque praestantissimi doctoris Jesu sapientiam merito suspiceret. Quid? quod duo sunt in V. T. li-

Prolegom. Cap. II. §. 1. libri integri, sive ii, qui *Jobi* et *Jonae* praeferunt nomen, qui multis interpretibus peculiarem quamdam longiorum parabolarum speciem continere videntur. — Et de Jobi quidem libro nullum fere est dubium quin recte ita existimetur. Nam, sive totum ejus argumentum confictum sit, seu potius ex quadam historia partim petitum, certe Parabolae magis quam verae Historiae formam prae se fert: estque omnium idoneorum arbitrorum judicio eximiae praestantiae liber, qui insignem inter Sacros Libros locum obtineat. — Sed de Jonae libro magis anceps est quaestio. Cum tamen vix ac ne vix quidem pro vera haberi queat Historia, maxime probabile videtur, Parabolam esse moralem, cujus hoc consilium fuerit gravissimum ut doceretur, quam iniquum esset Israëlitarum odium, quo exteras gentes prosequerentur, cum harum quoque curam gereret Jehova, utque simul imagine quadam adumbraretur *futura gentium* ad saniorem religionem conversio. Porro veram aliquam putem accidisse historiam, quae ejusmodi parabolae conficiendae opportunam occasionem daret: ut et Ninevitarum studia per ejusdem, qui memoretur 2 Reg. XIV. 25., Jonae sermones ad meliorem mentem conversa fuisse censeantur, et Jonas ipse per triduum tanto cuidam, quanto semet ipse ad mortuos merito referre posse videretur, vitae periculo expositus fuerit in itinere maritimo, sed deinceps vitae quasi redditus sit per divinam benignitatem (1). Denique carmen, quod Cap. II. est, ab ipso Jona in partae hujus salutis memoriam compositum esse arbitror, sed reliquam *libri partem* seriori, quod spiret, aevo a viro quodam *divino confectam*, ut prudentissimae parabolae involucro adhibito in perspicaciorum animos majorem vim haberet.

Quod vero ad Allegorias attinet, quibus nonnihil similitudinis commune sit cum nonnullis, qui vocantur, Mythis poëticis: hae cum omnino merae sint dicendi figurae, Orientalibus praesertim adamatae, in earum usu nihil est a Sacrorum Scriptorum, in primis vero poëticorum, indole alienum. Quae autem apud Prophetas frequentiores sunt Allegoriae longiores, harum quaedam proxime accedunt ad Parabolarum similitudinem. Exempla sunt Jes. V. 1-7. Ezech. XVI. XVII. 3-10. XXIII. 2-34. XXXI. 3-17. — Sed his diutius contemplandis ut immoremur nec postulat nec sinit instituendae disputationis ratio. Quapropter properamus mythos, qui Sacro Codici attribuuntur, in generali quodam conspectu ponere, et praecipuarum, quae de iisdem feruntur, sententiarum varietates enarrare.

1. Ut

(1). Parabolicam verae rei descriptionem ad suum propositum aptissime adhibuit Jesus Matth. XII. 39, 40. XVI. 4., quae vitae restitutionem, triduo post obitum sibi eventuram, perspicua quadam imagine oculis subjiceret popularium suorum. Quem usum verbo notasse sufficerit: pluribus enim eum vindicare ad nostrum institutum non pertinet.

§. 2. Prolegom. Cap. II. §. 2.

2. Ut igitur ab historicis Mythis ordiamur, existimant inesse in C. S. relationes antiquissimas, ore diu propagatas, sed haud uno modo mutatas, ac pro aevi, ad exaggerandum proclivis, ratione auctas, et ad miraculum usque amplificatas, postea vero hac ipsa, quam cum tempore acquirerent, forma literis consignatas: quae adeo mythice exponendae sint, hoc est, ut ipsius facti, quod subsit, veritas suis additamentis atque ornamentis externis exuta proponatur. Itaque, ut uno hic, eoque memorabili, exemplo defungamur; in notissima relatione, quae est Genes. XXII. 1-19., mandatum, quo divinitus jussus sit Abrahamus unicum filium immolare, et qui apparuerit Angelus eumque cohibuerit cum jamjam in eo esset ut mandatum exequeretur: utrumque igitur ad mythum referre oporteat; sed ipsa historia sub hujus mythi involucro latens sic constituatur. Abrahamus superstitiosum nonnullarum gentium vicinarum ritum perpendens, ex quo suos liberos suis immolabant Deastris, incidit aliquando in hanc cogitationem, consentaneum esse fortasis ut summae, qua erga suum Numen Jehovam duceretur, venerationis simile quoddam specimen daret, atque adeo, quem solum ex Sara uxore haberet, carissimum filium huic immolaret. Cum hac cogitatione obdormiens ac de ea, quam sua mente perpetuo agitaret; somnians, hoc somnium, quo ea res sibi tamquam convenientissima obversaretur, ex aevi more habuit pro divino: cumque id quod divinitus sibi injunctum esse opinaretur, exequi vellet, forte arietem vidit, quem ab ipso Numine, sola sua voluntate contento, existimaret suo conspectui oblatum esse filii loco immolandum. — Haec summa est eorum, quae de ista relatione habet *Bauerus* (1), qui Graecum mythum, similem visum, comparavit, quo apud Homerum Iliad. Θ. 245 sqq. Jupiter narratur Agamemnoni de suis copiis ab Hectore fugatis sollicito, aquilam, boni ominis avem, misisse, quae hinnulum unguibus teneret, eumque dejiceret in altare, in quo Jovi sacra fiebant.

2. *Mythos philosophicos*, sive mera ingenii de rerum obscurarum atque abstrusarum origine causisque tentamina, in historiae formam confecta, in quibus adeo nullum verum factum subesse censeatur: ejusmodi ergo Philosophemata, a sapientioribus praesertim excogitata, adesse etiam in C. S. contendunt. Huc referunt creationis descriptionem Mosaicam, qua rerum adspectabilium originem sub sensus revocare et intellectu faciliorem reddere tentaverit humanum ingenium: cujusmodi Cosmogoniae apud alias etiam gentes reperiantur. Ad idem genus pertinere vo-

(1). *Mythol. Hebr.* I. p. 245 sqq.

Prolegom. Cap. II. §. 2.

volunt id, quod Geneſ. III. legitur, hiſtoriae quidem habens ſpeciem, ſed penitus confictum, ut commentum ſit philoſophicum, quo abſtruſum de malorum humanorum origine problema ſolvere quodammodo voluerit curioſa remotae antiquitatis industria, nec plane adeo diſſimile ſit, aut certe eidem ſtudio originem debeat celebratiſſima ista in fabulis Pandorae pyxis, quae, retecto per Epimethei temeritatem operculo, omne malorum genus in homines adhuc fortunatiſſimos effecerit (1).

3. Nec deëſſe in S. S. arbitrantur *Mythos*, ex hiſtorico et philoſophico genere *mixtos*, quibus aliqua quidem ſubſit veritas hiſtorica ſed a ſapiente quodam viro arrepta, ſuisque commentis ornata, quae qualemcumque rei redderent rationem. Ita diluvii Noachici, Deucalioneo illi ſimillimi, deſcriptio Geneſ. VI-VIII. mythus eſſe ſumitur, partim hiſtoricus, quatenus fundamenti loco haberet magnum aliquod diluvium, quo *multi* homines periiſſent, atque una duntaxat familia ſervata eſſet incolumis, ſed cujus hiſtoria traditionibus aucta ſit atque amplificata; partim vero philoſophicus eſſe ponitur mythus, quatenus ſimul explicaret, quid eſſet cauſſae, quod multi perirent nec niſi una ſervaretur familia. Atque ad idem mixtorum mythorum genus a nonnullis refertur narratio, quae de diverſarum linguarum origine est Geneſ. XI., ut acciderit quidem aliquid, quod huic narrationi occaſionem daret, veluti pyramidis cujusdam exſtructio in urbe *Babelis*, at ipſum tamen hujus urbis nomen בבל, a בלל *confundere* derivatum, philoſophema pepererit de linguarum confuſione (2).

4. Admiſſis in S. S. *Mythis* hiſtoricis et philoſophicis atque ex utroque genere mixtis, conſentaneum erat utique ut ſtatueretur, ejusmodi mythos a ſacris etiam Poëtis receptos fuiſſe et *poëtico* more exornatos. Ita tranſitus Israëlitarum per mare rubrum cum mythice narratus, ac mythus adeo hiſtoricus eſſe perhibeatur, poëticum ornatum accepiſſe cenſendus ſit. Exod. XV. Deinde, qui in creationis deſcriptione Moſaica mythus ſumitur philoſophicus, idem, etſi partim duntaxat, exornatus reperiatur Job. XXXVIII. 4-11. Quod vero antiquiſſimum ſit philoſophema de regione mortuorum, huic varia cum tempore augmenta et ornamenta accesſerint apud poëtas Hebraeos. Porro, ſi quis ad mixtum mythorum genus, duce *Bauero* (3), referat multitudinem coturnicum et mannam, quibus veſci contigerit Israëlitis per Arabiae deſerta vagantibus; ut adeo utroque cibo uſi quidem fuerint, ſed non eo, quo narratum ſit, modo miraculi ſpeciem habente ac mythum ſpirante hiſtoricum, utque cibus iste a Moſe per philoſophema Jehovae tributus ſit auctori: hoc igitur qui exiſtimarit, is ſine dubio mixti hujus mythi exor-

(1). *Mythol. Hebr.* I. p. 59 ſqq. et 85 ſqq.

(2). *Bauerus* l. l. p. 219 ſqq. — (3). Ibid. p. 289 ſqq.

rationem poëticam reperiet Pſalm. LXXVIII. 23—28. — Poſtremo Hebraei ſive Sacri poëtae novos confinxiſſe mythos putantur, praeſertim a *Bauero* (1), qui eo refert cum alia plura, tum Auroram alis inſtructam, quibus per aëra volans Solem praecedat, Pſalm CXXXIX. 9, ac Ventos a Deo cellis incluſos, e quibus eos, quando velit, educat, Jerem. X. 13. LI. 16: cui utrique mytho ſimiles e poëtis exteris ſuperiori Capite indicavimus §. 2. ſub finem. Prolegom. C. II. §. 2, 3.

§. 3.

Ex paucis, quae attuli, exemplis ſatis ſuperque pro hujus ſcriptionis inſtituto oſtendiſſe me arbitror, quam rationem univerſe ſequantur mythicae Sacrarum Literarum interpretationis auctores. Nam qui vel maxime in rei ſumma conſentiunt, hos haud raro diſſentire comperi in ejusdem rei uſu ad ſingula loca adhibendo, ut alius hoc, alius alio modo mythum hiſtoricum expediat et ad facti, quod ſub eo lateat, ſimplicitatem reducat, alius hoc, alius aliud attribuat philoſophemati, alius denique haec, alius alia novis adſcribat commentis poëticis. Quas ergo diverſitates leviores ſi exemplis illuſtrare vellem, nimis diu in limine haerere Vobis merito viderer, Viri honoratiſſimi. At veniam dabitis, immo probabitis, ſpero, ſi graviores mythicae istius interpretationis diverſitates ſingulatim, quamquam breviter luſtravero, quo facilius meliusque de ea deinceps judicium fiat.

Itaque ſunt, qui mythos, vel ſaltem mythis ſimiles narrationes, non niſi in vetuſtiſſimis hiſtoriis Sacris, ac libro praeſertim Geneſeos quaerant, veluti *Seilerus* (2): qui etiam praeter mythos hiſtoricos, quibus verus quidam eventus involutus contineatur, admittit theologico-philoſophicos, ſive eosdem, qui aliis Philoſophemata dicuntur, et poëticos, ſive mera figmenta. — Ab eo non plane diſſentit *Muntinghius* noſter (3), qui non ipſas hiſtorias Geneſeos vetuſtiſſimas mythicas eſſe, ſed ſolum, quo narrentur modum pro mythico habendum arbitratur; ceterum praeter Mythos hiſtoricos ita circumſcriptos admittit etiam poëticos, ex antiquiſſimis opinionibus popularibus et priſci ſermonis indole oriundos. — Denique in libello Belgico anonymi auctoris, nuperrime vulgato (4), ex iisdem etiam antiquiſſimis S. C. partibus nonnulli mythi proferuntur cum hiſtorici tum philoſophici ex ſcriptura hieroglyphica et oriundi et explicandi.

Cum

(1). Ibid P. II. p. 277 ſqq.

(2). *Hermeneut Biblica.* Germanico ſermone conſcripta, et in Belgicum converſa, §. 75. et 130 – 138.

(3). In Comment. ad Cap. I. §. 4. allegata.

(4). Geſprekken over de Mythen in den Bybel, Haarlem 1809, p. 93 ſqq.

Prolegom. C. II. §. 3, 4. Cum vero in mythicae illius interpretationis initiis non, nisi in vetustissimae historiae partibus mythi quaererentur, brevi tamen tempore eadem ratio ad omnes fere V. T., immo deinceps ad N. etiam T. Libros adhiberi coepta est a plurimis. Atque hic imprimis nobis memorandi sunt *Meyerus* et *Bauerus*, qui etsi mythis contineri dicunt uterque vetustissimae et historiae et philosophiae reliquias, mythos tamen conquirunt ex omnibus fere V. T. Libris. Bauerus vero, universam Mythologiam Hebraicam complexus, eosdem in N. T. Libris adesse statuit, quos adeo ex his produxit haud paucos: cujus mythologiae censor, cum in *Gableri* Ephemeridibus theologicis (1) oblata occasione inquireret, num in N. etiam T. mythos assumere deceret, hoc non modo fidenter affirmavit decere, sed quoque miratus est, plures N. T. narrationes, quae ex sola mythica ratione lucem acciperent, a Bauero ad mythos non relatas esse.

§. 4.

Atque haec quidem ad generalem quamdam mythicae Sacrorum Librorum interpretationis enarrationem, quam praemittere volebamus, pro nostro instituto sufficerent, nisi fuissent, qui uti sit, ulterius progrederentur: de quibus ergo superest, ut paucis exponamus.

1. Quam novam rationem sequendam duxerit *Kamius*, §. 3. Cap. superioris indicavimus; qui cum sumeret, in prisca Hebraeorum, aeque ac aliarum gentium historia nil contineri vere historici, vetustissimas illius partes componere studuit cum Indica mythologia; cujus adeo symbolicae quaedam sint repraesentationes, non minus quam ipsum, ex quo expressae sint imitando, exemplar ad astronomicas rationes ac temporum calculos revocandae. Hanc in rem cum alias, tum maxime vocabulorum atque etymologiarum similitudines adhibet, quantumvis saepe procul arcessitas. Ex ejus igitur sententia *Abrahamus* est *Brama* Indorum, qui uti centesimo quoque anno moriatur, quo indicetur nova quaedam annorum periodus, sic Abrahamus anno vitae suae centesimo Isaacum procreaverit; cui etiam cum illorum Numen creationem mundi detulerit peragendam, hoc ipsum significetur foedere, quod Jehova cum Abrahamo inierit; et qui cum ad Numen quoddam, ignis symbolum, pro suo domino agnoscendum compulsus fuerit, hinc Abrahamus Deum compellaverit שדי, quod sit *meus destructor* (2). Porro *Josephus*, יוסף Hebraeorum patriarcha quasi *additor*, est Deus Aegyptiorum indigena et tem-

(1). *Gabler's Journal fur auserlesene Theol. Literatur.* T. II. P. I. p. 40–59.
(2). Vid. opus supra allegatum, P. I. p. 121–123.

temporis Numen, Indorum *Ganeſcha* (1). *Benjaminus* בן ימין *filius meridiei*, Prolegom. Cap. II. §. 4. est Hebraeorum Sirius, caloris fidus (2). *Leban* est Deus Lunae, quia לבנה ſit *Luna*, proprie *nitor*, Graecum Λευκοθέα (3); uti לבנון mons *Libanon* est *mons Lunae* (4), et שמשון *Simſon*, *vir ſolaris* a שמש quod *Solem* ſignificat (5). פעור denique, ut alia plura praeteream, ſive Numen Moabiticum, est *Bileamus* ipſe cum aſino loquente, ſive ignis Numen, quia hoc ſit pro פי עיר *os aſini*, unde literis transpoſitis exſtiterit עפרה *Orpheus*, qui Bacchi aſinum loquentem habentis myſteria condiderit (6). — Quousque vero et qua ratione Hebraeorum hiſtoriam ad ejusmodi mythos redigi voluerit Kannius, hoc in duabus, quas edidit, mythologici ſui operis partibus nullibi diſertis ſive verbis ſeu exemplis declaratum animadverti: ſed ne Chriſti quidem nati tempora penitus ei ab iſta ſymbolicae atque astronomicae mythologiae Indicae imitatione immunia viſa fuiſſe, ſatis efficiatur eum aliunde, tum ex eo, quod illius ex virgine nativitas ipſi videtur ex antiquioribus traditionibus, quae et alibi et apud Indos praeſertim ferantur, repetenda; deinde quod Indorum liberator ac Servator *Chriſna* Ἰησοῦς ſecundum etymologiam ei jam dicitur fuiſſe *Joſua*, qui cum *Calebo*, ſidere caniculari (7), Israëlitas in regionem promiſſam deduxerit: denique quod Herodis, cui Romanorum exercitus coronam a fabri lignarii filio ſatis tutam reddidiſſet, crudelitatem jam antea adſcriptam fuiſſe perhibet *Chriſnae*, qui *Canſae* ope omnes *Dewagiae* liberos interemerit, uti Herodes omnes de medio ſuſtulit infantes, qui ſecundum aetatis annum nondum attigiſſent; qualis crudelitas imperante Auguſto non amplius locum habere potuerit (8).

Diverſo plane modo integrum Pentateuchum Moſaicum in mythicum quoddam opus convertere ſtuduit *Wettius*. Scilicet librum Geneſeos et initium Exodi mox habet pro quodam opuſculo, quod ſua origine unum atque integrum fuerit, quodque reliquis Pentateuchi partibus tempore anterius et horum ſimul exemplar fuerit, ad quod eae tamquam quaedam explicationes et ſupplementa acceſſerint (9): illud autem vocat *Epos*, non ad Graecae quidem artis leges exigendum, ſed Hebraicum ſuoque in genere eximium ac pulchrum (10). Abſoluta vero mythica ſua omnium librorum Moſaicorum expoſitione dicit, Epos istud per univerſum Pentateuchum produci, atque incipere ab Abrahami vocatione et Cananiticae regi-

(1). Ibid p. 296 et 300 ſqq. — (2). p. 112. — (3). II. p. 485. not. — (4). p. 490. — (5). I. p. 207. — (6). II. p. 676. et 681.

(7). Nimirum כָּלֵב *canem* ſignificat.

(8). *Kannius* I. p. 359 ſqq. in not.

(9). *Kritik der Israël. geſchichte*, von W. M. L. de Wette, (*Halle* 1807.) P. I. p. 28, 29. — (10). p. 31.

Prolegom. Cap. II. §. 4.

gionis promissione, desinere autem in hujus promissionis implemento (1). Vocat igitur *Epos*, quia non Historia sit, sed Carmen, certo quodam consilio confectum: ac genuinum esse opinatur epos, ad Hebraicam gentem pertinens, ad hujus commoda adaptatum, et ejus ingenium spirans, sive *epos Theocratiae Hebraicae;* atque adeo, uti Virgilius sanctae Romae primordia ex gentis Trojanae ruderibus in sua Aeneide produxit, in eaque ad Romanorum gentem perpetuo spectavit, sic quoque poëtam quemdam Hebraeum gentis Deo sacrae origines, modumque, quo exculta sit, in popularium suorum usus horumque semper habita ratione cecinisse (2). In Pentateucho itaque nec philosophemata esse statuit nec mythos historicos, quibus verum quoddam factum originem dederit; creationis E. G. descriptionem merum esse imaginationis poëticae commentum et quasdam quasi carminis theocratici introductionem convenientissimam (3); quidquid autem de Abrahamo, de ceteris Patriarchis, de Mose, de exitu ex Aegypto, de legislatione Sinaitica, aliisque rebus gravissimis referatur, hoc omne non historice accipiendum esse, sed poëtice, ac pro mythico adeo figmento aeque habendum ac Deos Heroësque Homeri et res ab iis gestas; videri quidem nonnullas inesse traditiones genuina specie insignes, sed has a poëta ad suum consilium ita accommodatas esse, variisque mythorum commentis immixtas, ut eodem plane ac reliqua modo eas tractare oporteat (4): ut verbo complectar; universum istud epos constare ex factis eventisque pro arbitrio ad certum propositum confictis, ex traditionibus quibusdam, aliis incertis atque inter se haud raro oppositis, aliis verisimilibus, porro ex commentis etymologicis, ex mythis denique juridicis compluribus, sive posteriorum temporum legibus institutisque Mosi adscriptis, confectum autem illud poëma non esse ante Davidis aetatem.

3. Ad similem sententiam se jam proclivem ostenderat, aut certe eandem denominationem Pentateucho vindicare studuerat *Augustius* (5), qui plurimas difficultates, quae historicam ejus interpretationem premant, evanescere ait, simul ac eum *Epos* esse *historicum* sumamus, quod, in multiplici et materiae et formae discrimine, optime cum Homeri *Iliade* componatur, atque adeo *Mosaidis* nomen gerere queat, et in quo Miraculorum ac Theophaniarum machinae aeque adhibitae sint ex indole antiquitatis; hinc quinque Pentateuchi libros pro totidem *Rhapsodiis* haberi posse, in quibus poëtica ac prosa oratio inter se commutentur: esse autem grave ejus argumentum, quo Moses ut divinus legatus, ejusque leges ut di-

(1). Ibid p. 395. — (2). p. 32. — (3). p. 36. — (4) p. 396–405.

(5). *Joh. Christ. Wilh. Augusti, grundriß einer historisch-kritischen Einleitung in's A. T.* (*Leipz.* 1806.) §. 89 – 103.

divinitus ad summam, cujus capax esset gens Israëlitica, et perfectionem et sublimitatem latae proponuntur; porro in eo inseri nonnulla *Episodia*, cujusmodi sint Loti, Esavi et Bileami historiae; atque, uti Ilias cornucopiae instar fuerit, quo veteris Graeciae artes ac literae universae continenentur, ita, immo multo etiam magis, in Pentateucho totum Hebraicae atque Orientalis culturae ambitum nobis tradi: hoc vero itaque assumi posse, sive Moses ipse ex antiqua opinione pro Pentateuchi auctore habeatur, seu potius ignotus aliquis scriptor eum confecerit, qui multo vixerit serius, idque, uti probabile sit, haud diu ante captivitatem Babylonicam. Ceterum ad hanc suam sententiam commendandam Augustinus videri sibi dixit, *Euangeliorum* nostrorum *Epicam* esse indolem, quibus luculenta quaedam eaque minime fortuita cum *Pentateucho*, ad epicam rationem revocato, intercedat affinitas: quae quidem haud minor sit, quam *Aeneidis* cum *Iliade* consensus. Prolegom. Cap. I. §. 4.

4. Atque hac ipsa historiae Euangelicae ratione Epica haud desunt, qui admodum delectentur in Germania. Ad hos pertinet imprimis *Krummacherus* (1); ex cujus sententia in Euangeliis contineatur *Epos historicum*, quod vel in ipsa suae perscriptionis origine cum Homeri poëmate comparandum sit: uti enim Homerus praevidere non poterit, fore, ut sua carmina maximam vim haberent in Graecorum animis ad pulchri sensum informandis, ita Euangeliorum auctores ne cogitasse quidem ait, divinam providentiam ista sua folia ad emendandos hominum mores conservaturam esse; hos autem libros esse historicos, quod ad argumentum attineat vere historicum, sed epicos, quod ad animi affectum, ac modum adeo, quo res narratae sint, nec decere ergo historiam Euangelicam ad historicae tractationis diligentiam exigere, ne ejus fides in discrimen adducatur (2); miraculorum vero, quae Jesus patrarit relationes non ad literam accipiendas esse, quamquam ea ab Euangelistis pro veris miraculis haberentur, ac modus, quo referuntur, ad relationis pulchritudinem eamque haud raro poëticam, conferat quam plurimum (3); ita descriptionem gloriae, qua Jesus in monte quodam conspicuus fuerit tribus discipulis, ad veritatem sensuum, quos hi habuerint, eximie expressam esse, sed de vero ipsius rei, quae acciderit, modo nihil his cognitum fuisse, qui eam, prouti, necdum penitus excusso somno, sibi dumtaxat videretur, ut pulcherrime tamen, narraverint (4).

Verum ab anonymo quodam scriptore ulterius progresso (5), quidquid ad Re-

(1). *F. A. Krummacher, über den Geist und die Form der Evang. Gesch. in historischer und ästhetischer Hinsicht. Leipz.* 1805. Liber in Belgicum sermonem conversus prodiit A°. 1809

(2). Ibid §. 18 – 20. — (3). §. 32 – 40. — (4). §. 56 – 58.

(5). Vid *Henkii Novus Thesaurus*, sive *Neues Magazin fur Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte.* T. VI. fascic. 3. p. 441 sqq.

Prolegom. C. II. §. 4, 5.

ligionem Christianam pertinet, in mythicam, sive poëticam quamdam fictionem conversum vidi, sed sanctam illam, sed ad hominis indolem ususque accommodatissimam, sed ad pios animi motus excitandos omnino idoneam, quoniam doctrina de extraordinario modo quo Christus natus sit, de divina ejus natura de ejus miraculis, reditu ad vitam et adscensu ad coelos, et quaecumque porro propria sint istius Religionis dogmata, ipsis quidem et intelligentiae et rationi humanae, si hae solae in iis occupentur, vix admittenda videantur, sin autem eadem intimo animi sensu judicentur, ad pectus utiliter commovendum eximie comparata sint.

§. 5.

Haec habebamus, Viri clarissimi, quae de Mythis cum in se, tum in Sacrorum nostrorum Librorum interpretatione spectatis in antecessum enarraremus. Superest, ut quam nobis in disceptanda, quae de iis a Vobis proposita est, quaestione definierimus viam breviter indicemus.

Quaecumque igitur a Mythicae S. C. interpretationis patronis et asseclis prolata vidimus, ut eam aliis suaderent probarentque, haec ad quatuor capita revocari posse arbitramur. Etenim nihil magis apud eos frequentatum est, quam ut ex mythis, apud quasvis gentes antiquas usitatis et Hebraicorum adeo simillimis, argumententur. Deinde, quo majorem haec argumentatio vim habeat, quoque facilius mythorum per omnium etiam aetatum Scripta Sacra dispersorum usus aliis persuadeatur, et horum Scriptorum aetas ipsis, quae narrantur, eventis plerumque multo recentior fuisse ponitur; et grave quaeritur praesidium in peculiari usu loquendi, quem prisci sermonis indoles ac magna rerum causarumque naturalium ignoratio pepererint; et haud leve denique commendationis momentum ex eo petitur quod per Mythicam longe melius quam per Historicam interpretatationem dignitati Librorum Sacrorum consulatur. Quocirca a primario illo ac generali argumento incipiemus, idque priore nostrae disputationis parte perpendemus atque aestimabimus. Tria autem reliqua hujus quasi subsidiaria argumenta parte altera complectemur: quorum postremi contemplatio nos eo sponte adducet ut mythicam interpretationem ad Sacrorum Librorum dignitatem atque auctoritatem pro Vestro consilio exigamus.

DIS-

DISPUTATIONIS

DE MYTHICA CODICIS SACRI INTERPRETATIONE

PARS PRIOR.

De generali ac primario argumento, quo mythici Sacrorum Librorum interpretes utuntur, ex Mythorum uſu, qui apud quasvis gentes antiquas obtinuerit, eorumque ſimilitudine cum Hebraicis petito.

In ponderandis praecipuis argumentis, ad perſuadendam mythicam Librorum Sacrorum interpretationem adhibitis, naturalis rerum ordo postulat, ut ab eo, quod maxime generale ac praecipuum ſit, ordiamur. Atque mythicae hujus interpretationis initia ab eo ipſo tempore repetenda ſunt, quo ad generalem apud priscas gentes mythorum uſum, diligenter attendi coeptum est de eorumque ratione ſtudioſe inquiri. Pars Prior.

Heynius nimirum, qui primus antiquas, Graecorum praeſertim, fabulas partim ad hiſtoricarum traditionum veritatem, partim ad quorumdam nascentis quaſi philoſophiae ſpeciminum ſimplicitatem revocare viſus est, uti jam ſignificavimus in Prolegom. Cap. I. §. 1. Obſ. 2. Heynius igitur in ipſo illo, quem ibi exſcripſimus, loco diſerte affirmavit, antiquisſimas hiſtorias et prima ſapientiae elementa apud omnes gentes mythis involvi, et vero etiam ſatis perſpicue declaravit, ea, quae de generis humani origine ac priſcis gentis Israëliticae hiſtoriis referantur in C. S., formam ſibi videri habere ejusmodi, ut cum istis quarumcumque gentium mythis merito comparentur. Scilicet mythos in genere primis temporibus ortos esſe judicat, cum ex priſci ſermonis indole imperfecta, figurata, imaginumque, quae res ſenſibus ſubjicerent, pleniſſima, tum ex rerum naturalium ignoratio-

Pars Prior. tione, portentorum feraciſſima (1). Idem autem veterum fabularum complurium ac mythorum praeſertim Homericorum origines a cauſis phyſicis in primis repetendas eſſe exiſtimat (2). „ Jam enim ante Homerum in Phoenicia atque Aegypto viguiſſe arbitratur ſtudium ſuper rerum initiis et originibus philoſophandi, cumque, uti vetus ſermo et mos postularet, ad perſonas revocarentur res etiam notione animi et mentis vi conceptae, natas inde eſſe Cosmogonias et ex his Theogonias: quae cum a vetuſtioribus Graeciae poëtis carmine jam expoſitae fuiſſent, ſupervenisſe Homerum, qui ex vetuſtioribus illis Cosmogoniis ac Theogoniis fabulas phyſici argumenti rebus declarandis excogitatas in epicam narrationem adſciverit easque tamquam vere geſtas et ab ultima hominum memoria repetitas perſecutus fuerit." Hoc vero nonnullis viris doctis jam antea quodammodo perſpectum, ad omnem interpretationem, etiam Librorum Sacrorum, utiliſſimum eſſe ſignificavit (3).

Atque huic ergo quaſi fundamento ſuperſtrui mox coepta est nonnullarum S. C. relationum mythica interpretatio. Nimirum et viri fama magnis ac diuturnis meritis quaeſita ejusque adeo haud levis apud populares auctoritas, et probabilis utique ratio, qua cum ipſe ſuam de Graecorum mythis ſententiam exponere, tum ejus quoque discipulus *Hermannus* (4) eosdem tractare videbatur: hae igitur cauſae efficere non potuere, quin permulti in Germania illi ſententiae aſſentirentur. Quocirca, quod Heynius in Graecorum mythis extricandis agebat, et agebat *quidem felicisſime* ex judicio plurimorum, immo quod ut ad Sacros Libros adhiberetur, ipſe ſuadebat, hoc illuc adhiberi coeptum est eo impenſius, quo majus in his libris explicandis ſtudium collocabatur, ac majora in dies eorum interpretationi cum incrementa accedebant apud Germanos, tum vero etiam adjumenta optabantur et quaerebantur.

„ Enimvero, inquiunt, ſi apud alias quaſlibet gentes antiquas facta et eventa „ memorabilia non niſi ore diu tradita ſint, ſcribendi arte necdum inventa aut „ vulgo recepta; ſi quaecumque ore tradantur, haec cum per fallacem narran„ tium memoriam, tum per ipſam vero eorum culpam breviſſimi etiam temporis „ intervallo longe alia appareant ac revera acciderint; ſi inops priscorum ſermo, ſi

(1). Vid. ejus *Opuſcula Acad.* I. p. 189 ſqq. et *Temporum mythicorum memoria a corruptelis nonnullis vindicata*, in Commentatt. Soc. Gotting. T. VIII.

(2). In Commentat. *de origine et cauſis fabularum Homericarum*, in novis Commentar. Soc. Gotting. T. VIII. et *de Theogonia ab Heſiodo condita*, in Commentatt. Soc. Gotting. A. 1779. T. II.

(3). Vid. ejus Comment. *de origine et cauſis fab. Homeric.* p. 39, 40. not.

(4). Conf. *Prolegom.* nostra Cap. I. §. 3. initio.

„ ſi ſumma eorum vis imaginandi, ſi magna, in qua verſabantur, rerum natura- Pars Prior.
„ lium ignorantia eos modo ad verba minus propria minusque apta utenda coë-
„ gerit, modo ad quam plurima luxuriantis ingenii commenta adhibenda permove-
„ rit, modo denique ad prodigia ac portenta quaerenda ſaepe impulerit, ut quae
„ posterior aetas ab iis narrata legat, haec fabularum magis quam verarum his-
„ toriarum formam ipſi habere videantur; ſi porro primigenia ſapientia, rerum
„ naturalium et latentium causſarum indagatrix, ſed perquam imperfecta, ſed in-
„ culta, ſed rudis, ſed abſtractarum notionum minime capax ſuas conjecturas,
„ ſuos luſus, ſuasque etiam hallucinationes historica quadam, ut ita dicam,
„ veste induerit, qua oculis quaſi conſpicerentur eorum, qui ſolis, quae in ſen-
„ ſus incurrerent, rebus afficerentur: verbo: ſi ceterarum gentium priscarum Hiſ-
„ toria ac Philoſophia a Mythis inceperint, quidni idem genti Hebraeae cum his
„ commune fuiſſe dicamus? An deceat mythorum uſum omnibus omnino adſcri-
„ bere gentibus vetustiſſimis, hac dumtaxat ſola excepta? Et vero, quis neget,
„ tantam inter hujus relationes antiquiſſimas, et inter ceterarum mythos eſſe ſi-
„ militudinem, quanta in magna ceteroquin indolis, opinionum, linguarumque
„ diverſitate exſpectari queat fingive? Ecquis ſanae mentis homo Theophanias E.
„ C. et Geogonias Graecorum pro veris accipiat eventis! An ergo conſentaneum
„ ſit frequentes illas Dei appariſiones, quae in libro Geneſeos reperiuntur, ac
„ Moſaicam creationis deſcriptionem hiſtoriarum in modum interpretari, aeque ac
„ ſi re ipſa accidiſſent? Quae enim mythica interpretatio in exterae antiquitatis
„ libris valeat quam plurimum, num eadem nil quidquam valere cenſeatur in Sa-
„ cris quidem illis, ſed humana tamen manu conſcriptis fragmentis, quae in re-
„ motiſſima verſentur antiquitate? — Immo vero, admiſſa in perantiquis iſtis re-
„ lationibus Moſaicis mythica interpretatione, quidni etiam admittatur in recen-
„ tioribus, quarum haud admodum diverſa ſit ratio? Moſis enim, Joſuae, Judi-
„ cum, Regum, et ipſae quoque Jeſu atque Apostolorum hiſtoriae Dei Angelo-
„ rumve apparitiones continent minime infrequentes, ut et alia quam plurima,
„ quibus tam mira est ſpecies, ut ab omni hiſtoriae veriſimilitudine abhorreant:
„ in quibus ergo etiam ut mythos ineſſe ſtatuamus, nonne interpretationis et
„ ſimplicitas et aequabilitas ſuadere, ac propemodum poſtulare videatur?"

Ita fere argumentantur quotquot mythicae Sacrorum Librorum interpretationis patrocinium ſuſcepiſſe vidimus (1), nec veremur utique ne ſint, qui hujus argumentationis vim a nobis quodammodo imminutam eſſe criminentur. Quid? quod aut

(1) Vid. praeſertim *Meyerus* in *Hermeneut. V. T.* II. p. 552–554., *Bauerus Mythol. Hebr.* I. p. 24 ſqq. et *Gabler Annal. Theol.* ſupra allegati, II. 1. p. 43–53.

aut falsum videretur, aut qui eam, uti a nobis proposita est, levi oculo inspexerit, primoribus ejus speciem esse, ingenue fatebitur.

Verum enimvero plurimum abest profecto, ut, si propius ea ac diligentius spectetur, tantum valeat, quantum eam valere cupiunt ejus auctores. Certe habemus haud pauca, quibus ejus vim infringere posse nobis videmur. Quae ut commodius quoniam ordine proferamus, primum inquiremus, qualis fuerit ille mythorum usus, qui ubique in philosophiae et historiae primordiis adfuisse dicitur; deinde, quo jure ex illo, si quibuscumque adscribatur gentibus antiquis, mythorum vis confletur, eandem apud Hebraeos etiam omnino obtinuisse: denique quod judicium faciendum sit de exterorum mythorum similitudine cum Hebraicis.

Caeterum in primaria quidem ista argumentatione proponenda et traditionum et prisci sermonis rerumque naturalium ignorantiae mentionem fecimus, in quibus praecipuae quaerantur mythorum causae: sed, cum ex his magna mythicae Librorum Sacrorum interpretationis, propter generalem mythorum usum admittendae, praesidia petantur, ac de horum adeo vi ac ratione nos alibi seorsim acturi simus, uti indicavimus in rerum deinceps pertractandarum distributione, ideo de his mythorum caussis ea sola hic attingemus, quae cum mythorum generatim, uti ponitur, usitatorum consideratione proxime conjuncta sint.

CAPUT PRIMUM.

De ratione quam habeat Mythorum usus, qui ubique in philosophiae atque historiae primordiis adfuisse dicitur.

§. 1.

1. Quantumvis fuerint multi, quibus Heynii sententia, de qua retulimus, ita probaretur, ut de ea, tamquam de eximio invento praedicarent, quo prisci aevi arcana tandem ex diuturnis ac densissimis tenebris felicissime in lucem educerentur, suisque fabulosis involucris denudarentur: haud defuere tamen, quibus ea minime persuaderetur. Ex his duo memorasse sufficiet, eosque et Germaniae et clari nominis viros, *Joannem Henricum Vossium*, et *Christophorum Meinersium*: quorum ille Heynii opinionem ab Hermanno, ut supra vidimus, uberius explanatam acerrime impugnavit, multas fabulas Homericas jam simili modo, immo melius a *Natali Comite* expositas fuisse, ac *Mythi* et *Philosophematis* vocabula non ni-

niſi nova eſſe pro *Fabula* et *Allegoria* dictitans (1): hic vero, qui magnum ſe Heynii et aeſtimatorem et amicum profitetur, ab eo diſſentit nihilominus, idque cum alias ob cauſas, de quibus partim alienum et omnino longum eſſet exponere, tum ob hanc maxime, quod „ tanta Cosmogoniarum vis, quantam ante Homerum exſtitiſſe illuſtris Heynius conjicit, tam curioſa porro naturae investigatio et mira denique ſubtiles rerum cognitiones fabulis involvendi ſolertia prisco illo aevo non ſatis conſentaneae videantur." (2)

2. Et certe, quod ad Philoſophemata attinet, in quibus praeſertim magnum ad Homeri interpretationem praeſidium comparaſſe ſibi viſus est Heynius, horum pleraque quid re ipſa ab Allegoriis differant, non video. Nam quod „ notiones rerum, inprimis elementorum, tum cauſarum, effectuum, virium, eorumque, quae cuique propria eſſent, mutatas fuiſſe dicit in perſonas, quae in deos, daemones, heroës ablerint" (3), atque adeo Diis Homericis varia elementa repreſentari opinatur; quod „ aëris ſuperioris atque inferioris, ſive atmosphaerae nostrae perpetuum conflictum, motum et quaſi reciprocum aeſtum, per Jovis et Junonis diſſidia declaratum, fabulas peperiſſe Homericas de perpetuis Jovem inter et Junonem jurgiis; porro quod fabulam, quae nunc nobis riſum facile exprimat, de catena a Jove ex Olympo demiſſa et ſuspenſis ex ea diis, non aliam habuiſſe originem, niſi quod vetus aliquis poëta elementorum ordinem ab aethere inde deſcendentem declarare voluerit; denique quod Vulcani ex Junone nati fabula ignem ſignificari perhibet ab aëre conceptum, ejusdem vero claudicationem et infirmitatem ex caſu contractam ingenioſe inventam eſſe ad ſignificandam flammae naturam imbecillam per ſe ac nullam, niſi vires ſumat ab alimentis" (4): haec igitur et alia plura hujusmodi quid, quaeſo, habent diverſi ab illa allegorica ratione, quam primi veterum ſecuti ſunt Stoici, et de qua ex horum mente *Balbum* ita referentem, inducit *Cicero*; „ ex ratione phyſica fluxiſſe multitudinem Deorum; aërem interjectum inter mare et coelum Junonis nomine conſecratum fuiſſe, hanc vero ſororem et conjugem Jovis dici, quod ei ſimilitudo est aetheris et cum eo ſumma conjunctio, eum autem a Stoicis effoeminatum fuiſſe, Junonique tributum, quia nihil est eo mollius," cet (5).

3. At, de verbis non disputabimus. Utrum *Allegoriae* dicantur haec, an vero *Philoſophemata* aut *Mythi philoſophici*, nobis jam quidem perinde est. Ad rem ipſam veniamus. Ita-

(1). In *Epistolis Mythologicis*, ſive *Mythologiſche Briefe* P. I. p. 12. et 28. ac Praefat. p. 5.
(2). *Hiſtor. doctrinae de vero Deo*, p. 173 ſqq.
(3). *Heyn. ad Apollod.* I. §. 1. p. 5.
(4). *De orig. et cauſ. fab. Hom.* p. 40 – 43.
(5). *De Nat. Deor.* II. 24 – 28.

Pars I. Cap. I. §. 1.

Itaque, qui docte de veterum opinionibus ad religionem spectantibus inquisivit *Meinersius*, verissime in loco paulo ante relato animadvertisse mihi videtur, admissa Heynii sententia nimis magnificum judicium fieri de prisca philosophia. Fuisse quidem ante Homerum non dubitamus, qui in Oriente philosophiam colerent, atque in rerum naturalium studium incumberent; philosophiae enim natales, in Aegypto praesertim, ad valde remotam, Homero certe multo anteriorem aetatem pertingunt: ac de Phoenicibus, inclytis antiquitus optimarum artium, praecipue astronomiae et arithmeticae magistris; de his igitur ex Posidonio refert gravissimae auctoritatis scriptor *Strabo* (1), *Moschum* aliquem, vel *Mochum* iis fuisse, virum Sidonium, qui ante Trojana tempora vixerit, eamque tenuerit de *atomis* doctrinam, quam postea nonnulli Graecorum philosophi tradidere. Sed tam ampla, tam accurata, tamque subtilis naturae, ejusque et rerum et legum cognitio, qualis ante Homerum fuisse ponenda est, si omnino valeat illa Heynii ratio, priscis illis Orientis gentibus vix adscribatur. Et vero fatetur Heynius (2), non subtilis alicujus philosophiae vestigia in antiquis Graecorum mythis quaerenda esse, cum hoc a temporum hominumque rudi simplicitate alienum sit, ac Philosophica illa aliunde assumta ita tractata fuisse a poëtis, ut omnem philosophicam rationem negligerent: tametsi ipse ea fere singula ad philosophicam revocare studet subtilitatem. — Certe philices ac rerum naturalium studium a Thalete demum apud Graecos inductum fuisse videtur, ac *Plutarcho* auctore (3) antiquissimi Theologi et Poëtae *ταῖς ἀναγκαίαις καὶ φυσικαῖς οὐκ ἔτι προσέσχαν αἰτίαις· οὐδὲ ὕστεροι τούτων καὶ φυσικοὶ προσαγορευόμενοι τοὐναντίον ἐκείνοις — ἐν σώμασι καὶ πάθεσι σωμάτων, πληγαῖς τε καὶ μεταβολαῖς καὶ κρίσεσι τίθενται τὸ σύμπαν. ad naturales ac necessarias rerum causas nunquam accesserunt: qui vero postea fuerunt sapientes, quibus Physicorum nomen est inditum, diversam a prioribus viam ineuntes, omne momentum in corporum materia, affectionibus, collisionibus, mutationibus ac temperamentis posuerunt.* — Quod si autem vel ejusmodi rerum naturalium cognitio prisco illi Graecorum aevo attribuatur, an credibile est, eam tanto artificio fabulis involutam fuisse, quantum Homero et anterioribus etiam poëtis adscribendum sit? Si symbolica et horum et illius ratio vulgo illius aetatis penitus abstrusa erat ac non intellecta, quare eam secuti esse creduntur? Atque Homerus praesertim, praestantissimus poëtarum, quare hoc mysterii involucro in absurdarum fictionum crimen incurrere voluisset apud populares? Si contra eadem priscorum temporum vul-

(1). L. XVII. p. 1098.
(2). *Id. Opusc.* I. §. 1. p. 4 et 5.
(3). *De Orac. def.* p. 436. D.

vulgo, aut saltem sapientioribus Graecis perspecta erat, quoi tandem probabili modo explicemus, quod deinde penitus fere ex hominum extiderit memoria, ac per plurima secula latuerit quasi mortua et sepulta, donec primi eam Stoici in vitam prorsus revocarent, in omniumque conspectum producerent? Graecum enim libellum de *Homeri allegoriis* non *Heraclidi Ponticо*, cujus nomen praeferat, quique quinquaginta circiter annis ante Zenonem, Stoicae sectae parentem, floruerit, adscribendum esse auctori, jam *Vossius* recte animadvertit (1). Etsi autem *Plato*, Zenoni amplius integro seculo anterior, allegoricam quamdam fabularum, in primis Homericarum, quibus a pietate morumque integritate sibi alienis visis, magnopere offenderetur, interpretationem plus semel suasisse et quodammodo tentasse censeri possit (2), jure tamen merito *Ciceronem* ducem sequimur et auctorem, cui primus dicitur fuisse *Zeno*, qui eam revera susceperet (3). Pars I. Cap. I. §. 11.

4. Equidem, haec perpendens, idem fere de *Heynio* dicere posse mihi videor, quod *Cicero* sub Cottae Academici persona de *Zenone* illo dixit (4). „Magnam molestiam suscepit et minime necessariam, commenticiarum fabularum reddere rationem, ac vocabulorum cur quique (Deorum) ita appellati sint, causas explicare." — Sed hoc ipsum inprimis atque omni sua vi valere cupio de singulari *Kannii* opinione, de qua in Prolegom. Cap. 1. §. 3. et Cap. 2. §. 3. retuli. Enimvero hic, cum omnium omnino antiquarum gentium primas historias in meras convertat fabulas symbolicas, molestissimo sane labore harum rationem reddere conatur, easque, uti haud male a viro amico dicitur, fere transmutat in exile calendarium (5). Idem porro in vocabulorum caussis declarandis atque universa ratione etymologica sic versatur, ut tota ejus sententia ad meros ingenii in iis, quae maxime disita sint et diversa, componendis luxuriantis lusus aeque referenda sit ac recens etiam opinio et cum quadam itidem eruditionis specie exornata, sed subtilioribus mirisque etymologiis immixa: quae fert, antiquissimarum fabularum, ad mortuorum praesertim regionem pertinentium, originem historicam in his nostris Belgicis ac vicinis regionibus quaerendam esse; campos Elysios fuisse rempublicam hominum justorum ac piorum, ad extremam Galliae partem septentrionalem, praesertim in Rheni inferioris insulis sitam, ibi artium, doctrinarum, ac mythologiae incunabula fuisse, atque inde adeo antiquarum gentium; ip-

(1). *De Historicis Graecis*, p. 45.

(2). *De Republ.* Lib. II et III. T. II. in editione *Serrani*, praesertim p. 378, E. et p. 391, B. In *Theaetet.* T. I. p. 153, C, D. In *Alcibiad.* T. II. p. 147, B, C. In *Phaedr.* T. III. p. 229, B, C, D.

(3). In loco mox allegando.

(4). *De Nat. Deor.* III. 24.

(5). In praefatione ad opus commendandum scripta, p. 5.

Pars I. Cap. I. §. 1.

ipſorumque Aegyptiorum ac Graecorum culturam eſſe repetendam; Deos fabuloſos nihil eſſe aliud niſi ſymbolicas inſtitutorum ad Elyſiam ſocietatem pertinentium repreſentationes eorumdemque inſtitutorum ac philoſophiae, quae legislatorum hujus Societatis propria fuerit, imaginem conſpici in ſphaera coelesti, immo Homeri et Heſiodi patriam Belgium fuiſſe (1).

5. Sed, ut in viam redeamus, a qua tamen non multum defleximus: ex iis, quae longius exequi non licebat per inſtituti rationem, multarumque aliarum rerum pertractandarum neceſſitatem nobis injectam, merito conficere nobis videmur, haud deëſſe quae praecipuum Heynianae illius ſententiae fundamentum labefactent. Quocirca, quod vir doctus proxime cum ſymbolica ſua mythorum expoſitione conjunxit et quoddam quaſi ejus conſectarium eſſe voluit, non eam vim cenſeri queat habere, quam in eo ineſſe exiſtimat. Postquam enim dixerat, „ ex hoc fonte et principio, quod vetus Graecia ſuarum religionum habuit, conſtitui et illustrari poſſe nonnulla alia, quorum ratio alioquin eum, qui inquirit, fugiat:" haec addidit; „ Deorum pugnas ſive inter ſe, ſive ut auxiliarentur mortalibus, frequentari coepiſſe exemplo Cosmogoniae, in qua elementorum pugna per Deos praeliantes erat reddita, habuiſſe adeo Homerum in his paratam inventi et materiam et defenſionem: et illa aetate nihil in eo videre debuiſſe homines quod aut inſolens eſſet aut displicere poſſet." Mox vero ſubjunxit: „ fuiſſe perpetuum, ut Orientis, ita veteris Graeciae morem, ut omnia, quae fierent praeter morem, aut cauſſa obſcura rei haud ſatis cognita, aut inopinato ſaltem, referrent ad interventum Deorum, Numen omnibus, quae gererentur, interponerent, caſus omnes repentinos, etiam ea, quae conſilio, arte aut ſolertia curata erant, Deorum operae ac preſentiae tribuerent." (2). Hunc igitur perpetuum eſſe Homeri morem, conſtat inter omnes: ſed hujus moris origo quo jure ex Cosmogoniis repetatur, liquet ex ſuperioribus. Et vero, hac etiam ejus origine admiſſa, haud ſcio an ſatis ſibi conſtitiſſe cenſendus ſit excellentiſſimus poëtarum, quod modo Deos ſuos induxerit tamquam ſymbolicas elementorum repraeſentationes modo tamquam veras perſonas hominum auxiliatrices omniumque rerum effectrices praeſentiſſimas.

At, dixerit forte aliquis: „ Quidquid tandem de peculiari modo, quo Heyni„ us fabulas explicuerit Homericas, judicetur; an negari tamen queat, prisca„ rum gentium cum philoſophiam, tum hiſtoriam a mythis incipere?" Cui igitur ut cum nostro inſtituto convenienter respondeamus breviter, age, de utrinsque apud priscas gentes initiis disquiremus.

1. An-

(1). Titulus operis est: *La république des champs Elysées, où le monde ancien, par M. Charles Joseph de Grave: à Gand.* 1806. 3 voll.

(2). *De orig. et cauſſ. fab. Homer.* p. 45 ſq.

§. 2.

1. Ante omnia agnoscimus, priscarum gentium haud paucas, cum rebus in ſenſus incurrentibus maxime ac fere unice afficerentur, ſermone uſas eſſe ad ſimplicem et rudem hanc conditionem plane comparato: atque hoc eo agnoscimus lubentius, quo certius eſſe novimus, hunc eſſe etiam morem gentium incultarum, quae recentioribus temporibus detectae fuere. Si qui eſſent igitur vulgo ſapientiores priscis aetatibus, hi quin ſe ad ſui aevi captum atque imperfectam figuratamque ſermonis indolem accommodaverint, nulli dubitamus. Sed de hoc dubitamus vehementer, fuiſſe jam rudioribus aut parum cultis temporibus homines, qui de rerum ſive adſpectabilium origine ſeu abſtruſarum quarumcumque modo ac ratione diligentius inquirerent; ac philoſophiam, ſive, auctore *Cicerone* (1), „ rerum divinarum ac humanarum, cauſarumque, quibus hae res continentur, ſcientiam," cultioribus demum temporibus natam eſſe, nobis propemodum certo perſuaſum habemus. Apud Graecos quidem ejus natalas fere repetere non decet niſi a ſeptem, qui dicuntur, Sapientum aetate: ac praeſtantiſſimos etiam ſerioris aevi philoſophos Orientem adiiſſe ut in ejus ſtudio proficerent, res eſt notiſſima. Romani vero eamdem non niſi ſero coluerunt et Graecis retulerunt acceptam. De utriusque autem gentis cultiſſimae hiſtoria philoſophica cum multo certius conſtet, quam de aliarum, quae maximam in antiquitate nominis celebritatem conſecutae ſunt, an deceat de harum philoſophiae initiis ſic judicare, ut ea temporibus culturae anterioribus affingentur? Et vero quae inter gentes Americanas ceteris minus incultae erant, Mexicana et Peruviana, hae philoſophiam, curioſam illam naturae indagatricem, nequaquam attigiſſe videntur, cum abſtractarum notionum minime capaces eſſent et vix ultra id, quod ſenſus moveret, progrederentur (2): ac ne Mexicani quidem hoc valebant, quamquam eo jam pervenerant culturae, ut temporis ad annuum ſolis curſum exacti ſatis juſtam menſuram invenisſent (3).

2. Uti autem univerſus antiquitatis conſenſus ſolum philoſophiae natale in Oriente quaerere jubet, ita haud facile est de ipſo, in quo ibi fuerit, infantiae ſtatu ex vero judicare. Immo nihil obſcurius, nihil abſtruſius, nihil in doctrinarum atque opinionum humanarum hiſtoria ad investigandum et inveniendum magis arduum eſſe quam primas Orientalis philoſophiae origines, ecquis paulo est prudentior qui negaverit? Fuerunt complures ejus familiae, quae etſi e regionum ac

(1). *De Offici.* II. 2.
(2). Vid. *Robertſonus* in *hiſtoria Americae.* T. IV. p. 215. verſ. Belg. — (3). Ibid p. 49.

Pars I. Cap. I. §. 2. ac temporum diversitate diversum quemdam habitum diversamque faciem accepere, cujusdam tamen quasi affinitatis retinuerunt lineamenta, quae unam aliquam arguerent matrem communem. Verum, in qua Orientis parte nata ea sit, quove sensim adoleverit modo seque propagaverit, hoc vereor ut in maximo monumentorum defectu ad liquidum umquam perducatur. Tametsi igitur, qualis fuerit primitiva philosophiae ratio, vix quisquam probabiliter assequatur, neque nostrum etiam institutum ferat, ut hac in re investiganda longius excurramus, haud abs re tamen fuerit perpauca notasse, quae maxime verisimilia videantur.

Et principio quidem de hoc dubitare non licet, philosophiae studium mature in Oriente viguisse; sed illud qualecumque tandem jam radioribus exstitisse temporibus, nihil plane est quod persuadeat. Immo vero, cum certum sit atque indubitatum, ibi hominum ingenia mature jam ad humanitatem informata fuisse, consentaneum est profecto, ut illius philosophiae quae de rerum natura caussisque studiose inquireret, primordia a cultioribus demum temporibus ibi quoque repetamus. Deinde de eo etiam vix quisquam mecum dissentiat, astronomiam ac temporis computationem cum ea conjunctam ad valde remotam apud nonnullas gentes Orientales antiquitatem pertingere, quae cum eo quidem sponte adducerentur coeli perquam sereni conspectu perpetuo et facillima observatione, in ipso hoc studio haud parum jam prius profecisse videntur, quam notabili quodam modo profecissent in morum ingeniique cultura: sed illam philosophiae partem praecipuam, quae in rerum naturalium caussarumque investigatione atque explicatione poneretur, non nisi multo serius attigisse. Denique et hoc quoque haud temere statuimus, quidquid ad Philosophiae studium antiquitus referretur, hoc omne non modo ad Sacrorum ministros, sive sacerdotes tamquam proprium pertinuisse, sed cum Religione etiam nexu conjunctum fuisse indivulso. Quae quidem res tam certa nobis videtur, tamque extra dubitationem posita, ut neminem fore speremus, quin in ea nobis assentiatur. Philosophemata autem, quorum caussa haec breviter notanda ducebamus, sive prima Philosophiae initia maximam habere cum prima gentium Theologia conjunctionem, et nemo dissitebitur, et ipsa eorum ratio manifesto declarat. Quapropter, ut, quoad ejus a nobis fieri queat, definiatur, utrum philosophia priscarum gentium Orientalium, apud quas quasi nata sit, aut certe perquam mature exculta, a mythis inceperit, an secus: brevissime de primitiva earum Theologiae forma ac facie inquiramus.

5. Itaque, quo diligentius inquisivi de priscae Religionis habitu in Oriente, eo mihi visum est probabilius ac propemodum certius, illum non nisi cum tempore mythis symbolisque involvi ac deformari incepisse, sed initio fuisse purissimum ac simplicissimum.

At-

Atque, ut ab Indis ordiamur, hanc ipſam apud eos fuiſſe religionis primitivam rationem, cum in unius Dei cognitione cultuque illa poſita eſſet, ſed, quo magis deinceps depravaretur, eo plures accepiſſe mythorum ac ſymbolorum acceſſiones, manifeſto liquet ex eorum ſcriptis, qui de Indica religione expoſuere (1). Caeterum Indi, quamquam Astronomicarum computationum laude inclyti, in rerum tamen naturalium inuestigatione haud multum olim profecisſe videntur (2): ac de Brachmanis, ſive viris eorum ſapientioribus, et religionis ſtudio impenſius deditis, refert *Strabo* (3), hos, cum virtuti in primis operam, dandam eſſe exiſtimarent, τὰ περὶ φύσιν, τὰ μὲν εὐήθειαν ἐμφάνειν, *eorum, quae ad naturae cognitionem pertinerent, quaedam ſtultitiam eſſe cenſuiſſe.* Pars 1. Cap. I. §. 2.

Tametſi autem de prisca aliarum gentium Orientalium religione ex minus claris indiciis aeſtimari queat, adſunt tamen, ex quibus haud improbabiliter conficias, eos de Numine rebusque ad Religionem pertinentibus mox quidem purius ac ſimplicius judicaſſe, aut, ſi velis, philoſophatos eſſe, ſed paulatim ſuas opiniones, quo magis perverterentur, eo magis mythis ac ſymbolis repraeſentaſſe, et vulgi ſenſibus ſubjeciſſe. Nam, ne quid de veteribus Perſis (4), de Arabibus (5), Phoenicibus (6), aliisve gentibus antiquis, quae ſive in Oriente degerent, ſeu cum gentibus Orientalibus conjunctae eſſent (7), dicamus, apud quas purioris ac ſimplicioris religionis vestigia diu remanſerint, ſolos paulisper contemplemur et Aegyptios et Sinenſes, Indis ſymbolica ſua ratione haud admodum diſſimiles.

Et Aegyptii quidem cum culturae admodum maturae, tum maxime prudentiae civilis, astronomiae ac geometriae laudibus, et vero etiam haud contemnendo, pro aevi ratione, rerum naturalium ſtudio valde nobilitati: hi igitur ſuam theologiam tot mythis ſymbolisque intricatam reddiderunt, ut nulla ex univerſa antiquitate explicatu difficilior ſit. Verum haec ipſa theologiae forma exterior cum magna ſacrorum pompa multorumque rituum ſplendore conjuncta cultioribus demum gentis temporibus exſtitit, aeque ac ſubtilior illa ſapientia, qua se quondam

(1). Vid. in primis *La Croze, du Christianisme des Indes*, T. II. p. 220 et 259 ſqq., *Wagner's Ideën zu einer allgem. Mythol.*, p. 86., *Schlegel, über die Sprache und Weisheit der Indier*, p. 102 ſqq. et *Mythologie des Indous, par Mad. de Polier*, T. II. p. 662. —

(2). *La Croze*, ibid p. 301 ſqq.

(3). Lib. XV. p. 1039.

(4). *Hyde, de Relig. vet. Perſ.* Cap. I.

(5). *Millius*, in *Diſſertt. ſel.* p. 11.

(6). *L'Abbe Mignot.* T. XXXVI. de *l'Acad. des Inſcr. et B. L.* p. 30 ſqq.

(7). Vid. *Cudworthi Syst. intell.* I. p. 373 ſqq. et 682 ſqq. De Graecis etiam peculiariter haud pauca hanc in rem petantur ex *Wyttenbachii* disputatione a legati Stolpiani curatoribus praemio condecorata et A. 1780. edita, p. 7 ſqq.

Pars I. Cap. I. §. 2.

dam reddidere ſpectatiſſimos. Aderat illa certe ex parte jam Moſis, immo Joſephi patriarchae aetate, qua inſignem culturae gradum aſſecuti erant Aegyptii, uti colligitur ex Geneſeos et Exodi libris. Sed magis remotis ac minus cultis temporibus ſimpliciorem, purioremque iis fuiſſe religionem, atque adeo unius Dei fidem paulatim pluribus Diis adjectis et immenſa mythorum ac ſymbolorum farragine deturpatam fuiſſe, ex nonnullis indiciis haud fruſtra conficiatur (1).

Sinenſes vero, qui utrum Aegyptiorum coloni fuerint nec ne, ad nostrum inſtitutum perinde est, ſed quos mythis ſymbolisque magnopere delectari, et vetuſtiſſimae originis eſſe, nemo ignoret, hi ergo hoc ipſum ſuum ſtudium non contraxiſſe videntur niſi cum ipſo ingeniorum cultu increſcente, aut ex aliarum gentium imitatione aſſumſiſſe. Certe priscis temporibus unum eos Deum ſupremum coluiſſe, eumque non in templis, ſed ſub dio in locis editioribus ac ſimpliciſſima religione veneratos eſſe, quondam vero moralem philoſophiae partem fere unice attigiſſe, nec niſi ſeculo aerae Christianae X. et XI. de hujus univerſi origine curioſe inquirere ac disputare coepiſſe, a viro rerum Sinicarum peritiſſimo animadverſum est (2).

Haec et quaecumque alia de priscarum religionum de philoſophiae hiſtoria a nobis indagari potuere, nos quidem vetant dubitare, mythos ac ſymbola, quibus opiniones quaedam involutae fuerint antiquitus, ex religionum depravatione magis in prima ſua origine exſtitiſſe, quam ex rerum naturalium cauſarumque investigatione, quae ſerius demum a ſapientioribus inſtituta eſſe videatur: atque exiſtimamus adeo, homines, cum ſemel a ſimplici ac puro unius Dei cultu per increſcentem in dies ingeniorum perverſitatem deflexiſſent et in multos errores prolapſi eſſent, ſuas de religione opiniones variis exornaſſe imaginibus, quas eo plures ſuppeditaret ſermo, quo magis figuratus eſſet, et quas deinceps quibusdam formis ſymbolicis expreſſas oculis ſubjicerent, ſancta veneratione proſequendas; denique conſtituto ſemel mythico harum religionum ac ſymbolico habitu, exorſos postea ſuiſſe in gentibus nonnullis ſapientes, qui in iſtis errorum figmentis naturalium rerum, astronomicarum praeſertim, repreſentationes quaererent, atque invenirent; fere uti Stoicos antea §. 1. Obſ. 3. vidimus in Diis Homericis elementorum ſymbola conſpicientes, de quibus Homerus ipſe numquam cogitaſſet.

4. At quid igitur de *Cosmogoniis* dicemus, quae et multae et variae et plerisque ſummae antiquitatis gentibus communes fuerunt, et quas adeo pro mythis phi-

(1). *Cudworth.* ibid p. 498 ſqq. et *Jablonsk. Panth. Aegypt.* Prolegom. Cap. I.

(2). *Memoire ſur l'étude de la philoſophie chez les anciens Chinois, par M. de Guignes*, p. 273 – 276. T. XXXVIII. *de l'Acad. des Inſcr. et B. L.* Conf. etiam ejusdem viri commentatio, ſive *mémoire ſur la literature des Chinois*, ibid T. XXXVI. p. 198 et 199.

philoſophicis vetuſtiſſimus habere, ſive primis ſapientum de rerum origine inquiſitionibus tribuere oporteat? — De his ſummatim haec velim ut hoc loco teneantur.

Et principio quidem non agimus hic de ſubtilioribus placitis philosophicis, quae ad rerum ſpectarent originem; cujusmodi E. G. est illud, quod ſupra §. 1. Obſ. 3. ex Strabone notavimus de philoſopho quodam Phoenicum, qui ex atomis eam repeteret ante belli Trojani aetatem. Hujusmodi enim doctrinas non nascenti, ſed adultae jam philoſophiae nemo erit quin adſcripſerit, ac Phoenices conſtat perquam mature cultos fuiſſe. Agimus vero de qualicumque tandem rerum primum formatarum deſcriptione ſenſibus objecta et imaginum involucro repraeſentata, quam infans quaſi philoſophia produxiſſe et in qua primum ſuarum virium periculum fecisſe cenſetur: quamquam tamen eam, quae in nonnullis Cosmogoniis inſit, doctrinae ſubtilitatem rerumque naturalium peritiam minus probabiliter in ipſa jam philoſophiae infantia exſtitisſe cenſeri, ante monuimus §. 1. Obſ. 3.

Deinde vero notamus, non omnes has Cosmogonias aeque vetustas esſe. Sunt complures apud Indos, eaeque quo antiquiores, eo etiam ſimpliciores (1): quod profecto notabile est, atque haud obſcure arguit, hos earum primam ac ſimpliciſſimam non invenisſe ipſos, ſed ejus formam aliunde accepisſe, quam adeo mox ad ſuas opiniones accommodaverint, et ſubſequentibus aetatibus uberius amplificarint.

Praeterea variae variarum gentium antiquarum Cosmogoniae ita inter ſe ſunt conſimiles, ut, ſi ad diverſa tempora et diverſam, quam ipſae illae gentes ſingulae ſui propriam haberent, cogitandi ac loquendi rationem attendamus, haud improbabiliter judicemus, eas non ſingularum gentium peculiare fuiſſe inventum, ſed ab aliis ad alias devenisſe, omnes autem ex communi quodam fonte, quaſi rivulos, manasſe.

Denique, cum omnium priscarum Cosmogoniarum, quae innotuerint, longe ſimplicisſima ſit, quae in primo Geneſeos Capite continetur, ibi omnium illarum primum fontem par est ut quaeramus: quod cum dicimus, non hoc nobis volumus, ipſam illam creationis deſcriptionem, a Moſe aſſumtam et ſuis popularibus traditam, ex horum libris ad aliarum gentium notitiam pervenisſe, ſed rem ipſam ea, qua ibi hanc informatam conſpicimus, et quam primitiva ſua ſimplicitate ac puritate nobis transmiſerint Hebraei, ſpecie priscis in Oriente gentibus notisſimam fuisſe, diuturna traditione conſervatam, quaquaverſum ore propagatam, et a variis, quae eam deinceps reciperent, gentibus ſuo ſingulis modo ad ſuos uſus adaptatam ac transformatam. — Sed haec verbo jam notasſe ſufficiat. Alias hac de re

(1). Vid *Wagneri mythol.* ſupra allegata, p. 85 ſqq.

Part. I. C. I. §. 2, 3. re iterum agemus, Cap. 2. §. 2. et Cap. 3. ſub finem, et ſimul inquiremus, utrum Cosmogonia illa, quae Moſaica dici ſolet, philoſophematis adſcribenda ſit an ſecus.

§. 3.

Accedimus jam ad alterum, de quo inquirere volebamus, ſive ad prima hiſtoriarum initia apud gentes antiquas: ſed fore non dubitamus qui miretur, nos de re, quae in ſe evidentiſſima ſit, inquirere velle. Scilicet constare inter omnes, hiſtoriarum primordia apud priscas gentes quascumque mythica eſſe, eas enim arte ſcribendi necdum inventa aut ad publicos uſus introducta, ore ſolummodo eſſe traditas; traditione ſaepe res perverti, amplificari, exaggerari incredibilem in modum; priscum ſermonem fuiſſe verborum inopem, ſed translationum ac figurarum ditiſſimum; gentes denique nondum cultas per rerum naturalium cauſarumque ignorationem miraculorum ac portentorum monſtra ſibi fingere, quae posteri non coeca modo fide amplectantur, ſed quibus etiam alia addant ipſi; istis igitur auditionibus veri quidem ſubeſſe aliquid, ſed ab illis et ingenii et traditionis ornamentis probe ſecernendum. — Haec omnia magnam partem vera eſſe, minime negamus, neque ita tamen comparata eſſe arbitramur, ut nihil omnino excipi queat.

1. Fatemur utique, apud Graecos antiquiſſimae hiſtoriae origines fabulis ſive mythis involutas eſſe: neque enim *Kuinio* nos aſſentiri, eas omnes ad ſymbolicam Indorum rationem contorquenti, antea ſignificavimus §. 1. Obſ. 4. Itaque apud Graecos cum ſero demum introducta fuit ſcribendi ars, tum maxime res memoria hominum traditae carminibus prius celebrabantur quam aliquis exſisteret ſcriptor hiſtoricus. Jam vero, cum poëſeos ſit res ornare atque exaggerare omnibusque modis admirationem movere, cumque Graeci ingenio eſſent vividi ac fictionum et mirabilium fabularum amantiſſimi, hinc ingens iſta apud eos cernitur fabularum multitudo, quarum quaſi ſplendidis vinculis priscae eorum res difficulter expediantur, ut ad ſimplicem hiſtoriae veritatem revocentur. Sed quod ab Heynio ejusque imitatoribus Graecorum exemplum ita proponitur, ut ex eo de aliis quibuscumque gentibus judicium faciendum ſit, id haud ſcio an omnino valere merito cenſeatur. Quid enim? An omnibus gentibus antiquis aeque ac Graecis illis poëtae fuere, qui tempora hiſtoriae anteriora occuparent, idemque etiam incredibilium fictionum amor? Indorum primas res fabulis ipſi etiam poëtae vehementer implicuerunt deformarumque (1): verum an ceteris ſine diſcrimi-

(1). *Le Christianisme des Indes par la Croze*, II. p. 285 ſq. et 329.

mine gentibus idem accidisse opinemur? Quinam ergo poëtae fuere, qui sive Aegyptiorum, sive Sinensium, sive Assyriorum, sive Romanorum, seu Persarum denique, quamvis recentioribus temporibus poëseos studio clarissimorum, priscas res carminibus traderent priusquam vera existeret historia (1)? Hunc quidem res, maxime memorabiles visas, carminibus describendi et ab interitu vindicandi morem constat apud priscos Arabes obtinuisse: sed horum exemplum tantum abest ut exemplum a Graecis petitum confirmet, ut contra haud parum illud infringat. Etenim quae vulgata sunt carmina huc spectantia, qualia sunt in *Monumentis vetustioribus Arabiae* ab *A. Schultensio* editis, et nonnulla etiam in *Excerptis Hamasae*, ea, quamvis spiritu vere Orientali concepta et cum prisci sermonis indole congruentia, nihil tamen prorsus habent de mythica ista ratione et miraculosa specie, quae, quod in Homero aliisque Graecae antiquitatis poëtis conspicitur, ideo universae antiquitati communis fuisse perperam a multis judicatur. Part. I. Cap. I. §. 8.

2. Veremur admodum, ne et traditionum fallaciis et prisco ac rudiori sermoni et portentorum amori adscribatur nimio plus quam deceat. Nam, ut exemplum petamus a celebrioribus gentibus Americanis, habent Mexicani traditiones ad suam originem spectantes, quas, quantumvis pro sermonis ac gentis indole imperfectas satis tamen accuratas esse ac fide dignissimas, arbitratur, hujus rei judex, perquam idoneus *Robertsonus* (2). Peruviani autem tradunt, se, postquam diu brutorum magis quam hominum more vixissent, ex hac vitae feritate avocatos fuisse a viro quodam ac foemina, quorum ille *Manco Capac* vocaretur, haec *Mama Ocollo*, quique se a sole progenitos atque a benevolo suo patre missos esse dictitarent (3). Hoc igitur quin ex vero tradiderint Peruviani, nullum est dubium, cum notum sit, in veteri etiam orbe legislatores gentiumque sive instauratores seu conditores fuisse, qui, quo majorem haberent vim in animis hominum, se divinitus missos esse perhiberent. Ceterum in omnibus, quae de his Peruvianae gentis doctoribus ex traditione retulit Robertsonus, nihil inest portentosi aut a verisimilitudine alieni, fed sunt ea tam in se probabilia, ut fidem plane mereantur: nam perquam leve est, cumque ferorum hominum, qui nil umquam illustribus illis conjugibus, ex quacumque tandem cultioris orbis parte ad se delatis, si-

(1). Habent Persae, fateor, suum, *Ferdusium*, poëtam nobilissimum, qui in opere, *Schahnameh* dicto, fusius celebravit antiquas suae gentis res, et quasi mythicam earum conscripsit historiam. Verum hic recentioris est aetatis et priscis Persarum annalibus scriptis longe posterior: mortuus enim est anno Hegirae 411., sive aerae Christianae 1020. Vid de eo ejusque poëmate *Herbelotus* in *Biblioth. Orient.* voce *Ferdousi*, *Schahnameh*, et *Asedi*.

(2). *Histor. Americ.* T. II. p. 68. vers. Belg.

(3). Ibid. III. 278 sq.

Pars I. Cap. 1. §. 3.

simile vidisſent, ſenſum convenientisſimum, quod istos ſuos conditores primum ſe decoro habitu atque illustriori forma conſpiciendos dediſſe narraverint; fere uti cum a Mexicanis, tum vero ab iisdem Peruvianis jam cultioribus aliquid mox tribuebatur Hispanis homine majus excellentiusque, ideo quod eos et alio, atque cui ipſi aſſueti eſſent, habitu inſignes, et ſibi multo ſuperiores eſſe animadverterent (1).

Praeterea notari cupimus, haud exiguae traditionum ore diu propagatarum fidei atque auctoritatis exemplum praebere eosdem illos Arabes, de quorum antiquis hiſtorici argumenti carminibus minime mythicis obſervatione ſuperiori diximus, quique res, quarum ſua maxime interesſet, ac tabulas praeſertim genealogicas ſumma cura memoriae mandabant posterisque tradebant (2): quibus in rebus tradendis quam et veritatis et ſimplicitatis ſtudioſi eſſent, patet ex iis, quae de vetustisſimis Joctanidarum in Arabia Felice degentium hiſtoriis edidit *A. Schultenſius*. Sunt ea quidem manca omninoque imperfecta, atque ab accurata abſolutae hiſtoriae compoſitione longisſime abſunt: at in iis tamen, ſi a perpaucis discesſeris, vix aliquid reperias, quod a veriſimilitudine abhorreat, ac nulla adeo portenta, nullas Deorum aliarumve perſonarum coelestium apparitiones, nihilque, quod quodammodo comparandum ſit cum mythicis Graecorum temporibus, qualia a poëtis informata fuerunt. Atque hoc eo magis notabile est, quo conſtat magis, vividum fuisſe omni aevo Arabum ingenium, et recentioribus certe temporibus, uti alio loco videbimus, ad fabuloſa quaevis vehementer propenſum.

Denique apud *ipſos* etiam Graecos antiquos quam verae fuerint ac fide dignae nonnullae traditiones avitae, vel ex ipſo *Homero* aeſtimare poſſe mihi videor, qui quamvis fictionum, quas partim ab anterioribus poëtis accepisſet, partim ipſe invenisſet, copia abundans, nihilominus cum de perſonis, tum de rebus ad bellum Trojanum, cui aetate multo posterior esſet (3), ſpectantibus ſic expoſuit, ut hiſtoricas quasdam traditiones, easque minime incertas, ſecutus esſe videatur. Recte enim *Lactantius:* „ non res ipſas gestas, inquit, finxerunt poëtae, ſed rebus gestis addiderunt quemdam colorem" (4).

3. Quo autem melius illud, quod de mythicis hiſtoriae primordiis ponitur, illustremus, quantum et in nobis est et cum nostro inſtituto conjunctum: age, videamus, quae ratio fuerit mythicorum, quae dicuntur, temporum apud alias quasdam vetustatis gentes celebriores. Pri-

(1). p. 84 et 287. coll. p. 301. not.

(2). Vid. *Eichhornii monumenta histor. antiq.* Arab. *Arab.* §. 6-13.

(3). Secundum marmora Oxonienſia floruit annis 302 post Trojam captam, ſed in vita Homeri, quae Herodoto adſcribitur, bello Trojano annis 168 posterior fuisſe dicitur ſub finem. Alias ſententias retulit *Marshamus* in *Can. Chron.* p. 437 ſq.

(4). *De fals Rel.* Lib. I. Cap. 11. med. qui totus locus legi meretur.

Prima igitur hiſtoriae Romanae initia partim incerta, immo nonnihil fabuloſa eſſe novimus: ſed ecquis in rebus cum Romanorum, tum Graecorum mediocriter verſatus non conſentiat nobiscum, ingens in ipſa priscarum rerum relatione inter utrosque discrimen eſſe, idque ex eo utique petendum praeſertim, quod, uti jam prima obſervatione indicavimus, illis defuere poëtae, qui aeque ac apud hos earum rerum plerasque miraculi quadam ſpecie ad oblectandum ac movendum comparata repraeſentarent.

De Indis vero, quos ſupra etiam leviter attigimus, hoc monitum volumus, vix ac ne vix quidem ex eorum libris adhuc cognitis judicari, qualia apud hos fuerint hiſtoriae initia. Quamquam enim eſſe ſcio, qui ſummam Indorum et culturae et libris tribuant antiquitatem (1), longe tamen mihi veriſimilior eorum videtur ſententia, qui ipſius Indorum culturae initia ad minus vetuſtam revocant aetatem, ac *Buddam* ſive *Buttam*, uti a *Clemente Alexandrino* appellatur (2), virum in horum hiſtoria nobiliſſimum artiumque ac disciplinarum apud eos auctorem et conditorem, natum demum eſſe existiment anno ante aeram Christianam 683. (3). Eorumdem vero libros multo recentioris eſſe aetatis, quam quae iis ab ipſis tribuatur, cum aliunde (4), tum ex eo praeſertim conficitur, quod cognitae non Judaicae modo (5), ſed Christianae etiam (6) religionis manifesta in iis vestigia conſpiciuntur. Ita, ut hoc utar, cum idem de nato *Chrisna* ſuo perhibeant, quod de nostra religionis Conditore refertur in hiſtoria Euangelica, dubitare vix licet, quin id ex hac deſumſerint, et ad ſuos uſus converſerint: nam vocabula *Chrisna* et *Christus* tam ſunt inter ſe conſimilia, ut illud ab hoc, certiſſime Graeco et ex Hebraico משיח converſo, petitum eſſe merito cenſeatur; ex quo, ut hoc obiter moneam, patet, quam infelix ſit *Kannii* hac de re judicium, ante memoratum Prolegom. Cap. 2. §. 4. Obſ. 1. extr. — Ceterum, quod idonco etiam loco notaſſe haud ſupervacaneum ducimus, ſtupendos Indorum calculos chronologicos mere eſſe ficticios et ad arbitrariam quamdam rationem in-

(1). Huc pertinent *Anquetilius* in prolegom. ad opus Indicum, quod inſcribitur *Oupnek'hat*, p. 7. et *Joneſius* in praef. ad codicem legum Indicarum in Germanicam linguam ex Anglica converſum hoc titulo *Hindu Geſetzbuch* (Weimar 1797.) p. 13 - 16. Conf. etiam liber qui inſcribitur *Mythologie des Indous, par Mad. de Polier*, T. I. p. 93 ſqq.

(2). *Stromat.* Lib. I. p. 305. B.

(3). *Recherches ſur les philoſophes appellés Samanéens, par Mr. de Guignes. Acad. des Inſcr. et B. L.* T. XXVI. p. 780. et *Ezour Vedam, Obſerv. prélimin.* p. 70 et 80.

(4). *Réflexions ſur un livre Indien, intitulé Bagavadam, par Mr. de Guignes. Acad. des Inſcr. et B. L.* T. XXXVIII.

(5). *Ezour Vedam*, l. l. p. 80 - 84. — (6). Ibid. p. 94 - 98. et *Meinerſii hiſtor. doctr. de vero Deo*, p. 131.

Pars I. Cap. I. §. 3.

inſtitutos, ita perſpicuum fecit *Sonneratus*, ut de eo nullum amplius dubium ſuperesſe queat (1). — Haec ergo cum ita ſint, ſatis fidenter affirmare poſſe mihi videor, Indorum tempora mythica, ad incredibilem antiquitatem pertingentia, vix ad nos attinere, cum mera ſint pleraque variarum aetatum ſeriorum commenta, ad fictos calculos astronomicos ac rationes ſymbolicas ſive allegoricas redacta, quibus mox mundi cujusdam, quem *ſupranaturalem* ſive *ſpiritualem* vocant, hiſtoria narretur cum aſſumtis diverſarum gentium opinionibus theologicis commixta, et deinceps magis magisque cum hujus terrae rebus copulata (2): ſic ut, perpaucis dumtaxat exceptis, quidquid in libris referatur Indorum, non in rerum natura, ſed in horum dumtaxat cerebro exſtitisſe videatur.

Habent porro Sinenſes libros, quibus ſuam hiſtoriam ad ipſa gentis initia perduxerunt. Horum utique plane alia est ratio atque illorum librorum Indicorum. At, quamquam eorum et Chronologia vehementer confuſa ac turbata est, et vetustisſima hiſtoria ſerius demum perſcripta videtur fuisſe (3), nihilominus ne antiquisſimarum quidem rerum relatio mythis plena est Homericorum illorum ſimilibus, immo nullos plane habent mythos, niſi quales ſunt in prima hiſtoria Romanorum, atque adeo paucisſimos (4).

Propius ad mythicam Graecorum rationem accedunt domesticae Perſarum de priscis ſuis temporibus relationes; in quibus E. G. Dii, Semidei ac Daemones compareant, quibuscum primi principes conflictati ſint (5): verum, praeterquam quod haud levis est iſtarum fabularum cum Indicis convenientia, justa est dubitandi cauſa, omnes eas ſive ex ipſis Perſarum annalibus hiſtoricis, ſeu ex avitis traditionibus hauſtas esſe, cum vel optimi horum ſcriptores, qui innotuerint, Mohammedis aevo ſint posteriores, ac ſubjugatae per Mohammedanos Perſiae calamitas

(1). Vid. ejus *Itinerar. Ind. et Sin.* T. II. p. 137 – 149. verſ. Belg, quocum conf. egregium opus, quod inſcribitur: *Geſchichte der Erde und des Menſchengeſchlechtes nach der Bibel, von Phil. Howard* (*Hanover* 1799.) p. 184 – 186, et not. ad librum *Ezour Vedam*, T. II. p. 212 – 219., ubi p. 216. animadvertitur, Brachmanorum doctiores parum fidei tribuere fabuloſae popularium ſuorum chronologiae.

(2). *Mythol. des Indous*, T. II. Cap. 18.

(3). Vid. *Examen crit. des annales Chin. par Mr. de Guignes.* T. XXXVI. *de l'Acad. des Inſcr. et B. L.*

(4). *De Guignes*, l. l. p. 182. Conferri poſſunt *Abdallae Beidavec hiſt. Sin.* p. 16 ſqq., *Hiſtor. univers.* ab eruditis Anglis conſcripta, T. XVII. p. 707. verſ. Belg., et *excerpta ex hiſtoricis Sin.* nobiliſſimo operi Gallico *de origine legum, artium ac doctrinarum* ſubjecta.

(5). *Réflexions ſur l'utilité, que l'on peut rétirer de la lecture des Ecrivains Orientaux, par Mr. Anquetil.* T. XXXV. *de l'Acad. des Inſcr. et B. L.*, praeſertim p. 152. et *Richardſon, über die Sprachen, Literatur und Gebrauche morgenl. Völker*, p. 80.

tas vetustis, quae in ea ferrentur, monumentis perquam exitiosa fuerit (1). Certe ex omnibus Orientis gentibus nulla est Graecis vivido et ad fabulas propenso ingenio similior.

Postremo, ne longius excurramus, minime diffitemur, priscas multarum veterum gentium res, de quibus Graeci scriptores retulerint, et incertissimas esse, et admixtis mythologiae figmentis vehementer obscuratas valdeque impeditas, ut adeo de harum enarrandarum difficultate merito *Diodorus Siculus* quereretur (2): attamen generalem illam rationem primas res historicas prodigii in modum exornandi, qualem secutus est Homerus, frustra ubique quaesieris; et ne *Ctesiae* quidem relationes de antiquissimis Assyriorum rebus conscriptae, quamvis fidem superantes, aut certe magnopere ita exaggeratae, ut ex plurimorum judicio habeantur in numero fabularum; hae igitur ne ipsae quidem plenae sunt miraculorum, Deosve advocant semper praesentissimos.

CAPUT SECUNDUM.

De jure, quo ex generali, qui antiquis gentibus quibuscumque adscribitur, Mythorum usu conficiatur, eumdem apud Hebraeos etiam omnino obtinuisse.

Quae hactenus disputavimus de generali, qui antiquitati adscribitur, mythorum usu ejusque ratione, his illud nobis effecisse videmur, ut pateat, eum non ita plane comparatum esse, uti volunt quotquot communi ejus consortio Hebraeos etiam comprehendendos esse decrevere. Sed, his jam sepositis, videamus, quo jure idem propterea Hebraeis adscribatur quod alibi vulgo obtinuerit.

§. 1.

Ut autem a *Mythis historicis* incipiamus, generatim valere volunt quod *Varro* tria discrimina temporum esse tradit (3): „ primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem (4), quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον (*incertum*); se-

(1). Non diffitetur hoc ipse *Richardsonus*, p. 75., etsi horum scriptorum auctoritatem non omnino respuit.

(2). Lib. IV. initio.

(3). Op. I. in fragmentis, p. 369. Edit. Bipont., ex *Censorino de die natali*, Cap. 21.

(4). Hunc, uti deinceps notat Censorinus, *Ogygium* dicunt; atque hoc diluvium Deucalioneo est tempore prius.

Pars I. Cap. II. §. 1. secundum, a cataclysmo priore ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν (*fabulosum*) nominatur; tertium a prima olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικὸν (*historicum*), quia res in eo gestae veris historiis continentur."

1. Hanc igitur distinctionem de Graecorum temporibus verisimam esse, nemo negaverit: ac de Graecorum tantummodo temporibus locutum esse Varronem, aut certe ad solos spectasse scriptores Graecos, qui de suis aliarumque gentium rebus retulerint, et quibus solis uti solerent Romani Varronis aetate, non opus est ut demonstremus. — At valeat haec distinctio de ceteris gentibus priscis: de Hebraea valere omnino non potest. Ponamus enim paulisper, sua quoque Hebraeis tempora mythica fuisse, mirum profecto accidat, his mythicis temporibus non anteriora fuisse ἄδηλα, *obscura*, *incerta*, de quibus nihil prorsus ne per fabulosam quidem traditionem constaret. Hujusmodi tempora incerta apud alias omnes gentes revera ponuntur. Sed cur, quaeso, est quod apud Hebraeos solos non reperiantur? De primis quidem illis generis humani temporibus haud adeo multa exstant in scriptis Hebraeorum, eaque non enucleate, ab omnibusve partibus absolute tradita, in quibus adeo nil sit quod desideres. Verum unde tamen est, quod, ubi nos penitus destituunt aliarum gentium quarumcumque scriptores, ibi in solis istis Hebraeorum scriptis ea inveniamus, quae nos ad omnium gentium antiquitus cognitarum origines, immo ad communem etiam singularum stirpem quasi manu deducant? Quod si vel mythicam nonnullarum rerum in iis relatarum interpretationem admitteremus, remanerent nihilominus ejusmodi simplicissimae de variarum gentium origine relationes, quae aliunde luculenter confirmarentur. Verbo; per ipsa illa scripta Hebraeorum admirabilis quaedam lux accenditur, quae remotissimarum temporum obscuritatem feliciter illustret: sine his vero in densissimis ubique tenebris per plurima secula oberremus, donec tandem in variis terrae partibus gentes conspiciamus coelitus quasi delapsas, quarum pleraeque unde advenerint, ne ipsae quidem scivisse videantur.

2. Deinde et hoc quoque dignum est animadversione, quod, qui Hebraeis adscribantur mythi, post Mosis demum aetatem, Josuae nimirum et praesertim Judicum temporibus, vere scilicet heroicis, multo plures quam antea compareant. Quod si enim de Hebraeis omni sua vi valeat illa Varronis distinctio, ut apud hos id obtinuerit, quod de Graecis merito statuitur, tunc vero tempora illorum heroica, sive maxime mythica, multo incipiant serius quam consentaneum sit. Scilicet apud Graecos incipiunt ante historiam quadam temporum serie deductam; apud Hebraeos contra cum ipsa historia, quae a Mose demum ordiatur: et convenientius adeo ista tempora Mosem praecessisse, quam ut ante hujus aetatem con-

conditores gentis deſcriberentur pastores, ſive homines tam vitae genere quam moribus perquam ſimplices, et Graecorum heroibus diſſimillimi (1). In genere autem notabile est, mythos multo minore numero peti ex S. C. ſcriptis antiquioribus quam ex minus antiquis, atque Eliae, E. G. et Eliſaei, immo vero recentiorem etiam Danielis hiſtoriam magis mythicam debere videri, quam patriarchalem, cum tamen apud alias gentes mythi hiſtorici ponantur frequentiores antiquis aetatibus et cum tempore rariores. Pars I. Cap. II. §. 1.

3. Atque ex eo ipſo aliud proferre posſumus, idque non leve alias gentes inter et Hebraeam diſcrimen, quod tempora mythica, ſi huic attribuantur, non dicam post ſcripturae uſum, ſed diu etiam postea durarunt quam hiſtoriae publicis literis coeptae fuerant conſignari. Scilicet mythicae illae aliis gentibus uſitatae relationes tum ſinem habuiſſe cenſentur, cum introducto ſcripturae uſu exſtisterent, qui ipſa facta, literis conſignata, non autem ore tantum tradita, posteritati mandarent. Sed quid ergo est causſae, quod idem apud Hebraeos non acciderit. Horum enim mythi non ex iis dumtaxat proferuntur temporibus, quibus nulla ſcriptura in uſu ſumitur fuiſſe, ſed ex iis etiam, quibus eam jamdudum fuiſſe uſitatam vix dubitetur, immo ex iis ipſis temporibus, quibus hiſtoricos fuiſſe ſcriptores Hebraeis, nemo umquam diffiteatur. Nam, ne de Abrahami aetate quid dicamus, Moſis certe aevo jamdudum illa in uſu erat, et, ut tempora interjecta mittamus, ſaepe uberiores regum Judaicorum atque Israëliticorum annales memorantur in libris qui etiamnum ſuperſunt, cum tamen ex plurimorum ſententia ne hoc quidem ſeriore tempore, quo hiſtorias perſcriptas fuiſſe certum est, mythi deſierint apud Hebraeos.

4. Sed cum longe etiam ulterius progrediantur permulti, ac mythos in ipſis N. T. libris hiſtoricis quaerere jubeant, eo aliquid ponunt iis, quae jam attigimus, magis ſingulare. Enimvero quid effecerit, ut quae mythica hiſtoriarum ratio magis magisque circiter exilii Babylonici tempora imminueretur, et cujus nec vola nec vestigium conſpiceretur in Esrae ac Nehemiae libris post reditum ab exilio conſcriptis, eadem, Christi et Apostolorum aetate longe recentiori, priſtinum ſuum vigorem recuperaverit et quaſi dudum mortua revixerit tandem ſui ſimillima? Nam interjecto toto illo, quod inde ab Esrae ac Nehemiae aetate effluxit, temporis intervallo nulli ſunt Judaeorum libri hiſtorici in Sacrum Canonem recepti: et qui ſolus eximiam habet auctoritatis hiſtoricae commendationem, primus liber Maccabaeorum, hic quantumvis in rebus deſcribendis verſetur graviſſimis et ad animos movendos quam plurimum comparatis, nihil tamen continet quod magis a conſueto rerum curſu recedat, quam quae in Esrae ac Nehemiae ſcriptis referuntur.

5. Fue-

(1). Vid. *Heſſ.*, *Biblioth. der Heil. Geſch.* II. p. 197 ſqq.

Pars I. Cap. II. §. 1.

5. Fuerunt omnino, qui de diuturno hoc mythorum apud Hebraeos usu tuendo et cum eorum definitione componendo consulerent, ne sibi non in eo constare viderentur, quod, cum mythos dicerent antiquorum et veris historiis anteriorum temporum esse proprios, vel sic tamen posteriorum temporum relationes quam plurimas mythice accipiendas esse judicarent. Hujus igitur inconcinnitatis in vocabulo praeter definitum usum adhibendo positae invidiam ut a se repellerent, posse ampliori sensu illas etiam historias mythicas vocari monuerunt, quae eo ipso tempore, quo historia jamdudum perscripta fuerit, ore vulgi propagarentur (1), immo recentem quidem esse Religionis Christianae originem, si cum Mosaica comparetur, sed hujus, qua vivimus, aetatis habita ratione valde antiquam, atque adeo relationes de Jesu vita rebusque gestis, ore antea traditas et in miraculi speciem transformatas quam conscriberentur, summo jure *mythicas* vocari (2). Verum enimvero haud scio an hoc habendum sit pro mero effugio. Certe isto modo vocabuli usus multo profertur latius, quam ejus quasi auctor atque inventor *Heynius* praescripserat, et ipsius rei hoc vocabulo primum significatae natura haud parum immutatur: satiusque fuisset adeo in ejus locum substituere *auditionis*, sive traditionis incertae fabulisque simillimae vocabulum, aut aliud tandem quodcumque convenientius.

6. Itaque primitivi usus observantiores sunt omnino ii, qui mythos in solis quaerunt Pentateuchi partibus antiquissimis: quamquam tamen, si de re ipsa, non item de nomine quaeramus, neque hi ab omni parte sibi constare videantur, cum in eadem, quam prae se ferant omnium fere aetatum Libri historici Sacri ratione narrandi non eamdem sequantur interpretandi rationem. Quid enim? An narrandi modus, qui in universo libro Geneseos et in primis praesertim Capitibus animadvertitur, tam plane diversus est ab eo qui posterioribus, ipsisque Christi et Apostolorum temporibus obtinuit, ut ea diversitas ad diversam interpretandi rationem omnino confugere jubeat? Nonne, quidquid est discriminis, hujus caussa multo aptius quaeratur in dicendi genere antiquiori, eoque magis et imperfecto et inconcinno et figurato? Qua igitur in re minus extraordinaria sunt quae de Bileamo, de Simsone, de Elia memorantur, quam quae de primis nostris parentibus, de Noacho, de Abrahamo? Quod si Dei Angelorumve apparitiones in Patriarcharum historia relatae non re ipsa accidisse censeantur, quia in se non veri sint similes ac speciem gerant mythorum, an consentaneum sit eas in Christi et Apostolorum

(1). *Schellingius* in *Pauli Memorab.* V. p. 2. in not.: ac *Meyerus* quoque in *tentam.* German. *Hermeneuticae V. T.* II. p. 303. latius extendi et posse et deberi mythorum usum monuit. Conf. etiam *Bauerus* in *Mythol. Hebr.* I. 39 sqq.

(2). Vid. *Gableri annal. selectae literat. theol.* II. 1. p. 48 sqq.

tolorum hiſtoria mythorum loco non habere? — Equidem, ſi mythicam qualemcunque interpretationem admitterem in C. S., hanc ubique arbitrarer admittendam eſſe propter aequabilem illam narrandi rationem, quam in Sacris nostris variarum aetatum ſcriptis hiſtoricis video obtinere: ac mihi perſuaſiſſimum est, eam ſemel ad antiquiſſimas relationes adhibitam certis justisque ſuis terminis definiri non poſſe aut deſcribi, quibus, quousque ei progredi liceat, et ubi adeo valeat, ubi non item, probabiliter declaretur. Novi quidem, aliquod peti praeſidium ex diuturna iſtarum relationum traditione ore longe prius facta quam eaedem ſcriptis mandarentur: ſed quodcumque tandem in eo inſit roboris, de quo inquiremus in primo Capite Partis posterioris, hoc utique aliquod cenſeri poſſet afferre ad mythicam earum interpretationem ſuadendam momentum, niſi in ipſa perſcriptae apud Hebraeos hiſtoriae aetate conſimilis narrandi modus identidem obſervaretur. Parr I. C. II. §. 1, c.

§. 2.

Quae hactenus diximus de mythorum hiſtoricorum uſu Hebraeis minus probabiliter ad aliarum gentium exemplum adſcripto, haec jam arguant quodammodo, quam debili fundamento innitatur adſcriptus Hebraeis *Mythorum philoſophicorum*, ſive *Philoſophematum* uſus. Cum enim praeter omnem veriſimilitudinem tempora mythica iis attribuantur, minus quoque veriſimile videtur, eos philoſophemata ſuis inſeruiſſe hiſtoriis Sacris, ſed probabile est, quidquid ut vere factum in iis referant, hoc primos harum relationum auctores vere fuiſſe factum et credidiſſe ipſos et ut alii crederent voluiſſe, atque adeo mythos ſive onmino, ſeu partim philoſophicos in iis non quaerendos eſſe. At operae tamen pretium nos ſperamus facturos, ſi de nonnullis Libri Geneſeos relationibus, quae non pro hiſtoriis, ſed pro meris philoſophematis habentur, peculiariter inquiremus.

1. Itaque cum et creati orbis et introductorum inter homines variorum malorum hiſtoriae Moſaicae ad philoſophemata prisci aevi referantur, nos quidem non videmus, quo probabili modo in tam remota antiquitate, quam cui istorum philoſophematum inventio adſcribenda ſit, jam tanta vis ponatur fuiſſe philoſophiae, ut et de rerum adſpectabilium et de vitii malorumque origine non inquiſiverit modo, ſed periculum etiam fecerit utramque quaſi vulgi oculis ſubjiciendi. Quod ſi enim, uti Cap. 1. §. 1. Obſ. 3. monuimus, tam curioſa naturae et causſarum investigatio, qualem aetati, quae Homero anterior fuerit, adjudicavit Heynius, prisco illi Graecorum aevo minus convenienter adſcribatur, deceatne eam aevo longe remotiori minusque culto fidenter adjudicare? Enimvero inſunt in utroque documento Moſaico alte impreſſa ſummae et ipſi Moſi multo anterioris antiquita-

Pars I. Cap. II. §. 2.

tis vestigia; immo etiam spirat manifesto utrumque ipsam generis humani infantiam: at spirat tamen illud quod de origine est hujus orbis mundive tantam ex ipsa, ut ita dicam, infantili simplicitate sublimitatem, tantamque majestatem, ut omnes aliarum gentium Cosmogonias incomparabili sua praestantia longissime superet. Jam vero estne credibile res creatas tam probabili tamque concinno ordine proponi potuisse ab iis, qui de rerum naturalium scientia perparum callerent? Estne credibile, priscos homines jam ad hanc se efferre potuisse magnificam Creatoris notionem, ut ipsum et omnia solo mandato formasse, et quae formasset omnia, ut bona approbasse, diserte significarent? Estne credibile igitur, illud, ut et quod proxime ei subjungitur primaevae antiquitatis documentum cum natura humana eximie conveniens (1), merum fuisse nascentis philosophiae tentamen? Profecto, priusquam quocumque tandem modo homines de rerum, quas conspicerent, ac de peccati malorumque, quibus affligerentur, prima origine philosophari, et egregie quidem pro aetatis ingenio captuque, sola, uti sumitur, ratione duce, philosophari discerent, oportebat, ut ad multo majorem mentis culturam pervenissent, quam quae priscorum temporum hominibus adscribatur. Alioqui philosophia, rerum causarumque diligentissima, neque prorsus infelix indagatrix, jam in ipsa rudiori generis humani infantia haud exiguos, immo stupendos progressus fecisse censenda esset, infantibusque adeo attribuendum, quod ne vix quidem maturiori aetati convenire videretur. — Quod enim haud pauci quondam fuere, qui quamquam non eo utique consilio, ut philosophematum inventum commendarent, sibi plane ignotum, non Abrahamum modo, sed Noachum, sed Adamum ipsum pro philosophis haberent omnium artium ac disciplinarum eximie peritis (2), istiusmodi a Rabbinico ingenio profectum commentum nemo erit hodieque paulo prudentior, quin risu potius quam refutatione dignum arbitretur.

2. Minus probabiliter ista, quae sumuntur, philosophemata sapientioribus quibusdam viris ex ipsa gente Hebraea ejusve proavis adscribantur (3). Nam, praeterquam quod, uti modo vidimus, et deinceps iterum animadvertemus, insita habent multo majoris antiquitatis indicia, non incertum est, neque in opinione conjecturave positum, numquam apud veteres Hebraeos, ac ne cultissimis quidem temporibus, ejusmodi philosophiae studium viguisse, quae curiose de rerum quarumcumque maxime abstrusarum caussis inquireret. Immo vero priscos Hebrae-

(1). *Toblerus* (*Anmerk. zur Ehre der Bib.* I. p. 86 – 88.) recte animadverit, vix fieri potuisse, ut huic simile quid umquam confingeretur.

(2). Vid. *Buddaei Introd. ad hist. Philos. Hebr.* §. 1, 6, 8. coll. *Fabric. Cod. Pseudopigr.* V. T. P. I. p. 1 – 34, 263, 264, 350 – 390.

(3). Ita *Schusterus* in libello Germanico: *Die ältesten Sagen der Bibel*, p. 9.

braeos numquam philoſophiae laude inclaruiſſe, certiſſimum est, et qui ex iis hac laude plurimum excelluit Salomo rex, hujus philoſophia et in rerum naturalium ubique obviarum amplisſima notitia cernebatur (1), et in praeclara vitae morumque doctrina dictis praeſertim acutis ac ſententioſis tradita (2), minime vero in ſubtiliori inquiſitione atque expoſitione eorum, quae ſive ad hujus mundi, ſeu ad vitii malorumque humanorum primam originem eruendam pertinerent (3). — Est porro carmen quoddam Hebraeorum philoſophicum, Salomonis circiter aevo compoſitum, et Aſapho adſcriptum, ſive Pſalm. LXXIII., quo inquiritur de causſis, ob quas Deus interdum permitteret, ut malis bene eveniret: immo est integer Jobi liber longioris cujusdam parabolae forma elaboratus, uti diximus in Prolegom. Cap. 2. §. 1., a nonnullis Hebraeo cuidam, qui ante Moſem vixerit, auctori adſcriptus, quo disputatur de causſis, ob quas viro probo mala interdum evenirent ſolito graviora, quique adeo pro valde remotae antiquitatis *Theodicea*, quam vocant, habeatur. Verum enimvero utrumque hoc ſcriptum philoſophicum in argumento verſatur, cui disceptando ipſa ea, quae bonis bene, malis male plerumque evenire docebat experientia eo faciliorem praebebat occaſionem Hebraeis, quo magis recepta erat ac divinitus etiam variis modis inculcata eorum perſuaſio, decere ut ita eveniret. Sed quod ad modum attinet, quo vel praeſens rerum adſpectabilium ordo exſtiterit, vel malis quam plurimis obnoxii facti ſint homines univerſi: de hoc argumento minus cum quotidiana experientia conjuncto numquam data opera inquiſivisſe animadvertuntur Hebraeorum ſapientes, et ne a ficticio quidem ſuo ac mythico iſto, quo prisca aetate obtectum fuisſe ponitur, involucro liberasſe. Quid? quod nihil est, quo vel levisſima ſuspicio injiciatur, ea, quae in Geneſeos libro de hujus Orbis formatione hominibusque ex primitivo integritatis ac felicitatis ſtatu in vitium et quascumque aerumnas delapſis referantur, alio atque hiſtorico ſenſu a veteribus Hebraeis umquam accepta fuisſe. Et habent omnino haec, quae ad primos noſtros parentes pertinent, rationem aeque hiſtoricam ac alia plura, ad eosdem pertinentia, quibuscum proxime junguntur (4): et illam creationis deſcriptionem haud aliter intellectam esſe, quam ſi quid vere hiſtorici contineret, cum aliunde colligatur et ex ipſis poëtarum locis, in quibus ea partim amplificatur atque exornatur aut ad eam alluditur, tum

Part I. Cap. II. §. 8.

(1). 1 Reg. IV. 33. — (2). Ibid. vs. 32.

(3). In ipſo *Eccleſiastes* libro; ſive viro cuidam divino ſerioris aetatis, qui Salomonem induxerit loquentem, ſeu ipſi Salomoni adſcribatur: in hoc igitur libro, quantumvis aliquam habente rationem philoſophicam, nihil tamen reperiatur de ejusmodi disquiſitionibus ſubtilioribus, de quibus hoc loco agimus.

(4). Vid. *Herderi Epistolae ad Studium Theol. Spectantes.* T. I. p. 15 ſqq. edit. German.

Pars 1. c. II. §. 2, 3. tum maxime ex Decalogi praecepto, quod est de Sabbathi observatione. Hoc enim praeceptum fere solum eos, qui decalogum habent pro lege divina et ab ipso Numine promulgata, cohibeat, ne istam descriptionem in philosophema transmutent, sive in merum humanae opinionis commentum, ex quo et legem de suo cultu sanctissimam, et gravissimum hujus momentum ipse Deus desumsisse censeatur. — 3. Tametsi vero ejusmodi philosophemata, sive mythos philosophicos temere assumi nulli dubitamus, esse tamen quaedam in C. S., quae, non historiae quidem speciem mentita, sed philosophematum nomine insignita, sine ulla dubitatione isto nomine admitti queant, lubentissime agnoscimus. Scilicet frequentissime in Scriptis Sacris memoratur Regio mortuorum, eaque describitur convenienter partim cum vulgi opinionibus, partim cum sapientum doctrinis in Oriente, praesertim in *Aegypto*: quas ergo descriptiones si quis novo *philosophematum* aut *mythorum philosophicorum* vocabulo designare malit, ad rem ipsam perinde est. In iis enim descriptionibus jamdudum merito agnita fuerunt ingenii humani, de statu mortuorum inquirentis tentamina, eaeque, quales a poëtis proponuntur, magnam partem commenticiae sunt. Sed de his breviter agendi mox redibit occasio.

§. 3.

Quandoquidem partim ad philosophicos, partim ad historicos mythos referri solent *mythi* quidam *etymologici*, de his seorsim agere oportet: sed de aliis mythis mixtis ut agamus, minime necesse est, cum ex iis, quae de utroque, ex quo compositi sint, genere diximus, satis pateat, quodnam de iis judicium faciamus. Ad mythos igitur etymologicos referri illam inprimis relationem Mosaicam, quae est de confusione linguarum Babelica, in Proleg. notavimus Cap. 2. §. 2. Obs. 3., ut ea aliquid quidem historici contineat, sed philosophema etiam aliquod habeat admixtum ex nominis בבל, a בלל *confundere* derivandi, significatione oriundum. Verum enimvero etymologica istiusmodi expositio, quae historicae cuidam relationi partim originem dederit, non modo in se mere arbitraria est et remotae illi antiquitati, a subtilioribus ratiociniis etymologicis prorsus alienae, temere ac praeter omnem probabilitatem affingitur, sed etiam constanti, quae ubique in C. S. animadvertitur, consuetudini plane opposita est. In eo enim non res ex nominibus petuntur, sed contra nomina ex rebus, quarum quaedam quasi perpetuae essent repraesentationes symbolicae. Nimirum tempore antiquissimo cum alia erant rerum quarumcumque maxime memorabilium ad posteros propagandarum adminicula, tum hoc maxime, ut nomina excogitarentur ad harum naturam accommodata, quorum adeo quaedam quasi monumenta essent perpetua ac simplicissima,

ad

ad eas in memoriam revocandas comparata. Hic usus, qui ad ipsam generis humani infantiam pertingit, cum ejus indicia jam adsint in primorum parentum historia (1); et cujus simplicitas hanc ipsam aetatem primaevam, revera ita sapit, ut ea primum exstitisse videatur: iste igitur usus tam generalis evasit, tamque altas egit radices, ut serioribus etiam Christi temporibus obtineret, uti liquet cum ex novo *Patri* Apostoli nomine, quod et ipsius et posterorum menti repraesentaret muneris, quo ornatus esset, dignitatem, ac religionis ab eo tradendae firmitatem, tum ex eo etiam nomine, quod Judaei agro cuidam nummis a Christi proditore redditis emto imposuisse leguntur in perennem singularis rei memoriam. Quapropter omnia suadent, ut, si constantissimae consuetudinis rationem habere malimus, quam proprii ingenii figmenta insciae atque invitae antiquitati obtrudere, ab instiusmodi mythis etymologicis apud priscos Hebraeos quaerendis nos omnino obstineamus.

Part. I. C. II. §. 3, 4.

§. 4.

Accedimus ad *Mythos poëticos*: de quibus tamen non admodum multa dicere opus erit.

1. Quos mythos sive historicos, sive philosophicos, seu ex utroque genere mixtos arripuerint Hebraeorum poëtae et amplificarint exornarintque, de his quid nobis judicibus statuendum sit, ex iis, quae jam disputavimus, satis est manifestum. Sed hoc tamen insuper non monere non possumus, admissis ejusmodi mythis in scriptis Hebraeorum, mirum accidere, quod, cum iidem ab aliorum gentium, ac Graecorum praesertim poëtis magnopere aucti appareant, apud Hebraeos tamen, qui poësin impensius amarent, in scriptis quidem historicis ea multitudine reperiantur, ut se ubique fere lectoribus eorum cupidis sponte quasi offerant, contra vero tam parum frequentes adsint in carminibus poëtarum, ut non nisi perpauca exempla eo spectantia inde proferre potuerit mythologicorum interpretum diligentia.

2. Supersunt itaque opiniones quaedam sive vulgi seu sapientum antiquae poëtice elaboratae, aliaeque poëtarum fictiones, quas *Mythorum* etiam vocabulo designare placuit nostrae aetati. Atque hanc denominationem si quis praeferat, per nos quidem licebit, nam de verbis non disputamus. Quod enim ad ipsam rem attinet, Hebraeorum aeque ac aliarum gentium quarumcumque poëtas sua habuisse commenta, quae partim invenissent ipsi, partim aliunde accepissent; hoc si quis negaret, tum Hebraeis poëtis eam fingendi libertatem ademtam cuperet, quae

(1). Gen. III. 20. IV. 1.

Part. I. C. II. §. 4. 5. quae poëtis omnibus ſuo jure competit; et quam ipſa Hebraeorum carmina ſis luculenter vindicant. Immo vero ne leviſſimam quidem offenſionis ſpeciem, ſed ſummam probabilitatis laudem habere arbitror, quod *J. D. Michaëlis* (1) *fabularum* poëticarum uſum adſcripſit veteribus Hebraeis: etſi tamen in nonnullis, quae peculiariter huc adhibuit, cum ipſo non plane conſentiam.

3. Et veriſſima quidem mihi videntur cum alia, quae de imaginibus Hebraeorum poëticis attulit, tum maxime, quod ficticiam mortuorum regionem eorum carminibus dixit magnopere exornatam fuiſſe, neque ac Graecorum Romanorumque, qui ex eodem, quo illi, hauſerint fonte Aegyptiaco. Sed quod equos tonantes Jehovae adſcripſit, quales Jovi adſcribantur, hoc equidem minus probaverim. Nam, quotiescumque Jehova, dum intonat, Cherubis pingitur inſidens, hanc imaginem non ex fabula petitam exiſtimem, verum ex Sacrorum conſtitutione apud Hebraeos, qui Jehovam venerabantur praeſentiſſimum ſupra Cherubos, augustae foederis arcae operculum obtegentes et cuſtodientes, iisque adeo quaſi trono ſuo in ſanctiſſima aedis ſacrae parte inſidentem ut Numen tutelare Israëlitarum: quam ipſam imaginem poëtae de terra ad coelos transtulerunt, Deumque finxerunt Cherubis inſidentem iisque vectum per nubes, cum ſuam majeſtatem et quaſi praeſentiam in graviſſimo tonitru redderet conſpicuam. Porro, ut alia mittam leviora, in eo non aſſentior Michaëli, quem univerſa mythologicorum interpretum cohors, et ipſe etiam *Muntinghius* noſter ſequitur (2), quod poëticas aureae aetatis imagines apud Hebraeos ſibi viſus est reperiſſe, quales apud Graecos et Latinos reperiantur (3). Nam, quod Jeſ. XI. 6-8. et allis in locis huic quodammodo ſimilibus imagines non petitas eſſe arbitrer a fabuloſa aureorum ſeculorum descriptione, haec est cauſſa, quod quae in libro Geneſeos ſimpliciſſime et ad rei veritatem adaptate deſcribitur primaeva hominum conditio, ea nusquam apud Hebraeos, et ne apud poëtas quidem, ejusmodi repraeſentatur imaginibus, quibus exteri poëtae in aurea aetate deſcribenda uſi ſunt: et quamquam ſimiles imagines adhibent Hebraei ad futurorum temporum felicitatem poëtice pingendam, eas tamen ſic adhibent, ut aeque felix aevum priscis temporibus ne affinxiſſe quidem videantur.

§. 5.

Superest, ut noſtrum de aliis mythicae interpretationis formis judicium proferamus, quarum ratio multum diverſa est ab ea, de qua adhuc diſputavimus.

1. Lon-

(1). In Epimetro ad *Lowthi prael. 9. de S. poëſi Hebr.*
(2). In Belg. Comment. de mythica V. T. interpretatione, p. 40 ſq.
(3). l. alleg. p. 191.

Longum esset et molestiae taediique plenissimum in *Kannii* sententia, de qua in Prolegom. Cap. 10. §. 3. et Cap. 2. §. 3. expositimus, ad justae argumentationis diligentiam exigenda singulatim et enucleate versari. Nec profecto id necesse videtur. Nam quae in posteriori loco pauca selegimus singularis, quam secutus est, rationis specimina, haec quam arbitraria sint, quam conjecturalia; quam omni omnino probabilitati repugnantia, unusquisque, vel nobis non monentibus, facile perspexerit. Quocirca, ne repetamus urgeamusque, quae superiori Cap. §. 1. opportuna occasione animadvertimus, hoc unum notamus, mirum fere mox nobis accidisse, quod sanae mentis homo, non dicam suspicari aut conjectare, sed serio affirmare aliisque fidenter persuadere ausus sit, universam Hebraeorum historiam Biblicam, aut certe veterem, ad mythum quemdam philosophicum pertinere, cujus interpretatio eruenda sit ex monstrosa et absurdum in modum intricata Indorum theologia symbolica. Enimvero, ut vetustissimam duntaxat tangamus historiam patriarchalem, quam praesertim suos in usus contorserit Kannius, in hac et loca, et aetatis mores, et hominum variae res gestae, diversa indoles, vitia, virtutes, universus agendi modus, et ipsius domesticae vitae ratio interior ita sine ulla arte describuntur, dicam, an ad vivum depinguntur? ut non, quid acciderit, legere, sed videre ipse tibi videaris. Atque hanc ipsam historiam simplicissimam ex fabulis Indicis repetere, hoc quid, quaeso, est aliud, nisi limpidissimas et purissimas aquas ex coenosis turbidisque rivulis derivare? Quod autem Kannius nati Christi historiam ad mythum aliquem Indicum redegit, de hoc quid judicandum sit, jam ante monuimus Cap. superiori §. 3. Obs. 3. med. — Sed habent ista quamdam affinitatem cum *Dupuisii* ac *Volneys* sententia, ex qua Mosaicae et Christanae religionis originem non ex iis, quae narrantur, factis eventisque, sed ex cultu Solis deducere oporteat. Et vero illud aevum vivimus, quo nihil est tam absonum, tamque absurdum, quod non excogitarit luxuriantis ingenii libido: atque ejusmodi commenta mirari desino, cum *Hamiltonis* cujusdam Anglicam epistolam, haud ita pridem vulgatam ac nuper a me lectam, mihi in mentem reduco, qua umquam exstitisse gentem Judaicam praefracte negatur, et sectam Judaicam primum apparuisse circiter annum aerae vulgaris 240., Christianam vero, ex hac prognatam, circiter annum 270., porro scripta, quae ante haec tempora mentionem sive Judaeorum, seu Christianorum injiciant, interpolata esse vel suppositia, linguam denique Hebraicam in ista Judaeorum secta ab hujus sacerdotibus inventam fuisse, impudenter asseritur (1). Pars I. Cap. II. §. 2.

2. At-

(1). *Letter to a young Englisch student at the university of Jena, by James Edward Hamilton.*

Part. IV. Cap. II. §. 6.

2. Atque haud scio fere, an seria refutatione vel ii ipsi digni esse videantur, a quibus Pentateuchum Mosaicum aut historiam Evangelicam pro Epico quodam opere haberi, vidimus in Prolegom. Cap. 2. §. 4. Obs. 2. 4. Si quis minimum et Mosis et Christi historiam eximium continere dicat Epici carminis argumentum, recte hoc dixerit omnino: sed libros sive Mosaicos, seu Evangelicos in Epos vel historicum, vel poëticum, vel mythicum sic quasi dicto transformare, id nihil certe est aliud nisi novi cujusdam generis opus fingere, quale nusquam exstiterit in rerum natura, vel, ut rectius dicam, informe quoddam monstrum epicum sibi creare, cujus quomodo vel sola cogitatio cujusquam menti oborta sit, equidem vix me concipere fateor.

3. Quod jam peculiariter ad *Wettium* attinet, qui in forma epica Pentateuchi affingenda singularem curam collocavit ponamus, quod non ponendum esse, postea monebimus, ponamus tamen, universum Pentateuchum Davidis aevo non anteriorem esse; an vel cum levissima veri similitudine statuatur, recentiorem aliquem scriptorem Sacras sui temporis leges et constitutiones Mosi affinxisse, ex variis et inter se non cohaerentibus partibus Pentateuchum confusse, et huic suae, ut ita dicam, structurae theocraticae mythos fundamenti loco subjecisse, qui historiam quandam inde a rerum humanarum initio usque ad Mosem exhiberent; sed accommodate ad auctoris consilium confictam, etsi forte in paucis ex qualicunque traditione petitam? At ponamus etiam, hoc modo exstitisse *Epos*, illud *Theocraticum*, suo in genere pulchrum et praestantissimum: quo umquam pacto apud gentem Israëliticam, rudem scilicet illam et parum admodum cultam epos exstiterit, cui, cum in unius Dei religione commendenda versetur, nil simile, ne apud cultissimas quidem antiquitatis gentes, reperiatur? Quod si vero universe conficta sint quaecunque in Pentateucho ante Mosis aetatem accidisse memorantur: est ne umquam credibile, scriptorem Davidi sive supparem, seu posteriorem ea confinxisse, quae priscorum, a quibus valde remotus esset, temporum rationi ab omni parte consentanea forent, seque tota sua mente in primaevae antiquitatis paulatim decrescentem simplicitatem sic transtulisse, ut non posterioris aetatis virum, sed ipsos tantae antiquitatis homines cogitantes, loquentes, agentes audire ac videre nobis videamur? Profecto: si quis poëta, aut quocunque tandem nomine eum vocare velis, si quis igitur ita fingere potuerit, simulque in summa ac vere incomparabili argumenti consiliique excellentia tam parum artis, tam parum judicii tamque parum concinnitatis in universo suo epico poëmate ex variis iisque saepe promiscue conjectis partibus componendo ostenderit, ut illud, *Wettio* judice, sit rudis quasi indigestaque moles (1): hic ergo et ipsi Homero ingenii vi ere-

(1) Vid. ejus liber supra allegatus, p. 26.

creatrice incredibilem in modum superiori fuisse, et simul summam ingenii perturbationem atque imbecillitatem demonstrasse censeatur. Pars I. Cap. II. §. 9. et C. III. §. 1.

4. Sed quid tandem de iis dicemus, qui in universa historia Euangelica nil vident ipsi, aut videri cupiunt ab aliis, nisi historicum, poëticum aut mythicum epos? Hi vero quid sibi velint, non prorsus capimus. Sed aut vehementer fallimur, aut qui non de factis agi apud scriptores Euangelicos, quae nostrae menti credenda objiciantur, sed de piis potius in animo sensibus excitandis, illos referre decet in numerum eorum, qui, dum de historica Euangeliorum veritate judicio ponderanda parum curiosi ac solliciti sint, de eaque tuenda ac vindicanda desperandum esse opinantur, alios mysticorum, quibus haud desunt utique qui nostris diebus delectentur in Germania, deliriorum blandimentis ad qualemcumque pietatem allicere et revocare annitantur: quibuscum adeo non est quod hoc loco disputemus. Quamquam autem *Krummacherus* de illa Religionis veritate historica passim lectoribus persuadere videtur, de eaque haudquaquam probabiliter disputat, subdubito tamen, ab, dum hanc, ex instis poëticae atque epicae pulchritudinis notis petendam, sensibus magis quam intellectui subjiciat, et ipse quoque a mysticae fidei commendandae consilio penitus censendus sit alienus. Saltem diserte dicit, regni coelestis notionem mere opinabilem sive mysticam, et esse in se, et a Jesu habitam ac descriptam fuisse, ejusque duas esse partes aeque opinabiles, in vitae sanctitate ac felicitate positas (1), et, ut alia praeteream, tempus, quo Jesus doceret, suamque de regno coelesti doctrinam per parabolas declararet, mysticam quasi religionis Christianae periodum fuisse (2).

CAPUT TERTIUM.

De exterorum et Hebraicorum mythorum similitudine probabiliter dijudicanda.

Videamus jam, quid de illa, quam tantopere jactant mythicae interpretationis fautores, mythorum exterorum et Hebraicorum similitudine probabiliter judicandum sit: sed in magna atque infinita paene materiae abundantia praecipuas tantummodo rerum summas leviter tangere licebit.

§. 1.

Agnoscimus libentes, haud exiguam esse similitudinem inter figmenta, quibus

Hc-

(1). Vid. ejus liber supra allegatus, §. 26. (2). Ibid. §. 30.

Part I. Cap. III. §. 1. Hebraei sua carmina ornarunt, et inter Graecorum ac Latinorum poëtarum figmenta: qualis similitudo omnino est in exemplis, quae in Prolegom. Cap. 2 §. 2. in fine, attulimus. Sed quodnam de similibus his figmentis poëticis judicium faciendum sit, partim jam occupavimus Cap. superiori §. 4., partim inde patet, quod haud adeo multa sunt utrisque consimilia, vix ulla vero plane eadem, et quantumvis Hebraei imaginationis audacia longe vel ipsos superent Graecos, in figmentis tamen utendis multo sunt parciores, castiores, prudentiores.

Atque hoc, quod postremo loco diximus, juvabit paulisper illustrasse. Qualis sit Hebraeis et quanta imaginationis audacia, liquet V. C. ex antiquissimo Jobi poëmate: quod tamen si quis commentorum ratione habita cum vetustissimis, quae apud Graecos sunt, Homeri minus audacis carminibus comparaverit, quam insigne reperiet discrimen? In Homero Dii, iique et complures et saepissime interveniunt hominumque rebus immiscentur: in Jobi libro semel dumtaxat unus apparet Deus. In illo Dii Deaeque hominibus potentia ac scientia superiores sunt, ceteroqui non meliores, immo vero tales, ut apud ipsos serioris aevi Graecos saepe in reprehensionem incurrerit eorum inductio: in hoc Deus ita intervenit, ut nihil unquam gravius, sanctius, cumque summi Numinis majestate convenientius concipi queat fingive. In illo princeps carminis persona Achilles divina matre gloriatur, et aliquid habet adeo reliquis hominibus majus excellentiusque: in hoc qui praecipuas partes sustinet Jobus, merus est homo ea dumtaxat, quam aetas ferret, opulentia, ac pietatis virtutisque studio inter ceteros eminens. In illo prodigiis omnia plena sunt, ut vel homines in porcos mutentur: in hoc etsi curia coelestis panditur, ex cujus quasi decreto Jobus affligatur, nulla tamen portenta in terris conspiciuntur. Et, uti Jobus subito miser et postea subito in integrum restitutus fingitur, ita vero nullae cernunter metamorphoses Homericis aut Ovidianis simillimae. Denique in ipsa perspicua ac simplici rerum fictione est aliquid ita modestum, ita conveniens, atque ad consuetum naturae ordinem ita temperatum, ut hoc nomine nihil Homeri aliorumve poëtarum sive Graecorum, seu Latinorum dissimilius esse videatur.

Ut autem, postquam poëtam poëtae comparaverimus, exemplum etiam e re aliqua, sive ipso quodam figmento poëtico peculiari petamus, nulla in re consimiliores inter se sunt Hebraei ae Graeci Latinique poëtae, quam in regionis mortuorum descriptione. Describitur enim utrobique regio altissime infra terrae superficiem depressa, teterrimis tenebris horrenda, profundissimos ac lutosos habens gurgites, et quae plura sunt hujusmodi (1). Verum in Hebraeis Poëtis neque Cer-

(1). Vid. *Scheid. ad Cant. Hist.* p. 29 sqq.

Cerberus apud Inferos conſpicitur, neque Caron, neque Pluto ac Proſerpina, nec Furiae Deae, nec quidquid eis inſuper affinxit exterorum poëtarum ingenium. Nec deeſſe tamen illis hac in re fingendi audaciam, manifestum praeſertim est ex loco eximie ornato, qui est apud Jeſaiam, cultiſſimum poëtarum Hebraeorum, Cap. XIV. 9 - 12., ubi pingitur ſuperbus tyrannus Babylonius de ſublimi ſua majestate ad imos inferos detruſus, ad cujus adventum alii principes fato functi de ſuis ſedibus ſurgant novum hospitem ſalutaturi, eique pristinam, quam in perpetuum amiſerit, gloriam objectaturi. Verbo: in ſummae audaciae vi creatrice, magnaque etiam figmentorum ſimilitudine Hebraei poëtae Graecis Latinisque ita ſunt diſſimiles, ut hi quarumcumque fabularum captatores appareant avidiſſimi, illi vero parcius ſe iis uſos fuiſſe ac ſelectionem feciſſe prudentiſſimam oſtendant; ut vel ex eo ipſo haud immerito colligas, horum quidem gentem mythis magnopere delectatam, illorum vero ad eos minime propenſam fuiſſe. Pars I. C. III. §. 1, a.

§. 2.

Concedimus porro, aliquam esſe ſimilitudinem inter multas S. C. relationes hiſtoricas et inter aliarum gentium mythos, qui cum iis comparentur. Verum enimvero hi mythi plerumque non ex hiſtoricis ſcriptoribus exteris proferuntur, ſed ex poëtis, praeſertim ex Homero (1): nec decet profecto hiſtoricos cum poëtis comparare. Quod ſi enim quis cujuscumque tandem gentis ſcriptorem hiſtoricum, qui ſimplici, neque ad poëticam altitudinem elata dictione utatur, cum aliarum gentium poëtis comparare vellet, is ſummo jure non rectam rationem ſequi ac diſſona inter ſe componere cenſeretur. Quocirca neque conſentaneum est hiſtoricos Hebraeos, quibus univerſe nil est ſimplicius, cum Graecis conferre Latinisque poëtis, quibus univerſe nil est ornatius, comtius, ſplendidius. At dixeris fortaſſe, Homerum, de quo hic potiſſimum agatur, in eo, quod Numen Divinum omnibus rebus interponeret praeſentiſſimum et miracula saepe induceret, antiqui aevi, religioſa ac ſuperſtitioſa pietate conſpicui, morem ex vero expreſſiſſe, atque adeo hac ſaltem in re hiſtorici quaſi vices gerere, aut hujus habere auctoritatem, immo ejusdem etiam pietatis indicia haud pauca apud ſeriores poëtas, praeſertim apud Graecorum Tragicos, apparere. — Verum iſtam tamen pietatem ita omni ex parte fuiſſe comparatam, uti a poëtis informetur, minime concesſerim: ne dicam, quod ſupra jam attigi Cap. 1. §. 3. Obſ. 1., ex Graecorum.

(1). Liquet hoc ex *Bauert* opere mythologico, et ex *Michaëlis Wickleinii programmate de liberiaſiori V. T. interpretatione, Eſſendiae*, Ao. 1806.

Pars I. C. III. §. 2, 3.

rum poëtarum more perquam improbabiliter de ceteris gentibus antiquis judicium fieri. Equidem convenientius esse puto ut statuatur, Graecorum poëtas in vulgi opinionibus reperisse piam aliquam consuetudinem pleraque, quae fierent, ad numen referre Deorum, qualis utique Graecis cum aliis etiam haud paucis antiquitatis gentibus communis fuisse videtur: sed quaecumque de apparitionibus divinis et portentosis rerum repraesentationibus in sua carmina retulerint, horum longe pleraque confinxisse ipsos et ad illam vulgi consuetudinem ac publicam superstitionem accommodate proposuisse. Quod si vero idem plane esset narrandi modus historicorum Graecorum, qui apud poëtas obtinet vetustissimos, multo majorem vim haberet illa similitudinis comparatio; sed ne apud Herodotum quidem, historicorum patrem, conspicitur: et quod notabile est atque institutae comparationis vim infringit quam plurimum, nulli proferri queant unius ejusdemque gentis scriptores historici, qui quantumvis magno plurimorum seculorum intervallo disjuncti aliquam prae se ferant rationem mythicam, Hebraicae illi, quae plurimis inde a maxime remota antiquitate ad recentiora usque tempora scriptoribus communis fuerit, quodammodo similem.

§. 3.

In ipsa illa, quae perhibetur, mythorum Hebraicorum et exterorum similitudine haec quoque notanda est dissimilitudo, quod Hebraeis adscribi nequeat continua aliqua atque indivulsa mythorum series, qua alii ita pendeant ex aliis, ut systema quoddam mythicum conficiant: quale si Hebraeis fuisset, hoc a poëtis certe assumtum fuisset et uberius amplificatum elaboratumque, uti a Graecis Latinisque poëtis factum esse novimus (1). Scilicet sua est mythorum sive fabularum series Graecis, et, qui eam ab his mutuati sunt, Latinis. Sua est Aegyptiis veteribus, quae cum ex *Plutarchi* libello *de Ibide et Osiride*, tum ex *Jablonskii Pantheo Aegyptiaco* magnam partem cognoscatur. Sua est Indiae gentibus, in concinnum quamdam ordinem nuperrime redacta in opere Gallico (2). Sua est aliis etiam gentibus vetustis, quam enucleare tentavit *Wagnerus* (3). Sed qualis tandem est Hebraicorum mythorum series? Hi in Aegypto et ab ipsa quasi fabularum matre jam valde exculta formati fuere: at ex his tamen nulla fabularum,

(1). Est haec verissima *Hessi* observatio in *Biblioth. Hist. S.* supra laud. P. II. p. 212 sq.

(2). *Mythologie des Indous, par Mde de Polier.* 2. Tom. *à Rondolstadt et à Paris*, 1809. Conferri etiam potest *Sonnerati itin. Ind. et Sin.* Lib. 2. Sect. 1 et 2.

(3). De quo vid. in Prolegom. Cap. I. §. 3.

rum, Graecis illis in Aegypto potisſimum natis plane ſimilium ſeries concinna proferatur. — Et multi, immo plurimi quidem ex eorum ſcriptis mythi proferuntur: ſed vero horum plerorumque haec ſummatim est ratio, ut vel ex opinionis et ignorantiae commentis aut ex increscentibus perpetuo diuturnarum traditionum augmentis miraculi aliquid rebus indiderint Hebraei, in quibus nihil ineſſet a conſueto naturae curſu abhorrens, vel ſomnia quaedam menti obvenientia Deo adſcripſerint auctori, vel quocumque tandem modo praeſentisſimam Divini Numinis operam ubique advocarent. Perpauca ſolummodo exhibenter indagatricis philoſophiae tentamina mythica, eaque Sacro quodam quaſi habitu hiſtorico propoſita, ac ne ex poëtis quidem, audacisſima licet ac vere Orientali imaginandi fingendique vi conſpicuis, et vitam omnibus rebus animamque tribuere ſolitis, ne ex his igitur quidem aliquid eruatur mythici ſyſtematis nomine dignum: Legatur modo *Baueri* illud opus, quod *Mythologiae Hebraicae* titulo inſignivit. In eo varia mythorum genera ordine quodam luſtravit, et permulta S. C. loca mythice exponere ſtuduit: ſed veri nominis mythologiam, hoc est quoddam mythorum ſyſtema non confecit. At ipſa enim rerum ſeries hiſtorica exponenda foret, et inde ab hujus mundi primordiis usque ad ſtabilitam per Christi Apostolos religionem deducenda, ſi justa qualiscumque mythorum Hebraicorum ſeries traderetur: nam cum ipſa hiſtorica ſerie mythi isti indivulſo nexu cohaerent, et tam in ſe, quam ad hunc nexum ſpectati hoc unum menti objiciunt ſimpliciſsimum, atque, ſi cum infinita mythorum exterorum varietate comparetur, admodum tenue et exiguum, Deum, hujus mundi creatorem hominumque parentem, horum inde a rerum initio curam habuiſſe peculiarem, ac ſaepe modo extraordinario interveniſſe, praeſertim vero ad ſui cultum inducendum, vindicandum, ſtabiliendum ſuam operam interpoſuiſſe. Atque hoc quo quis magis perpenderit, eo ſibi magis perſuadeat, ſummam re ipſa inter Graecorum aliarumve gentium antiquarum mythologiam, et inter eam, quae Hebraeis adſcribatur, diſſimilitudinem intercedere.

Part I. C. III. §. 3, 4.

§. 4.

1. Scilicet, quod inſuper et peculiariter omnino notari velim, apud ceteras gentes mythologia non modo cum plurium Deorum ſuperſtitione conjuncta est, ſed vero haec ipſa ſuperſtitio praecipuus est ipſius mythologiae fons. Cum enim, quod ſupra Cap. 1. §. 2. Obſ. 3. ſignificavimus, haud obſcura paſſim ſint creditu olim cultique unius Dei apud gentes antiquisſimas vestigia, hinc inferre licet, plurium Deorum cultum fidemque ex ipſa puriore ac ſimpliciore religione, quae unum modo Deum veneraretur, paulatim depravatae exſtitiſſe. Hinc igitur

Sol,

Pars I. Cap. III. §. 4.

Sol, Luna, aliaque astra mox quidem pro Numinis coelestis, quod oculis non conspiceretur, symbolis, deinde vero pro ipsis Diis diversis, aut horum quasi domiciliis habita fuere. Hinc quidquid tandem vel admirationem moveret, vel metum incuteret, immo ipsa mortalium vitia aeque ac virtutes sanctissimorum instar Numinum colebantur, ac nihil fere erat in coelis, in terris, apud inferos, in universa adeo, quam animo sibi informarent homines, rerum natura, quod suos non contineret Deos. Hinc varii Deorum ordines ac ministri. Hinc Diis omnia plena. Hinc Deorum opera in plurimis rebus humanis a poëtis, si qui essent, advocari poterat praesentissima, hisque larga suppetebat commentorum exornandorum amplificandorumque materia. Hinc hominum alii, qui vel gentium conditores, vel artium rerumque utilium quarumcumque inventores essent, vel rebus fortiter gestis de suo aevo praeclare meruissent, pro Deorum filiis habiti, alii honoris vel grati animi testificandi causa in Deorum ordinem relati fuerunt. Hinc variae illae ac monstrosae exstitere metamorphoses, quales *Ovidius* carminibus nobilitavit. Verbo: hinc magna illa mythorum series originem cepit, quae diversa animadvertitur pro ipsarum gentium diversitate. Sed hanc mythologiae cum polytheismo, tamquam rivuli cum fonte conjunctionem infra, Parte II. Cap. 2. §. 2. denuo attingemus, et quam ea universe habeat vim, patefacere studebimus.

2. Uti Religio in S. C. tradita unius Dei doctrinam continet, cum tempore quidem perfectiorem, sed jam inde a rerum primordiis ab omni plurium Deorum cultu non modo puram, sed huic plane oppositam, immo adversam atque inimicam, ita vero etiam foecundum illum, quem modo indicavimus, mythologiae fontem penitus sibi intercluſit. Atque ipsa hujus rei evidentissima veritas effecit, ut *Wagnerus* solos Hebraeos a generalis mythologiae contagione immunes fuisse pronuntiaret, quod in Prolegomenis notavimus Cap. 1. §. 3. Et certe nihil eorum, quorum summas superiori observatione leviter attigimus, apud Hebraeos reperiatur: et si quando quaedam huc pertinentia memorantur in C. S. id semper eo fit modo, ex quo luculenter appareat, quantopere cum istiusmodi figmentis superstitiosis nil prorsus commune habeat Hebraeorum religio. Atque ex eo peculiariter est, ut alia mittam, quod non modo Geographia Hebraeorum nullos admittat mythos, nullas V. C. insulas fabulosas, quales apud Homerum finguntur, nullos fluvios, montes, lucosve, quos Dii incolerent, sed ipsae etiam eorum Genealogiae a mythis ita sint liberae, immo alienae, ut nihil esse queat magis historicum. Hae scilicet, quo altius adscendunt ultra tempora vere historica apud Aegyptios, Graecos, aliasve gentes antiquas, eo plures continent Deorum filios ac Semideos. Sed in Hebraeorum scriptis, ab ista mythica superstitione purissimis, neque artium inventores ante diluvium, neque Abrahamus, gentis Hebraeae con-

conditor praeclarus, nec Joſephus patriarcha, etſi propemodum, ut ita dicam, Aegyptius, nec Moſes, quamquam in ipſa Aegyptiorum aula natus fere et educatus, neque ipſi etiam, qui cum Graecorum heroibus comparantur, Gideon, Simſon, aliive *Judices* dicti ab hoc illove Deo vel ab Angelo quodam originem repetunt. Pars I. Cap. III. §. 4.

3. Novi quidem nostra aetate, praeſertim a mythorum Hebraicorum patronis, indicia nonnulla ostendi polytheismi ac mythorum ex eo oriundorum in vetustissimis Geneſeos documentis (1). Haec eruunt tum ex plurali terminatione nominis אֱלֹהִים, quae jam adest in Cap. I. Geneſeos, tum ex eo praecipue, quod Deus de ſemet ipſo loquens inducitur numero plurali Genes. I. 26. XI. 7., et, qui locus maxime notabilis est, e Cap. III. 22., ubi Deus ita loquitur: *Homo factus est uti unus e nobis*, denique ex Genes. VI. 2., ubi, aeque ac Job. I. 6. II. 1. et XXXVIII. 7. *Deorum filii* diſertis verbis memorentur.

Sed vero mirum accidat, aliquod hujus opinionis praeſidium quaeri poſſe hodieque in plurali terminatione nominis אֱלֹהִים, cum vel tironibus notum ſit, ſolere Hebraeos illud, quod ſuo in genere maxime excellens eſſet, plurali numero efferre. Significat igitur uſu Hebraico *eum, quo nihil magis reverentia proſequendum ſit*, ab אָלָה, Arabice ألِهَ, proprie *Tremuit:* atque existimem, ne alludi quidem hoc vocabulo ad plures ac falſo creditos Deos, ſed priscos homines אֱלֹהִים dixiſſe de perſonis, quae ſive metum, ſeu venerationem incuterent, cujus uſus vestigium in eo ſuperest, quod ita dicti fuere qui ad magistratum pertinerent, veluti Exod. XXI. 6.; quocirca aptiſſime ita ille vocabatur, qui unus omnium maxime reverendus eſſet. Quid? quod ſimili uſu אֲדוֹנִים de uno magno domino interdum dicitur, E. C. Genes. XL. 1. XLII. 30. Fruſtra igitur aeque ſunt qui in illa terminatione plurali Polytheismi vestigium latere existimant, atque qui ibi Trinitatis, aut certe plurium perſonarum, quas dicunt, in una Divina natura conjunctionem contineri quondam opinarentur quam plurimi Theologi (2).

Quod

(1). Ita V. C. *Bauerus Mythol. Hebr.* I. p. 118 ſqq. et in *Theol. V. T.* Germanice conſcripta I. p. 20 ſqq.: etſi in priore opere I. p. 56. ſolam mythologiam Hebraicam ad unius Dei doctrinam pertinere, ſive, ut barbaro vocabulo utar, *monotheisticam* eſſe dicit. In eadem ista opinione verſatur anonymus auctor Belgicus dialogorum de mythis. Vid. p. 60 et 90 ſqq. Et *Wagnerus* quoque, in veteris mythologiae delineatione Germanica p. 297., quamquam librorum V. T. rationem a Polytheismo maxime alienam eſſe faſſus est, in illa tamen terminatione plurali ejus vestigium videre ſibi videbatur.

(2). Nuperrime tamen Trinitatis, a Christianis creditae, et quae Indicae illi ſimillima ſit, vestigium in libro Geneſeos quaeſitum vidi ab auctore mythol. Ind. Gallice conſcriptae et ſupra allegatae T. II. p. 662. Nec diſſentire videtur *Frederr. Schlegellus* in opuſculo, cui titulum fecit: *Ueber die ſprache und Weisheit der Indier*, p. 199.

Pars I. Cap. III. §. 4.

tera antiquitas? Denique, cum Job. I. 6. II. 1. iidem *filii Elohim*, ſive *Deorum* fingantur ſupremi Numinis conſiliarii fuiſſe, et XXXVIII. 7. recens creato orbi praeſentes, atque ibidem *ſtellae matutinae* vocentur, quas ab Angelis habitatas crediderint Chaldaei: quidni conſentaneum videatur eosdem pro Diis habere inferioribus, qui mox quidem אלהים dicti ſint in libro Geneſeos, ſed deinceps מלאכים, ſive *Angeli*, et quos variis ſub nominibus variae admiſerint gentes, ut Supremo Numini ſubjectos ejusque miniſtros? Ita prae ceteris *Bauerus* (1). — Habent haec omnino ſpeciem aliquam, ſed ſpeciem dumtaxat, re ipſa vim habent nullam.

Enimvero, praeterquam quod hic ſumitur, Angelos in S. C. paſſim memoratos, commenticias ſolummodo eſſe ac mythicas perſonas; quod quo jure ſumatur, deinceps disquiremus: in nomine אלהים plurali non plurium Deorum opinionem latere, ſatis jam perſpicuum nobis feciſſe videmur, ut adeo in illis locis non de *Deorum*, ſed de *Dei* filiis agatur. Porro quinam ita dicantur in libro Geneſeos, colligatur ex quodam ejusdem libri loco ſuperiori, ſive ex IV. 26., ad quem haud obſcure reſpiciatur in illis deinceps locis: hic enim ex maxime probabili interpretatione ſic convertatur: *Tunc temporis inceperunt homines ſe de nomine Jehovae*, ſive unius veri Dei *denominare* (2). Qua igitur denominatione, coll. Deuter. XIV. 1., deſignari exiſtimentur *Dei cultores*, quae maxime recepta est ſententia, ſive ex nova quadam expoſitione (3) *ii qui coeleſtia tractarent*, ab *Adami* ex terrae pulvere procreati *filiis*, *iisque rerum terreſtrium amantibus* diverſi, ſeu denique ii, qui ad Dei imaginem, ad quam primus homo creatus fuiſſet, ſe, quoad poſſent, conformare *Deoque ſimiles* fieri conarentur, coll. Matth. V. 45., quibus adeo opponantur *Adami* ſive *hominis filii*, qui nil niſi quod *humanum*, *Deo diſſimile*, corruptumque eſſet, ſpirarent: quocumque ergo modo explicetur iſta denominatio, nihil omnino continet quod polytheismum ſapiat, ſed referenda est ad unius Dei cultum vitaeque probitatem. Est ea ſatisfrequens in C. S., etſi non eodem ubique ſenſu accipienda, in eaque ſemper ad unum Deum respicitur: ac nihil etiam est frequentius apud Hebraeos, quam *filium* alicujus ſive perſonae, ſeu rei vocare eum, qui peculiarem aliquam eo relationem habeat: Quocirca non mirum est utique, iis perſonis, quae in Curia Divina adeſſe fingantur a Jobaei poëmatis auctore, *filiorum Dei* nomen attribui: qua aptiſſima denominatione Angeli, ſive Coelites deſignentur, non per naturalem

(1). Vid. ejus *Theol. V. T.* I. p. 22 ſqq. coll. 171 ſqq. et *Hebr. Mythol.* I. p. 122 ſqq.

(2). Vid. *Muntingh* in *Bibl. culturae humanae hist.* I., not. p. 91 et 92., ubi monet, ex Graeca verſione pro יהוה fortaſſe legendum eſſe אלהים, qua lectione admiſſa major est utique loci hujus cum illa denominatione conſenſus.

(3). Vid. *Paravii Commentatio Jobaea*, p. 96.

lem aliquam generationem, ſed ab ipſo Deo procreati, aeque ac postea Adamus ex avito, uti videtur, uſu Luc. III. 18. *Dei filius* appellatur. Atque illi quidem Angeli *ſtellae matutinae* vocantur Job. XXXVIII. 7., quod astrorum incolae eſſe fingerentur: et vero alibi ſimilis fictio reperitur in eodem poëmate XXV. 4.: ſed cum iidem XV. 15. in loco parallelo שמים, i. e., *coeli incolae* dicantur, cumque coelum adſpectabile ex Sole, Luna ac Stellis conſtare videretur, poëta ex populari ac valde naturali fictione ipſas has conſpicuas coeli partes Angelis adſignavit habitandas (1). Cujusmodi ergo fictioni ſi ſimilis quaedam obſervetur Chaldaeorum propria fuiſſe, qui aſtris coeleſtibus ſpiritus praeficerent (2), haec profecto ſimilitudo minime ita est comparata, ut vel leviſſimum praebeat indicium polytheismi in Jobi libro reperiundi: in quo tam magnificae contineantur de uno vero Deo notiones, quique tam diſerte XXX. 26 - 18. antiquiſſimum ipſius Solis ac Lunae cultum aspernetur ac reſpuat, ut, ſi quis aliquam ſuperſtitioſae de Diis inferioribus aſtrorum praeſidibus fidei labem ſcriptori adſpergat, is perquam iniquus eſſe videatur. Pars I. Cap. III. §. 4.

Quod jam postremo attinet ad Geneſ. VI. 4., non diffiteor equidem, gigantum iſtorum ac virorum fortium celebratiſſimorum mentionem ibi conjungi cum connubii *filios Dei* inter et *hominis filias* oborti mentione. Verumtamen נפילים et גבורים non adeo quidem *gigantes* ſunt et *viri fortes*, quam potius *viri majoris ſtaturae ac roboris aliorumque oppreſſores* (3). Deinde, quod probe etiam notandum, hi violenti oppreſſores non ex illo connubio prognati dicuntur, ſed illius connubii tempore et deinceps fuiſſe, hoc est, in alios ſaeviiſſe, ita ut eorum nomen longe lateque et apud posteros etiam terrorem incuteret. Hoc enim, quod adjicitur, non in eorum dici laudem, orationis contextus ſatis declarat. Erant igitur ejusdem fere generis atque illi, quorum mentio fiebat a regionis Cananiticae exploratoribus Numer. XIII. 33., homines majoris quidem ſtaturae, quales antiquioribus temporibus haud rari eſſent, et hodieque interdum memorentur, non vero Gigantes, proprie ita dicti, quales finxit fabuloſa antiquitas: nam quae exploratores illi de eorum retuliſſent ſtatura, vehementer exaggerata fuiſſe, ex vs. 32. manifestum est. His ergo, iisque quae paullo ante notavimus, obſervatis, hoc omnino docuiſſe videtur illius documenti auctor: „ aliquamdiu fuiſſe homines, qui vitae morumque probitate excellerent ac peculiarem non modo ſocietatem conſtituerent ab improbis diſtinctam, ſed hos etiam continerent ne ali-

(1). Verba fere ſunt *Paravii* l. l. p. 192.

(2). Haec enim vera Chaldaeorum doctrina videtur fuiſſe. Vid. *Bruckeri Hist. Phil.* I. p. 133 et 145.

(3). Vid. *Muntingh.* l. l. I. not. p. 95 ſqq.

Pars I. C. III. §. 4, 5.

alios laederent, verum, quo magis augeretur hominum multitudo, eo magis proborum numerum atque auctoritatem decrevisse; cujus rei praecipua fuerit causa, quod pulchriores puellae, quae inter improbos essent, variis illos artibus allicerent, unde mixta exstiterint connubia, ac magis magisque infractum et tandem penitus ruptum fuerit vinculum, quod proborum societatem junxisset; cum vero hinc improbi nullo amplius timore coërcerentur, ab eo inde tempore quotquot statura ac viribus adeo eminerent, hos caput extulisse, et impune fuisse grassatos." Qua expositione, eaque plane consentanea, admissa, quid, quaeso, in breviori illa relatione inest de Heroibus, Deorum filiis nobilissimis, aut de Titanibus, Gigantibusque, qui coelum ipsum impugnasse finguntur?

Atque haec singula eo fusius persequenda nobis videbantur, quo appareret clarius, quam parum Hebraeorum scripta Polytheismo faveant, fonti illi fabularum primario, et quam irriti sint eorum conatus, qui hunc fontem quocumque tandem modo inde eruere tentent, quo facilius variorum mythorum quasi rivulos ex eo derivent.

§. 5.

Pergamus ad aliud, idque, uti perhibetur, perspicuum ac minime dubium mythi, in Sacris Scriptis, aeque ac in aliis priscorum temporum relationibus, reperiundi indicium, quod suppeditent Theophaniae, quas dicunt. Quae quidem Deorum apparitiones cum pro fabulis habendae sint, ubi in aliarum gentium narrationibus conspiciantur, idem judicium eo magis facere oporteat de frequentissimis illis Dei Angelorumve apparitionibus et institutis cum homine commerciis, quae in S. C. memorantur, quo major sit horum Angelorum similitudo cum Geniis, Daemonibus, aliisve personis fabulosis Deum inter atque hominem interpositis, quas multae gentes somniarint et ad quas ipsi adeo quoque Angeli pertineant. Verum hac de re duo solummodo animadverti cupimus: alterum ad apparitiones illas generatim spectatas, alterum ad Angelos peculiariter pertinens.

1. Theophaniae, quae hic comparari solent, ex Homero potissimum ejusve imitatore Virgilio petitae, prudentissimis ipsius Graecae aut Romanae gentis viris confictae dumtaxat videbantur, ac nemini horum umquam in mentem veniebat, ut eas verarum historiarum loco haberet. Verum quae in Scriptis Sacris memorantur, non dicam a credula plebe, sed ab iis etiam viris praestantissimis, quos ipsi mythorum Hebraicorum patroni non venerari non possint, sic admissae fuerunt, ut ex intima animi conscientia eas ad indubiam veritatem historicam retulisse videantur. Cujus rei operae pretium fuerit unum item et alterum exemplum protulisse.

Ita-

Itaque Moſes non modo ad ſolennem Jehovae apparitionem in monte Sinaitico, quam ſciret eventuram, Israëlitas praeparare voluit, Exod. XIX. 14 - 17., ſed quoque postea de illa ſic locutus est, ut qui de re ipſa certisſimus esſet, ibid. vs. 20. Deuter. IV. 7 - 12. V. 1 - 29. Immo vero Deuter. IV. 32 - 35. provocavit et ad magnificam illam ac terribilem Dei apparitionem, et ad alia praeſentisſimi Numinis indicia plane extraordinaria palam omnibus ſpectantibus edita, qualia numquam antea ne audita quidem fuerint, et quibus gentem Israëliticam inter ceteras distinguere voluerit ſuprema potestas Divina. Quod ſi ergo de earum rerum extraordinariarum veritate hiſtorica Moſi non perſuaſisſimum fuisſet, non ita profecto eum loqui decuisſet: et qui Moſem vel talia confinxisſe autumet, pro aliorum veterum legislatorum more, Divinam auctoritatem ſibi ſuisque legibus conciliare cupientium, vel nonnullorum eventuum, veluti tempestatis in monte Sinaitico obortae cum Decalogum tradere vellet Israëlitis, et gravisſimarum calamitatum in Aegyptum, quo tempore eos inde liberare conaretur, irruentium apportunitate fortuita inductum fuisſe, ut Deum ſuis conſiliis peculiariter favere eum ipſe opinaretur tum aliis ſtudioſe perſuaderet (1): hic aliquid ſumat in Moſis, viri omnium ex antiquitate gravisſimi et intelligentisſimi dignitatem perquam injurioſum, eumque vel in callidisſimum atque impudentisſimum impostorem, vel in putidisſimae ſuperſtitionis fautorem transformare cenſendus ſit. Pars I. Cap. III. §. 5.

Aliud rei, de qua agimus, exemplum praebeat Jeremias, qui ſi Divinum Numen confinxerit ſecum extraordinario modo communicasſe, quo Divina oracula ederet, Judaeis ingratisſima, quo umquam pacto, cum animum lenem, facile motum, et rerum difficultati ferendae imparem accepisſet, tam grave, tantique discriminis plenum, quale esſet turbatis illis, dum respublica praeceps ad interitum rueret, temporibus, munus et ſuscipere et perpetuo exſequi potuisſet, niſi hoc ab ipſo Deo quacumque tandem extraordinaria, et ſatis ſibi perſpicua ratione demandatum fuisſe non dubitasſet? Immo vero qua fronte, ſalvo veritatis amore, et dicere et ſcribere potuisſet, invitum ſe ac reluctantem munus illud molestisſimum ſuscepisſe, I. 6 - 8., et 17 - 19., ita quidem, ut, ſi Divinis mandatis obſistere auſus fuisſet, id utique depoſuisſet XX. 7 - 9 (2)? Enimvero, qui ex Hebraeorum prophetis peculiare cum Deo commercium prae ſe ferebant, hi cum oraculorum ſuorum argumento, tum vitae morumque gravitate ſe plane disſimiles oſtendebant illis aliarum ex antiquitate gentium vatibus, de quibus omnibus valе-

(1). Ita fere inter alios *Bauerus*, *Mythol. Hebr.* I. 270 - 300.

(2). Vid. ibi *Dathius*. Conferri eamdem in rem potest memorabilis locus 1 Sam. III. 1 - 9. e quo pateat, neque ad divinas apparitiones confingendas augendasve propenſos fuisſe Scriptores Sacros, neque in iis credendis faciles fuisſe homines quibus acciderent.

Pars I. Cap. III. §. 5.

leat, quod *Cicero* de ſuae gentis haruspicibus dixit: „ Mirabile videtur quod non rideat haruspex cum haruspicem viderit" (1).

Postremum verae apparitionis divinitus factae exemplum exhibeat omnium doctorum excellentiſſimus, Jeſus Christus, idque ex memorabili hiſtoria petitum, quae refertur Matth. XVII. 1-9. Marc. IX. 2-9. Luc. IX. 28-36. Hanc igitur ſingularem ac plane extraordinariam apparitionem, quae Jeſu nostro in excelſo quodam monte, tribus discipulis praeſentibus acciderit, et qua ejus forma exterior perquam glorioſe mutata fuerit, mythice omnino accipiendam eſſe, permulti ſtatuunt recentiores, etſi de modo, quo ipſa ſimplex hiſtoria e ſua miraculoſa ſpecie expedienda ſit, mimime conſentiunt. Sed *Bauerus*, qui fuſius de hac relatione egit (2), illam ſententiam maxime probabilem eſſe exiſtimat, ex qua nil aliud huic mythicae ſpeciei occaſionem praebuerit, niſi tempestas cum tonitru ac fulmine conjuncta, ut gravior tonitrui ſonus, qui dormientes discipulos expergefaceret, his ipſius Dei, Jeſum pro dilectiſſimo filio declarantis, vox eſſe videretur, interea dum rutilans fulminis lumen Jeſum obvolvens ipſi non modo glorioſam quamdam formam addere, ſed per aliquam quoque fraudem, quam media nox oculis fecerit, duos ei ſocios jungere videretur, quos discipuli Moſem et Eliam eſſe crediderint, Meſſia adveniente apparituros: de cetero Jeſum dicit, cum animadverteret, hanc rem ab imaginandi vi discipulorum exaggerari, hortatum fuiſſe, ne eam divulgarent, ſed de ea ſilerent. — Verum, ne longi ſimus in ejusmodi meris ingenii luſibus ſerio refellendis, hoc unum notemus cum hujus, in quo verſamur, loci inſtituto conjunctiſſimum, univerſam istam apparitionem, quantumvis ſingularem, ab ipſo Jeſu non pro re fortuita et a discipulis exaggerata habitam fuiſſe, ſed pro vero eventu, cujus conſilium eſſet graviſſimum, immo quem futurum praeviderit. In Jeſu enim admonitione nihil quidquam inest, quod indicet, ipſi ſuos discipulos in errore verſari viſos fuiſſe. Neque eos admonet ut de eo quod vidiſſent, plane ſilerent, ſed ut ne id prius narrarent, quam ipſe in vitam revocatus eſſet: cujus moniti ratio in eo perſpicue poſita est, quod illo demum tempore intelligi poſſe perſpiceret Jeſus, illuſtri ista apparitione ac transformatione exhibitam fuiſſe aliquam gloriae ſibi redivivo capiendae imaginem. Et erant tamen, qui praeſentes adfuere Petrus, Jacobus et Joannes, discipuli ejus intimi, quos itaque veritatis amantiſſimus et ab inſanae gloriolae ex fortuitis oculorum praeſtigiis oblatae et quaſi obtruſae captatione alieniſſimus doctor ſic in ſuo confirmaverit errore, ut horum duo illius moniti memores, post-

(1). *De Nat. Deor.* I. 26. et *de Divinat.* II. 24.
(2). *Mythol. Hebr.* II. p. 232 ſqq.

postquam ex terris excessisset, de ea apparitione ut ipsi perhonorifica loqui palam non dubitarent, eamque scripto relictam posteritati propogarent. Nam huc respexisse Joannem Euang. I. 14., cum se Jesu gloriam contemplatum esse diceret, maxime probabilis est sententia, ac Petrus Epist. 2. Cap. I. 16-18. de rei veritate se adeo certum esset scripsit, ut se non ex fabulis, sed ex propriorum oculorum testimonio de Jesu gloria ac majestate retulisse pronuntiaret (1). Ex veri simillimo etiam plerorumque veterum et multorum recentiorum judicio Jesus gloriae, qua in regno suo coelesti olim gavisurus esset, adumbratam quamdam imaginem in monte exhibendam praesignificavit Matth. XVI. 28. Marc. IX. 1. Luc. IX. 27. Illa enim praedictio apud singulos hos scriptores ita jungitur cum ipsa splendidae transformationis historia, ut omnino huc referenda videatur. Ac Jesus denique tres intimos discipulos eo modo narratur secum seorsim duxisse in montem altissimum, ut eum hos, hosque solos singularis rei, quam praevideret, testes esse voluisse, facile intelligatur. Quae cum ita sint, ipsius Jesu auctoritas, eaque omnium gravissima nos cohibeat, ne ipsis etiam maxime extraordinariis apparitionibus Divinis in S. C. memoratis, certissimum mythi indicium contineri existimemus. Pars I. Cap. III. §. 8.

2. Huic generali observationi alteram subjungimus magis specialem de Angelis, quas mere ficticias esse personas, aeque ac Genios Daemonesve iis simillimos et aliarum gentium fide receptos, temere sumitur. Quid enim? Negarine possit umquam aut in dubium adduci, veri esse simillimum, non solos in universa rerum, creatarum immensitate esse homines, qui rationis gaudeant usu? Ac ne *Bauerus* quidem hoc negavit, immo fassus est convenire ut Deum inter et hominem interesse censeantur variae res creatae intelligentia homini longe superiores (2). Quod autem subjicit, priscos mortales non ex ipsa hujus rei veri similitudine eo inductos fuisse, ut in tam imperfecta tamque circumscripta rerum cognitione Angelos agnoscerent, nequaquam inficior: verum inde non video consequi, ut Angeli, quos Sacra Scripta commemorent, personae sint mythicae. Opinatur quidem Bauerus, eorum originem ex polytheismo repetendam videri. Sed quam praeter ullam probabilem hoc fiat rationem, ex iis, quae superiori §. disputavimus, colligatur. Nihil ergo est simplicius, quam ut existimemus, Angelorum fidem primum natam inde fuisse priscis hominibus, quod eos identidem mitti a Deo viderent, ut hujus sive mandata exsequerentur in terris, seu voluntatem declar-

(1). Hanc Petri Epistolam non ei suppositam esse, sed omnino adjudicandum auctori, ex insitis praesertim indiciis recte collegit *Michaëlis* in sua *Introd. ad N. T.*

(2). *Theol. V. T.* I. p. 172

Part. I. C. III. §. 5, 6. clararent; unde aptissima quoque exstitit denominatio מלאכים sive *legatorum*; cumque adeo eos saepe jam primis apparuisse temporibus, referat historia sacra, atque hanc divinorum legatorum personam sustinuisse, perquam est consentaneum, ut ex ipsis his factis historicis primum eorum fidem repetamus. Accedit, quod hae Angelorum aeque ac Dei ipsius apparitiones, in S. C. memoratae, non hic illic sine caussa consilioque interjectae, aut ex opinionis commento advocatae conspiciuntur, sed cum peculiari, qui ubique in S. C. historiis ac doctrinis animadvertitur, Summi Numinis interventu ita conjunctae, ut hujus pars quaedam praecipua sint, utque, si sibi constare velint mythicae interpretationis patroni, hi negatis istis apparitionibus, ipsum illum extraordinarium Dei interventum facile negent. Et negant utique longe plurimi. Nos vero, qui eum in gravissima, hoc est verae religionis, caussa omnino agnoscimus, Angelorum quoque apparitiones agnoscendas esse arbitramur. Itaque, quod jam significavimus, posita Angelorum, qui apparuerint, veritate historica, facillime hinc repetere licet generalem illam Orientis fidem de personis Deum inter atque hominem intermediis, ut ea non ex polytheismo repetenda sit, verum contra Angelorum fides cum unius Dei cultu proxime connexa, sed mox per traditiones hominumque perversitatem ac malesanam deinceps philosophandi libidinem depravata, unum aliquem de variis polytheismi ac superstitionis fontibus aperuerit uberrimum. Ceterum, cum has personas praestantiores primis jam hominibus se conspiciendas praebuisse ferret avita traditio, hinc in eam facile inducti fuere sententiam philosophi Orientales, eas homine prius creatas fuisse: atque haec deinceps peperit celebratissimum illud mundi oculis non conspiciendi, sed ante mundum hunc adspectabilem formati dogma, ab Indis praesertim miro modo exornatum (1). At de nonnullorum mythorum exterorum cum S. C. relationibus, similitudine ex traditionibus repetenda disputabimus sub hujus Cap. finem, ipsos autem Angelos non mythicas, sed veras esse personas, Part. II. Cap. 2. §. 4. Obs. 4. iterum ostendere conabimur.

§. 6.

In ipsa, quae perhibetur, exterorum atque Hebraeorum mythorum similitudine est aliquod, idque valde memorabile discrimen, quod in illis conspicua est humani ingenii luxuries et magna ad quaevis, etiam maxime absurda, impia, horrenda ac monstrosa fingenda proclivitas, in his vero, qui ponuntur, aliquid excelsi, Deo digni et gravissimo consilio pleni passim haud obscure apparet.

1. Ac-

(1). *Mythologie des Indous.* II. p. 664.

1. Atque hic immensum campum nobis apertum videremus si quaecumque de Phoenicum, Aegyptiorum, Indorum, aliarumve gentium antiquarum mythologia cognosci potuerunt, intentis oculis lustrare vellemus, et ad ipsam, quae Hebraeis adscribitur, mythologiam instituta comparatione exigere. At prodeat tamen paulisper, quae haud procul ab omnium conspectu remota est, et cum Hebraica comparatur potissimum, nobilis illa Homeri mythologia. Haec in quantam reprehensionem incurrerit apud Platonem aliosque ipsius Graeciae viros prudentissimos, ita est notum, ut exponere non opus videatur. Ecquis etiam in historia interpretationis fabularum Homericarum parumper est versatus, quin sciat, a Stoicorum inde aetate fuisse permultos, qui in iis ab invidia vindicandis et ad sanioris rationis decreta componendis, dicam? an detorquendis desudarent, inter recentiores vero non defuisse etiam, qui vel deformatas historias antiquas, vel reconditas sub ingeniosarum allegoriarum involucro doctrinas sapientissimas ex eo eruere veroque suo, aut certe probabili aliquo, habitu proponere summo nisu elaborarent? Denique quid, nostra aetate a celeberrimo *Heynio* tentatum sit, ut Homerum ab omni culpa liberaret, supra a nobis expositum est Cap. I. §. 1. Jam vero quaecumque in universo C. S. mythicam rationem habere ponuntur, in his, quantumvis haud raro singularibus cum historice intelliguntur, aliqua semper fere inest sive proxima, seu remota conjunctio cum vera unius Dei doctrina, ad eamque sive patefaciendam, seu persuadendam et commendandam, seu conservandam et a vituperio ludibrioque tuendam comparata sunt. Verbo: tam ingens est utriusque mythologiae discrimen, ut haud diffitentibus iis ipsis, quibuscum disputamus, tendat id in Hebraicae mythologiae honorem (1). Pars V. Cap. III. §. 6.

2. „ At, insunt tamen, inquies, in Scriptis Sacris Hebraeorum et Christianorum haud pauci mythi, de quibus minus aequum ferri queat judicium. Ecquis „ enim illam Adami costam, ex qua formata fuerit Eva; quis serpentem in hominis ad peccatum primo tentati descriptione, aut asinum conspecto qui viam „ intercluderet Angelo, in Bileami historia loquentem; quis divinum, quod pater „ acceperit Abrahamus de filio propriis manibus immolando mandatum; quis collapsos ad tubarum sonitum Hierichuntis muros; quis subsistentem Josua cupiente Solem ac Lunam; quis Simsonis, divini scilicet herois, labores fere „ Herculeos; quis Eliam a corvis nutritum ac postea igneo curru igneisque „ equis raptum in coelos; quis recedentem in Hiskiae horologio umbram solarem; quis Angelum certo tempore coelitus descendentem ut piscinae Bethesdae „ aquas turbaret, easque ita ad quoscumque morbos sanandos aptos efficeret: „ haec,

(1). *Bauerus*, *Hebr. Mythol.* I. p. 56.

Pars I. C. III. §. 6, 7. „ haec, et quae alia ſunt plura hujusmodi, quis ferat, et conſiliorum Divino„ rum gravitati aut hiſtoriarum dignitati convenire contendat?" Verum enimvero, horum nonnulla alibi paſim exponemus; ac, ne occupemus, quae opportuniori loco monenda erunt univerſe, ut istiusmodi difficultates hiſtoricae interpretationi objectas, partim tollamus, partim levemus, hic ſolummodo animadvertimus, veriſimum nihilominus eſſe, quod paulo ante diximus de nexu, quem quae mythice exponuntur, cum vera Religione uniusque Dei cultu in univerſum habeant, et qui qualis omnino ſit, ex iis, quae §. 3. notavimus, ſatis intelligatur. Atque hoc Sacris nostris Scriptis eo magis est honorificum, quo abſurdiora ſunt exterae theologiae mythicae, praeſertim Homericae commenta. Quin etiam in ipſis iis locis, quae mythice accipiuntur, aeque ac in univerſo Codice Sacro, tam praeclarae inſunt de ſummo Numine, de ejus virtutibus, deque divino rerum humanarum regimine notitiae, initio quidem ſimpliciores et ad hominum imbecillitatem magis accommodatae, ſed cum tempore et ampliores et perfectiores, ut ne ex praestantisſimorum quidem philoſophorum ſive Graecorum, ſeu Romanorum ſcriptis proferri queant, quae ad illarum praeſtantiam quodammodo accedere videantur.

§. 7.

His, quae de jactata illa mythorum exterorum atque Hebraicorum ſimilitudine animadvertimus, plura habemus addenda, quae una eaque postrema complectamur contemplatione, qua ipſam hujus ſimilitudinis rationem in univerſum ac paulo propius conſiderabimus.

Iſta igitur ſimilitudo partim quidem est ejusmodi, ut ex communibus causſis aut ex communi quodam fonte repetenda ſit, ſed longe maximam partem vel plane nulla, vel fortuita dumtaxat, vel ita denique comparata, ut haud difficulter appareat, exteros mythos a rebus ipſis, quarum hiſtoricae exſtent in Scriptis Sacris relationes, originem deducere.

1. Et *Bauerus* quidem (1) magnam, quae in oculos incurrat, exterorum atque Hebraicorum mythorum ſimilitudinem quondam male repetitam fuisſe ait ex eo, quod aliae gentes, praeſertim Graeci ac Romani, hiſtorias Hebraeorum in fabulas converterint, ſed in mythis philoſophicis repetendam eam eſſe ex ſimili hominum cogitandi more, qui ſimiles et cosmogonias, et mali exorti contemplationes, et regionis mortuorum repraeſentationes pepererit; in hiſtoriis autem ex ſi-

(1). *Hebr. Mythol.* I. p. 42 ſqq.

ſimili modo, quo hae convenienter cum generali ad mythicam rationem propenſione enarratae fuerint; unde exſtiterit V. C. ſimilitudo diluvii Noachici cum Deucalioneo, etſi alio tempore illud in quadam Aſiae parte, hoc in Graecia alio tempore acciderit: denique fuiſſe quasdam veteris aevi traditiones ubique diſperſas, quae ab alia gente ad aliam pervenerint; quocirca mirum non eſſe, quod traditiones Orientales, quamquam non Hebraicae dicendae, ad Graecos deferrentur, qui partim Aſiam incolerent, partim ex ea oriundi eſſent, et cum Phoenicibus etiam commercia exercerent. Pars I. Cap. III. §. 7.

De hac vero ſimilitudine ejusque ratione, quantum ea huc pertineat, nos in antecesſum notamus, eſſe omnino nonnulla Hebraeis cum aliis gentibus communia, ex communibus causſis aut fonte communi repetenda, quae *Mythorum* nomen invenerint. Huc retulerim cum figmenta poëtarum tam Hebraeorum, quam Graecorum ac Romanorum conſimilia, quibus haud dispar fingendi facultas eumdem fere colorem habitumque quaſi induxerit, tum vero etiam nonnullas ſive vulgi opiniones, ſeu ſapientum doctrinas, a poëtis arreptas et exornatas, atque regionis mortuorum imagines praeſertim, ideo conſimillimas, quia ex communi fonte Aegyptiaco hauſtae ſunt: de quibus utrisque, *Mythorum* etiam vocabulo deſignari ſolitis, ſupra jam vidimus quid judicandum ſit Cap. 2. §. 2. Obſ. 3. et §. 4. Obſ. 1.

§ 2. Magna ex parte nullam eſſe exterae mythologiae cum Hebraica ſimilitudinem, jam ibi ostendiſſe nobis videmur, ubi praecipuum mythologiae fontem, ſive polytheismum, Hebraeis praecluſum fuiſſe animadvertimus § 4. Itaque hic illud praeſertim volumus, quaeſitam inter mythos mythis comparatos ſimilitudinem haud raro ficticiam eſſe re ipſa ac, plane nullam. Hujusmodi est quod Paradiſi vetitos fructusab Adamo in ſuam et univerſi generis humani perniciem comeſos, cum Pandorae pyxide, cujus temere retecto operculo malorum omne genus evolaverit; arcum pluvium ceſſante diluvio ut ſignum hujus diluvii numquam postea reverſuri a Deo exhibitum, cum Homeri Iride Deorum miniſtra ac nuntia; uxorem Loti neglecto Angeli mandato respicientem ideoque punitam, cum Eurydice ad Inferos ideo relapſa, quod Orpheus maritus impoſitae conditionis immemor oculos retro ad eam avide inflexerat, priusquam inde exiiſſent; aut eamdem illam in ſtatuam ſalis mutatam cum Niobe in lapidem converſa; arietem ab Abrahamo divinitus pro filio in victimam ſubſtitutum oblatumque, cum Agamemnonis hinnulo coelitus in altare dejecto; luctationem Jacobi patriarchae et Divinae cujusdam perſonae, cum Deorum Heroumque pugnis Homericis; Moſem in Nilo expoſitum et a principe foemina Aegyptia modo naturali in vita ſervatum atque educatum, cum Romulo et Remo in Tiberi expoſitis et mox ſin-

Pars I. Cap. III. §. 7.

gulari plane ratione a lupa ad eorum vagitum accurrente lactatis, deinde vero a regii pastoris uxore educatis; eumdemque Mosem aquas ex rupe suo baculo percusſa elicientem, cum Pegaso ungulae ictu fontem Hippocrenem excitante; recedentem solis umbram ad Jesaiae mandatum, cum Phaëtonte solis equis regendis impari cumque iis in devia abrepto; spiritum Divinum columbae specie symbolica in Jesum descendentem, cum Diis Homericis avium interdum forma acsumta se homini conspicuos reddentibus, aut cum avibus certo quodam volatu felix omen afferentibus; ac vocem coelitus simul delapsam, quae nil aliud fuerit nisi tonitrui sonus, cum tonitru inexpectato et magna quaevis annuntiante: haec igitur ipsa secum invicem comparari sibique mutuo simillima haberi voluit ingeniosum vel unius *Baueri* studium (1). Sed ecquis, quaeso, est quin istiusmodi institutas comparationes levi oculo perlustrans, nec mentem omnino praeoccupatam habens, mecum consentiat, non alio eas institui consilio, nisi ut quocumque tandem modo mythi Scriptis obtrudantur Sacris, quales in aliarum gentium scriptis aut traditionibus reperiantur. Et vero permulta quoque sunt in C. S. quae Bauerus mythice jubet exponere, sed quibus nil quidquam simile alibi videtur reperire potuisse.

3. Haud pauci etiam proferuntur mythi Hebraici, quorum cum exteris fortuita dumtaxat similitudo sit. Quam in rem unum item et alterum exemplum selegisse suffecerit.

Est ergo magna similitudo inter aureae aetatis descriptiones Graecorum ac Romanorum poëtarum et inter felicium temporum, quae Messias allaturus esset, adumbrationes ab Hebraeorum Prophetis prolatas. Sed, quandoquidem, uti supra vidimus Cap. 2. §. 4. sub finem, ne poëtae quidem Hebraeorum aureum ejusmodi aevum, quod olim fuerit finxisse videntur, haec imaginum similitudo meo judicio fortuita censenda est: cumque ii in poëtica rerum descriptione atque amplificatione perquam sint ornati et foecundi, tum vero quidquid creatrix ingenii vis, qua eximie pollebant, iis suppeditaret, hoc omne in futurorum temporum felicium pictam quasi tabulam contulerunt: cui igitur haud dissimilem si exteri quoque poëtae exhibuerunt ad priscorum temporum felicitatem repraesentandam, hoc utique nihil aliud probat, nisi quod hi ex simili vi creatrice similes produxerint imagines. Ac sunt in aliarum etiam rerum descriptione imagines poëticae utrobique consimiles: quae similitudo in se fortuita est, et in poësi adeo, cujus eadem summatim est fingendi ratio apud gentes quascumque, etsi ad diversam singularum indolem comparata, ab hoc ipsa, ut proxima causa unice repetenda videtur. Sed hoc fere jam occupavimus Obs. I. sub finem.

Dein-

(1). *Mythol. Hebr.* I. p. 97, 192, 243, 248, 256, 294. II. 208 sqq. 229 sqq.

Deinde, quod omnino gravius est, haec sumitur similitudo inter somnia, quibus saepe divini quid affinxerit superstitiosa antiquitas, et inter ea, quae Deus plus semel in hominum mentibus excitasse dicitur in Cod. S., ut utrobique mythum philosophicum, sive philosophema admittere oporteat (1). Et de illa superstitione nullum, ne levissimum quidem, dubium esse potest. Immo vero ad quam remotam ea pertingat antiquitatem, liquet manifesto ex Genes. XLI. 8., ubi diserta fit mentio eorum, qui somniorum interpretationem profitebantur apud Aegyptios. Verum quo jure propter hanc similitudinem eadem superstitio sic adscribatur Hebraeis, ut, ubicumque de divinis somniis eorumque consilio agatur in C. S., ibi hoc ex eadem plane repetatur origine, atque adeo philosophematı, quod vocant, attribuatur? Habet ista similitudo diversas causas, estque igitur fortuita dicenda. Apud alias gentes quandocumque somnia singulare aliquid habere videbantur, ex iis futuri cognitionem aeque petere studebant atque ex aliis rebus quam plurimis: et erant nimirum varii generis vates, quibus futuri cognitionem, undecumque tandem petendam, propriam tribuebat superstitiosa credulitas. Sed hanc vesanam superstitionem non fovebat immo vero diserte ac severe vetabat purior Hebraeorum religio. Vid. Deuter. XIII. 1-5. Jerem. XXIII. 25. sqq. Zachar. X. 2. Porro, ecquis Deo indignum esse ausit contendere, ut qui aliis quoque modis suam voluntatem hominibus declararet, idem eam subinde declararet per somnia menti oblata, eamque hac declararet ratione, qua satis constaret, non ordinaria esse somnia, sed quae ipse menti objecisset: cujusmodi haud dubiae declarationis exemplum est Genes. XLI. 15, 16, 25, 28, 38, 39. Itaque, nisi negare velimus omnem Dei interventum extraordinarium in historia sacra, consentaneum est, ut huic ipsi causae illa somnia attribuamus. Denique ejusmodi revelationes, per somnia divinitus factae, numquam leves ob causas factae esse memorantur, sed, aeque ac generalis ille Divini Numinis interventus, variis modis demonstratus, consilium habent sapientissimum et cum vera praestantissimaque religione omnino conjunctum.

Pars I. Cap. III. §. 7.

Postremum, idque omnium gravissimum quaesitae ac fortuitae similitudinis mythicae exemplum est in extraordinario modo, quo hominum Servator natus esse refertur. Scilicet inter alios fidenter affirmat *Bauerus* (2), Jesum fuisse Josephi et Mariae filium, sed, cum opinio esset, tam extraordinarium hominem, quam qualis futurus esset Messias, non decere, ut ordinario humanoque more prodiret in vitam, hinc mythi philosophici, sive philosophematis, habere rationem id, quod

(1). *Bauerus*, in *Mythol. Hebr.* I. p. 110, 111, 113.

(2). Loco allegato p. 192. *c.* sqq.

Pars I. Cap. III. §. 7. quod de extraordinario, quo natus sit, modo tradatur in historia Euangelica: similiter enim apud alias gentes nascendi modum a communi consuetudine recedentem magnis viris ac principibus affictum fuisse, ut sive a Deo quodam spirituve procreati fuerint, sive a matre virgine concepti. — Ejusmodi superstitiosae venerationis exempla externa non deesse, novi equidem ac minime adeo diffiteor: at non video tamen, quo jure eidem superstitionis commento adscribatur extraordinaria ejus nativitas, cui nullus umquam exstitit homo sive doctrinae, seu virtutis, excellentia comparabilis, quique et ipse sibi aliquid plus semel adscripsit homine majus, et ab iis, qui ipsum probe nossent, pro viro divino habitus fuit, omnibus, qui umquam fuissent, longe ita superiori, ut ipsius divinitatis vim ac virtutem in se plane complecti censeretur. Neque ullum etiam in Scriptis Sacris exemplum est similis quodammodo venerationis, qua summos gentis suae viros prosecuti sint Hebraei. Quod si ergo neque Abrahamo, nobilissimo gentis conditori, nec Mosi, legislatori ac reipublicae fundatori celebratissimo, nec Davidi, quo rege nemo pluris fuit aestimatus; si igitur ne his quidem aliquid a consueto nascendi modo plane diversi affinxerit aetas antiquior, quo eorum praestantiam supra communem humanae et naturae et conditionis modum mirabiliter efferret: estne in se vel parumper credibile, recentiori fuisse aevo, qui excellentissima et gentium superstitionibus vehementer inimica doctrina imbuti aliquid cum his ipsis convenienter assumerent, quo illius doctrinae auctori extraordinariae nativitatis honor tribueretur, immo huic singulari figmento mature fidem apud omnes conciliarent? Neve dixeris, locum Jesaiae VII. 14. ad ejusmodi figmentum ansam fortasse dedisse opportunam. Nam in more quidem aetatis erat ut veterum prophetarum oracula ad certos quosdam eventus accommodarent, qui his praesignificari viderentur, non vero, quod sciam, ut ipsos confingerent eventus, quibus quaedam comprobarentur oracula. Ac justa etiam est dubitandi causa, num Judaei, quo tempore Messiam sperarent nasciturum, ex isto oraculo exspectaverint, forte ut e virgine nasceretur: certe hujus rei nulla in eorum scriptis exstant indicia perspicua (1). Ceterum, ut hoc obiter ac breviter animadvertam, memorabilis ille locus Jesaiae mihi videtur omnino ex prophetae consilio ad Messiae spectare natales, nec leve adeo ponderis momentum addere ipsius de nato Messia relationis veritati historicae. Alius enim ejusdem divini vatis locus, qui est Cap. IX. 6., ubi haec nativitas ipsi ob oculos versabatur, alteri illi suo argumento simillimus est: quamquam tamen orationis nexum ibi paulo difficiliorem esse fateor; sed haec fortasse difficultas in eo est posita, quod non

(1). Vid. *Schoetgenii Horae Hebr. et Talm.* II. p. 159. et 421. sqq.

non integrum illum Jeſaiae ſermonem, ſed ejus dumtaxat ſummam ſuperſtitem habeamus.

4. Poſtremo, tametſi minime exiſtimamus, plerarumque fabularum cum aliarum, tum Graecarum praeſertim ac Romanarum originem ex Hebraicis hiſtoriis, tamquam rivulos ex fonte, derivandam eſſe, quam opinionem merito reſpuerit *Bauerus* (1): hoc tamen affirmare non dubitamus, exteros eſſe mythos, quorum origo maxime probabiliter ex ipſis, de quibus Scripta Hebraeorum Sacra referant, rebus hiſtoricis deducatur; ut illi non ex ipſis his ſcriptis petiti ſint, ſed ex traditione longe lateque propagata ac diu conſervata earum rerum, quarum veras relationes hiſtoricas in istis ſcriptis reperiamus.

Nimirum fatetur Bauerus, uti in hujus §. initio notavimus, eſſe traditiones, quae ex Oriente facile in Graeciam pervenerint. Jam vero, ſi ea ſit harum traditionum ratio, ut, quando ad Hebraicas, quibuscum maxima ſit iis ſimilitudo, relationes inſtituta comparatione exigantur, Hebraeï ipſum purum fontem videantur tenuiſſe, ex quo et Graecae illae, et aliae etiam apud alias gentes reperiundae quaſi rivuli fluxerint, temporum, locorum hominumque vitio conſpurcati: manifestum erit profecto, quid de illa ſimilitudine judicandum ſit et quantopere ea tendat in honorem Librorum Sacrorum (2). Atque hoc revera non temere a nobis ſtatuitur. Ne enim repetamus, quae ſupra jam §. 5. Obſ. 2. notavimus de perſonis Deum inter et hominem intermediis, quarum fides pasſim in Oriente recepta ex veris de Angelorum apparitione hiſtoriis, ſed per traditionem deformatis primum orta ſit: alia hic eamdem in rem exempla proferamus.

Itaque ut ab hoc incipiamus, quod cum eo ipſo, de quo ſupra in loco memorato disputavimus, proxime conjunctum est, Theophaniarum, quas vocant, et quarum plena est non Graecorum tantum, ſed aliarum etiam gentium mythica antiquitas: harum ergo Theophaniarum nullam originem poni probabilem arbitramur, niſi in factis quibusdam verisſimis ac longe antiquisſimis, ſive in ipſius Dei apparitionibus, quarum non omnes, ſed praecipuae dumtaxat nonnullae memoren-

(1). Nuper in libro Gallico, qui inſcribitur *l'Antiquité dévoilée au moyen de la Geneſe* et Pariſiis editus est Ao. 1807, omnium fabularum originem e libro Geneſeos vidi repetitam. Est utique egregium opuſculum, in S. C. honorem ac dignitatem ſusceptum, nec pauca continet probabiliter disputata: at haud ſcio tamen, an justae argumentationis aequalem ubique laudem omnino mereatur.

(2). Hanc comparationem optimo conſilio inſtituit auctor mythologiae Indicae, ſive *Mythologie des Indous par Mad. de Polier*, T. II. p. 640. usque ad finem: ſed asſumit, permulta jam ipſi Adamo divinitus patefacta fuisſe, praefertim de divina natura ac ſpiritibus ante hominem creatis, quae per traditionem cum mature ad Indos, tum deinceps ad alias gentes manaverint: quod vereor equidem ut univerſe probent prudentiores.

Pars I. Cap. III. §. 7.

rentur in pervetuſtis ac brevioribus Geneſeos documentis hiſtoricis, et quarum avita eaque grata traditio variis fabulis occaſionem pepererit facillimam. Et profecto ii ipſi, qui hanc Theophaniarum ſimilitudinem maxime urſerunt, hi igitur exponant probabili quadam ratione, unde tandem vetuſti aevi honimibus oborta ſit cogitatio, Deos immortales mortalibus hujus terrae incolis ſubinde intereſſe voluiſſe. Nam concipimus equidem, et Deorum multitudinem a ſuperſtitioſa pietate variis modis conſictam fuiſſe, et, cum hi humanis oculis non conſpicerentur, eorum non tantum imagines quasdam in rebus naturae obviis expreſſas fuiſſe viſas, ſed vero etiam ſimulacra confeciſſe homines, quibus eos oculis ac mentibus ſuis repraeſentarent: verum eamdem priscam pietatem confinxiſſe ipſos Deos, quos ſummo ſtudio ſibi qualicumque tandem modo redderent praeſentiſſimos, aliquando humana ſpecie in terris verſatos fuiſſe, hoc vix ac ne vix quidem concipimus, niſi quid re ipſa accidiſſe ſtatuamus, quod ſingulari figmento facilem originem daret. Certe ex illarum apparitionum divinarum hiſtorica veritate tam facile illud exſtiterit, ut nulla cauſſa magis naturalis ne fingi quidem poſſe videatur (1).

Atque idem affirmare licet de priscae longaevitatis deſcriptione, quam mythici figmenti loco habendam eſſe et ex communi antiquitatis opinione repetendam, inter alios ait *Bauerus* (2). Etenim, niſi revera tempus olim fuerit, quo homines multo diutius viverent, quam vel maxime longaevi hodie vivere ſoleant, estne credibile, vel ſomniando umquam illud confinxiſſe homines, quod conſtantiſſimae omnium omnino temporum experientiae plane adverſaretur? — „ Quidni, „ inquies, hoc confinxerint, cum auream etiam aetatem commenti ſint, qualem „ tamen exſtitiſſe, nemo ſanus opinetur?" Novi equidem: at ne ipſum quidem hoc commentum humanae menti obventurum fuiſſe arbitror, niſi id primaevae hominum, de qua convenienter cum ipſa rei natura et ſummi Numinis ſapientia ac bonitate refert hiſtoria Sacra, integritatis et cum ea conjunctae felicitatis traditio primum ac facile peperiſſet. Inſtas tamen, et istam longaevitatem minime in ſe veri ſimilem eſſe dicis, cum haec ſit humani corporis conſtitutio, ut vitam per plurima ſecula productam non ferat. — Audio. At tu, qui illud hodie ita eſſe, ex Anatomicis obſervationibus merito colligas, quo tandem jure affirmes, numquam id aliter fuiſſe, nec primis temporibus, quo plus primitivi vigoris retinuiſſent homines, quoque magis diverſa, praeſertim ante diluvium, eſſet orbis facies, eo diutius vivere potuiſſe? Ego certe, qui hoc non ex hodiernis medi-

co-

(1). Conf. *Toblerus* in opere, cui titulus: *Anmerkungen zur Ehre der Bibel.* II. p. 46.
(2). *Mythol. Hebr.* I. p. 196 ſqq.

corum obſervationibus calculisve aestimandum, ſed hiſtorice dijudicandum eſſe nullus dubito, non video quare in illa longaevitate magnopere offendamur, quae ſatis perſpicua habeat hiſtoricae veritatis indicia. Quae enim ea de re apud alias gentes antiquas feruntur, haec cum priscorum hominum vitam multo faciant longiorem, et ad complura annorum millia producant, manifesto ita ſunt exaggerata, ut istas libri Geneſeos relationes jam in ſe reddant veri ſimillimas, ex quarum ipſo argumento per traditionem ea hauſta eſſe videantur. Et erat haec longior vita ad rerum humanarum primordia, ad varios hominum, in quodam quaſi infantiae ſtatu verſantium uſus, ad ipſumque adeo conſilium Divinum eximie accommodata. Et paulatim ea ita decreviſſe memoratur, ut Jacobus patriarcha, cum aetatis annum centeſimum ac trigeſimum attigiſſet, ſeque haud multo diutius victurum eſſe exiſtimaret, hanc ſuam vitam proavorum vita breviorem eſſe diceret Geneſ. XLVII. 9; donec Moſis aevo ad eam, quae hodieque obtinet, brevitatis rationem revocaretur, uti probabiliter ex Pſ. XC. 10. colligatur (1). Ceterum de integris annis agi in illius longaevitatis deſcriptione, a multis ita fuit demonſtratum, ut de eo vix amplius dubium eſſe queat (2). Pars I. Cap. III. §. 7.

Sed nulla in re magis perſpicua est mythorum exterorum derivatio ex puriori fonte, ad quam nobis etiamnum adire liceat, quam in Cosmogoniis. Eam ſupra jam attigimus Cap. I. §. 2. Obſ. 1. Quod ſi autem hic Sanchoniathonis, qui utrum unquam exſtiterit, et auctor fuerit eorum, quae ipſi adſcribuntur, an ſecus, disputatur, at certe duobus ſeculis, et quod excurrit, Moſi posterior fuerit (3): Sanchoniathonis igitur Cosmogoniam, ex vetustisſima illa, quam Moſes aſſumſit, manifesto petitam, aut eam, quae ex Indicis omnium et antiquisſima est, et ſimplicisſima, et Moſaicae ſimillima, et huic tamen ipſi ſublimitate ac majestate multo inferior, aliasve quae praeterea ferantur, ſi hic luſtrare vellemus et ad primum ſuum ac puriſſimum fontem exigere, tum nobis multo excurrendum foret longius, quam per propoſiti rationem liceret. Sed eam comparationem ita

(1). Vid. ibi *Muntinghius.*

(2). Vid. *Michaëlis N. Biblioth. Or.* IX. p. 201 ſqq., *Hamelsveld* in *Bibl. def.* IV. p. 158., et *Heringa* ad *Seileri Hermeneut. Bibl.* p. 161 ſqq.: et cum dictis conf. *Heſſius* in *Hiſtor. Isr.* P. I. p. 60 ſq. edit Germ., et *Jahnius*, *Introd. Germ. ad V. T.* II. 1. p. 114. ſq., qui ibid p. 119 et ſq. recte animadvertit, priscis hominibus iisque nec ſtupidis, nec vitae molestia distractis haud adeo difficilem fuiſſe annorum computationem ad Solis ac Lunae curſum exactam. De ejusdem longaevitatis traditionibus apud Sinenſes aliisque gentes vicinas vid. *Bayerus* in *muſeo Sinico* II. p. 283 ſq.: in quo universo loco alia plura notavit a Sinenſibus eodem ex fonte hauſta.

(3). *Christ. Saxius* Moſis aetatem refert ad annum orbis conditi 2507., Sanchoniathonis vero ad A°. 2729. vid. ejus *Onomast. literar.* T. I. p. 4 et 7.

Pars I. Cap. III. §. 7.

ita jam inſtituerunt alii, ut nos quidem hoc labore nunc facile ſuperſedeamus (1). Quo magis autem ad variarum Cosmogoniarum ſimilitudinem, quam et inter ſe ſingulae et cum Moſaica omnes habent, attendimus, eo nobis apparuit clarius hujus, ex qua manaverint, praestantia plane ſingularis et vere divina. Ac valde adeo aſſentimur *Henslero*, Germaniae philologo minime illiberali (2), qui ineptas eſſe aliarum ac ſapientiſſimarum etiam gentium antiquarum Cosmogonias pronuntiavit, ac nullam reperiri, quae ad Moſaicae illius praestantiam quodammodo accedat: immo ingenue declaravit, non eſſe quod quemquam pudeat veterem fidem profiteri, eamque Cosmogoniam repetere ab inſtitutione divina; quam ipſam fidem et nos quoque haud ſine gravi ratione profiteri, ſupra ſignificavimus Cap. 2. §. 2. Obſ. 1.

Verum ſunt alia plura, quorum notitia per traditionem ad alias gentes devenerit de rebus, de quibus refertur in parte Geneſeos antiquiſſima. Haec memoravit *Howardus* (3), oſtenditque peculiariter, tam generales eſſe ac per totum orbem diſperſas traditiones de magno quodam aquarum diluvio, ac Moſaicae de eodem relationi tam ſimiles, ut dubitare non deceat, quin illae ex hac, ut ex communi origine, repetendae ſint: quod cum ab eo evidentiſſime demonſtratum ſit, et ab aliis pluribus jamdudum animadverſum, non opus est utique, ut in magna rerum, quae pertractandae ſuperſunt, copia enucleate exponamus (4). Hoc unum tamen non poſſumus quin breviter annotemus, in illa relatione Moſaica, etſi per ipſam rei naturam non penitus explicanda, ineſſe omnia verae ejusque ſimplicisſime narratae hiſtoriae indicia, ita quidem ut et tempus, quo duraverit dilivium, accurate deſignetur, et cauſſae naturales, quae illud mox ſen-

(1). Quam honorifica in Cosmogoniam Moſaicam ſit ea comparatio, vel ex *Baueri Mythol. Hebr.* I. p. 67 ſqq. liqueat. Conf. porro *Hiſt. Univerſ. a Westerbanio* edita T. I. initio, *Heſſii Hiſt. Isr.* I. p. 70 ſqq., Abbas *Jeruſal. Comment.* IV. *ſuper Relig.* Sect. 3. ſub finem, *Herderus* in opere quod inſcripſit *Alteste Urkunden des Mensch. geſchl.* P. II. et III., *Muntingh.* in *Bibl. cult. hum. hiſt.* III. p. 209. et ibi not. coll. IV. 159, et not., et, ne alios commemorem, *Howardus* in opere praestantiſſimo ſupra jam laudato, quod partim Germanico ſermone prodiit hoc titulo: *Geſchichte der Erde und des menſchengeslechtes nach der Bibel*, p. 55. De *Sanchoniathone* ejusque Cosmogonia dignus est qui legatur *Michaëlis* in particula *Introd. ad V. T.* p. 205 ſqq. edit. German, de vetuſtiſſima autem Indica codex legum Indicarum, ſive *Hindu Geſetzbuch von W. Jonas*, initio, praeſertim p. 2. et ibi not.

(2). In libro, cui titulus: *Bemerkungen uber ſtellen in die Pſalmen und der Geneſis*, p. 200. Singularem Cosmogoniae Moſaicae praestantiam agnovit etiam *Wagnerus*, *Mythol.* p. 319–321.

(3). In libro laud. p. 55 ſqq.

(4). Conferri hic poſſunt *Hist. Univerſ.* modo laud. p. 270 ſqq., *Heſſ.* l. l. p. 118 ſqq., Abbas *Jeruſal. Comment.* III. Sect. 1. initio, *Tobler*, in opere ſupra laudato, P. II. p. 6 ſqq. et van *Beeck Calkoen* in diſſert. mox laudanda, p. 69 ſq. in nota.

ſenſim adducerent, ac poſtea ſenſim denuo pellerent, tam perſpicue exhibeantur, quam ferret remoti istius aevi ratio. Profecto, quamvis difficultatis habeat ea relatio et multas, et graves, est nihilominus ita comparata, ut non ſero demum eam ex incerta et confuſa traditione aeque haustam esſe variisque figmentis deformatam, ac traditiones quae cum hac comparentur, ſed ab homine, qui praeſens ipſis rebus interfuerit, omniaque attentis obſervaverit oculis, relatam fuiſſe, atque adeo istarum traditionum uhicum nobis aperire eumque limpidiſſimum fontem, mihi certe perſuaſiſſimum ſit. Pars I. Cap. III. §. 9

Idem denique dictum esto de ſimilitudine quae est inter exteros mythos nonnullos et inter Moſaicam de primitivo hominum ſtatu ac malorum origine relationem. Et Pandorae quidem fabulam non esſe ejusmodi, ut cum ea comparabilis ſit, ſupra Obſ. 2. ſignificavimus. Sed *Bauerus* (1). alios etiam comparat duo mythos in eo ipſo ſimiles, quod homines inducunt, qui gustatis cibis quibusdam et corporis et animi amiſerint robur praestantiamque, quibus gaviſi esſent, verum in hoc multum diverſos, quod commenta adjuncta habent ineptisſima, veluti quod in utroque mytho dicatur, nullis cibis terrestribus antea iis opus fuiſſe, quibus vitam ſustentarent, in priore autem Tataris Calmuchis adſcripto, homines perhibeantur ad annos usque 80000 olim ſuam vitam produxiſſe, atque alarum ſuarum ope ſe ad coelos usque efferre potuiſſe, et in altero, quem Perſae habuerint, homines narrentur a malo ſpiritu excitati primum inter venandum cibo vesci coepiſſe, ejusque noxiam vim pasſi fuiſſe, ſed per fructuum quorumdam, ab eodem malo ſpiritu iis oblatorum, uſum omnibus ſuis commodis privati: quarum igitur fabularum ecquis mecum non primum fontem agnoscat in ſimplicisſima relatione Moſaica? Atque hanc ipſam aliis etiam traditionibus, per Orientem disperſis, originem dediſſe, quarum quaſi genuinum exemplar ſit, ita demonſtratum fuit in disputatione adverſus *Dupuiſium* et *Volnejum* inſtituta, quae Vobis, Viri prudentisſimi, judicibus praemium reportavit (2), ut actum agere nobis videremur, ſi de eo, aeque ac ſi necdum confectum esſet, coram vobis disputaremus. — Quapropter priori hujus disputationis parti jam finem imponimus. Et vero haec nos duitius detinuit, quam ipſi quidem exſpectaveramus. At generale tamen illud ac primarium eorum, qui mythologicae Sacrarum Literarum interpretationi patrocinantur, argumentum ab omni parte perpendendum arbitrabamur, quo pateret, id minime eo valere, ut illam adhibere oporteat: quin

(1). *Hebr. Mythol.* I. p. 98 ſqq.

(2). Ejus auctor, uti neminem latet, est *van Beek Calkoen*, estque ea in P. XIX. Disputationum Theologicarum Societatis Teylerianae.

Pars I. Cap. III. §. 7.

quin etiam nisi nosmet ipsi cohibuissemus, multo longius in hac contemplatione versati essemus.

Accedimus igitur sine ulteriori mora ad alteram nostrae disputationis partem; in qua lustrare cupimus alia interpretum mythologicorum argumenta, priori illi subsidiorum aut praesidiorum instar subjuncta: quae utrum infirma etiam esse et Sacrorum Librorum dignitati atque auctoritati adversa, sic ostenderimus, ut eorumdem Librorum honorem satis vindicasse videamur, Vos judicetis, Viri spectatissimi! nos certe hoc omnibus viribus secutos fuisse, ipsi facile animadvertetis.

DIS-

DISPUTATIONIS DE MYTHICA CODICIS SACRI INTERPRETATIONE PARS ALTERA.

De ſubſidiariis argumentis pro mythica Sacri Codicis interpretatione afferri ſolitis.

CAPUT PRIMUM.

De mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praeſidio, quod quaeritur in horum relationibus hiſtoricis, diu demum post eventum perſcriptis.

Cum primum interpretatio mythica in Sacrum Codicem introduceretur, ac mythi adeo in antiquiſſimis fere Geneſeos documentis ſive fragmentis ſolis quaererentur, primariae illi, quam jam disceptavimus, argumentationi hoc quasi fundamentum ſubjiciebatur, relationes, in illis Geneſeos partibus comprehenſas, diu ore prius traditas fuiſſe, quam literis conſignarentur: ex quo maxime factum eſſet, ut ejusmodi augmenta et mira ornamenta acciperent, quae eam ipſis formam dederint mythorum, quam prae ſe ferant. Deinde vero, cum propter ſimilem et aequabilem narrandi modum, qui paſſim in Scriptis Sacris obtineat, mythi quoque paſſim non in Veteris ſolummodo, ſed in Novi etiam Testamenti partibus historicis et quaeri et reperiri coepti eſſent, hinc, quo facilius haec ratio commendaretur aliisque probaretur, conſentaneum erat profecto, ut quaecumque historica eſſent in cujuscumque aetatis Libris Sacris ac mythi ſpeciem gerere cenſerentur, horum ſin minus omnia, at, certe longe pleraque aetate demum ipſis rebus recentiori existimarentur conscripta fuiſſe. Quocirca neceſſe ducimus, ut, quam parum roboris huic mythicae interpretationis ſubſidio inſit, diſquiramus, quantum per angustos, quibus circumscribimur, fines fieri poſſit. Pars altera.

Post-

§. 1.

Pars II. Cap. I. §. 1.

Postquam nata erat interpretatio mythica Librorum Sacrorum et magna brevi tempore incrementa ceperat, fuerunt in Germania qui omni opera in eo elaborarent, ut Pentateuchum Mosi abjudicarent ac recentiori aetati adscriberent. Nota sunt in nostris quoque regionibus nomina *Vateri* et *Wettii*, quorum ille in commentatione suo in Pentateuchum commentario subjecta (1), hic in critico de fide, qua digni sint Chronicorum libri, tentamine, quo ratio habetur historiae Pentateuchi ac legislationis Mosaicae (2): uterque igitur magno studio omnia conquisiverunt, quibus non novam utique quorumdam de recentiore compositi Pentateuchi aetate opinionem ulterius exornarent et corroborarent. Huic autem quasi jacto fundamento Wettius, superstruxit singularem suam de epica Pentateuchi conformatione sententiam, de qua exposuimus in Prolegom. Cap. 2. §. 4. Obs. 2. — Peculiariter autem *Hartmannus* in priore parte operis ad marginem indicati (3) contendit, nec tabulam Geographicam Genes. X., nec mythum, qui eam proxime subsequatur XI. 1-9., nec partes Geneseos, quae eam praecedant, Mosem habere auctorem, sed omnia haec non nisi Babylonici exilii foetus esse, ut illa gentium tabella sit delineatio quaedam conspectusve aliquis gentium ac regionum ingentis imperii Chaldaici, diluvii autem Noachici Deucalioneo simillimi relatio petita sit e sacris commentariis, quos aedes Babylonica, in Beli honorem condita, asservaret: ex quo fonte etiam haustae sint relationes, quae Cap. IV. et V. reperiantur, sed creati orbis descriptionem ex Aegyptiaco fonte haustam esse opinatur, qui Hebraeis non pateret nisi in regni Nebucadnezaris initio, Cap. denique II. ac III. omnium clarissime prodere aetatem seriorem, cum eorum fons suppetat in longe lateque dispersa Zoroastris religione ac doctrina philosophica.

Quod ad reliquos V. T. libros, attinet, qui historiam contineant Babylonicae captivitati anteriorem, hi cum aeque ac libri, qui Mosis praeferunt nomen, ex traditionibus solis exstitisse sumantur, serius demum in historiae formam redactis, hinc *Bauerus* (4) omnes omnino historiae Israëliticae partes inde ab Abra-

(1). *J. S. Vater's Commentar uber den Pentateuch*, Halle 1802-1805. III voll.

(2). *W. M. L. de Wette's Kritischer Versuch uber die Glaubwurdigkeit der Bucher der Chronic, mit hinsicht auf die Geschichte der Mosaischen Bucher und Gesetzgebung:* etiam cum hoc titulo, *Beitrage zur einer Einleitung in das Alte Test. Halle* 1806.

(3). *A. Th. Hartmann's Aufklärungen über Asien fur Bibelforscher* &c. II. voll. *Oldenburg* 1806, 1807.

(4). *Handbuch der Geschichte der Hebr. Nation von ihrer Entstehung bis zur Zerstörung ihres Staats* II. voll. *Nurnberg und Altdorf*, 1804, 1805.

Abrahamo usque ad Mosem mythis involutas esse asserit, ac Mosis adeo historiam mythis esse plenissimam, hujus miracula Aegyptiaca partim occultas artes fuisse a sacerdotibus Aegyptiorum acceptas, partim vero naturales calamitates divinarum instar paenarum propositas, ac singulas ejusdem historiae partes per traditionem mirum in modum auctas esse et exornatas: reliquas autem partes historiae Israëliticae non dissimili modo comparatas esse: ut adeo, quidquid peculiaris interventus divini aut miraculi specie in illis conspiciatur, hoc omne a mythico isto ornatu liberandum et magis naturali, ut ita dicam, facie exhibendum sit. Verum ne hoc quidem satis esse videbatur hujus operis censori cuidam (1), quippe qui arbitraretur, nimiam a Bauero auctoritatem adscriptam esse historicis Hebraeorum, quorum relationes plerumque aliquot seculorum intervallo ab ipsis rebus relatis distiterint. Pars II. Cap. I. §. 1, a.

Praeterea, cum Danielis liber, ad exilium Babylonicum spectans, mythis scatere censeatur, hinc novus nuper exstitit ejus interpres (2), qui eum aetati longe recentiori, quam qua Daniel vixit, ac diversis auctoribus adjudicaret, qui partim varias vulgi, quibus ipsae res deformatae essent, traditiones collegerint perscripserintque, partim praeterita eventa vaticiorum forma et habitu proposuerint.

Denique perquam facile videbatur ipsam historiam Euangelicam mythice interpretari, si sumeretur trium priorum Euangelistarum libros ex primario quodam Euangelio Hebraico haustos esse, et miris postea auctos additamentis. Cujus opinionis praecipuum auctorem fuisse ac suasorem *Eichornium* (3), notum est. Quid? quod ne ipsius quidem Joannis Euangelium a recentiorum audacia penitus immune fuit, et viro cuidam Christiano, qui sub primi seculi finem aut secundi initium vixerit, attributum: immo et hoc Euangelium et reliqua, et ipsa etiam, quae vocantur, Apostolorum acta, ab incertis quibusdam istius aevi auctoribus Christianis profecta, ac partim ex relationibus conscriptis, partim ex traditionibus consarcinata esse omnia, opinabatur quondam *Eckermannus* (4).

§. 2.

Longum omnino foret accuratius perpendere quaecumque ad fidem S. C. historicam infringendam vehementer ac labefactandam nostro aevo ideo prolata fuerunt, ut mythica ejus commendaretur interpretatio (5). Verum neque illud uti-

(1). In *Gableri ephemerid. Theol.* T. II. P. 2. p. 327 sqq.
(2). *L. Bertholdt, Erlang.* 1806, 1808. II. voll.
(3). Vid ejus *Biblioth. universal. literat. Bibl.* T. V. Fascic. 5 et 6 et *Introd. ad N. T.* P. I. praesertim §. 84.
(4). *Theol. Beytragen* P. V. Fascic. 2. p. 147 sqq.
(5). De V. T. conferatur hic in primis *Meyerus, Hermen.* V. T. P. II. §. 160 et 216.

Pars II. Cap. I. §. 9.

utique necesse videtur. Nam ea profecto non ab omni parte nova sunt, sed magnam partem jampridem non proposita modo, verum etiam diligenter perpensa et eximie refutata ab iis, qui Librorum Sacrorum vindicias susceperunt: ac sunt omnino ejusmodi, ut facile appareat, proferri ea hoc consilio, ut quidquid vere divini insit in C. S., id omne inde expellatur. Sed de hoc consilio alias. Jam de re ipsa videamus.

Nil profecto est facilius, quam ut de libris S. C., praesertim antiquioribus, de quorum compositorum historia, tempore et occasione nobis aliunde non suppetant testimonia, variae excogitentur opiniones, quae acutum, felix et in conjectando ac nova, aut certe novitatis speciem habentia fingendo audax ingenium prodant: ac nulli sunt in universa antiquitate literaria libri, in quibus qui phantasiae luxurianti frena laxare velit liberius, majorem reperiat hujus libidinis opportunitatem. Quod cum ita sit, fieri utique nequit, ut istis conjecturarum fictionumque commentis tam certa opponantur rerum momenta, quae quos talia delectent, hos cogant assumtas lubenter suavique cura nutritas opiniones ex animo expellere. At sunt tamen hic momenta tam gravia, ut ingenuis veritatis ac Librorum Sacrorum amicis plane satisfacere possint debeantque.

Enimvero, si universa historia in S. C. relata maximam partem e solis conflata sit vulgi traditionibus longo demum post eventum tempore perscriptis, et quibus historia ita sit deformata, ut haec vel difficulter, vel nullo pacto inde eruatur, et ad liquidum perducatur: unde, quaeso, est, quod religionis ac divini regiminis habita ratione admirabilis quaedam in ea rerum nexus appareat, per plurimorum seculorum cursum variasque gentis Hebraeae vicissitudines continuus, isque minime quaesitus, aut ab interpretibus illatus, sed naturalis, sed perspicuus, sed semet ipse attento cuique contemplatori persuadens, immo vero propemodum obtrudens; ita quidem ut propter magnam affinitatem, quae Mosis inter et Christi, historiam est quantumvis longo temporum intervallo disjunctam, utraque, uti in Prolegom. Cap. 2. §. 4. Obs. 3. vidimus, in Epos mythicum sibi mutuo respondens commutaretur? Unde porro est, quod inter nonnullas veterum librorum partes historicas et inter carmina nonnulla, quae insunt in libro Psalmorum, tantus sit argumenti consensus, ut haec illis, et vicissim illae his lucem afferant haud exiguam, et quasi commentarii cujusdam vicem praestent. (1) Unde est, quod

(2). Ita, ne Psalmos Davidicos cum historia ab omni parte convenientes memorem, Ps. XC. qui Mosis et nomen et ingenium et animi indolem praefert, cum afflictissima Israëlitarum, dum in desertis Arabiae erant, conditione ejusque caussis ita congruit, ut, cum inde multum illustretur, tum vero ipsorum eventuum relationi haud leve addat veritatis ac fidei momentum.

quod actuum Apostolicorum liber cum Euangeliis, et cum utrisque Epistolae Apostolicae amicissime conspirent? Unde est, quod tantus in Librorum Sacrorum auctoribus animadvertatur, tamque ab omni fuco alienus veritatis amor, ut quae hos inter et alios quoscumque probatissimae fidei scriptores antiquos ingenue instituatur comparatio, in eorumdem omnino tendat honorem ac decus? Unde est, quod in universa S. C. historia hominum characteres infinitum in modum diversi sic ad vivum delineentur, ut nulli sint ex vetustate libri ad hominis indolem cognoscendam aeque fructuosi? Unde est, quod non modo in singulis scriptis historicis omnia cum temporum, morum, regionumque ratione plane conveniant, sed vero etiam in nullis aliis, immo ne in cunctis quidem omnium gentium libris, tot suppetant subsidia, e quibus et variarum gentium origines antiquissimae cognoscantur et aequabilis quaedam informetur historia culturae humanae? Denique, si longe maxima pars veteris historiae Hebraicae ex popularibus traditionibus nulla aut perexigua fide dignis consarcinata sit, unde tandem est, quod Hebraeorum vulgus ea tradere amaverit, quae sibi nequaquam honorifica essent eaque ab universa gente pro veris historiis recepta sint in sempiternum suum opprobrium? Si autem quidquid miraculi speciem habet in recentiori historia Euangelica, hujus non nisi speciem habeat inanem, quam ei ex magna parte affixerit traditio, unde vero est, quod illud universe non ab exteris modo, sive ethnicis, qui vocantur, scriptoribus, quibus nova religio vehementer displiceret, agnitum sit, sed ab ipsis etiam Judaeis, nascentis hujus religionis et testibus praesentissimis et hostibus infensissimis? (1). — Verbo: quantumvis multis in partibus valde singularis sit historia Biblica, et a consueto rerum ordine recedat, generatim tamen ita comparata est, ut, si incertarum traditionum mythicarum tenebris fere tota involuta esse censeatur, e quibus ipsa vera, quae acciderint, facta vix ac ne vix quidem in lucem proferantur, ea prodigii quasi cujusdam instar sit omnium maxime singularis, immo incredibilis ac multo majoris intellectuque difficilioris, quam maxima etiam prodigia, quae in ea memorentur. — Ceterum non diffitemur, e scriptis praesertim vetustioribus proferri, quae recentiorem arguant aetatem. Verum haec partim sumuntur tantummodo neque ullam habent vim, partim sunt quaedam nomina propria deinceps ad majorem perspicuitatem vel addita, vel in veterum locum substituta, partim, veluti in Deuteronomii libro, sunt observationes Geographicae et Historicae, sive a Mose, seu ab alio scriptore adjectae ac postea textui insertae, quae orationis ordinem turbant ma-

Pars II. Cap. I. §. 2.

(1). Vid. Leß, uber die Religion P. II. Sect. 3. §. 23. coll. Einsenmeng. entd. Juthenth. T. I. p. 148-188.

manifesto, partim, uti in ejusdem libri calce, supplementa sunt, ab ipso libro facile distinguenda (1). Quorum adeo longe pleraque ipsam librorum et antiquitatem et veritatem historicam magis corroborant quam infirmant.

f Pars II. C. I. §. 2, 3.

§. 3.

Sed, ut ab his generalioribus, summatim dumtaxat propositis, ad nonnulla magis specialia progrediamur, initium facimus a *Pentateucho* Mosaico universe spectato. Hujus conformatio Mosem omnino prae se fert et clamitat auctorem.

1. Deuteronomii nimirum liber tam plane Mosaicus est, ut, si hunc solo veritatis amore ducti legerimus, vix dubitare queamus, quin vir qualis esset Moses, ita locutus sit, uti loquens inducitur. Nihil in sermonibus hoc libro comprehensis inest a Mosis ingenio alienum: immo vero omnia ad peculiarem ejus indolem et ad munus, quod gesserit, ita sunt composita, ut si quis recentioris aetatis vir eos Mosi subjecisset loquenti, hic, etsi nulla arte modoque simplicissimo usus, eum tamen quasi ad vivum repraesentasset, ejusque personam perquam feliciter induisset. Jam vero illud ipsum, quod in Exodi, Levitici, ac Numerorum libris refertur, in his Deuteronomii sermonibus, qui Mosem spirant auctorem, ut verum, certum, notumque ponitur. Quatuor autem hi libri tam naturali quodam connubio cum primo copulati sunt, ut hujus argumentum ac veritatem historicam quam maxime confirment. — Deinde rerum in libro secundo, tertio et quarto relatarum ordo ac selectus tales sunt, quales a Mose, tantae antiquitatis scriptore et cum recentiorum temporum et cultiorum gentium historicis minime comparando exspectentur. Ita E. C. leges non alio referentur ordine, quam quo latae sint, eaque simul identidem inseruntur, quae harum occasione vel dicta sint, vel acciderint. Ea vero dumtaxat memorantur, quae Mosi, Israëlitarum duci ac legislatori, maxime memorabilia videri deberent; de ceteris altum est silentium: atque is generatim est narrandi modus, qui hominem prodit rerum, quae narrantur, testem oculatum, eumque, qui cum non nisi praecipua, quae accidissent, literis consignaret, haec eo ipso, quo conscripsisset, ordine popularibus traderet. Quod si ergo hi libri longe recentiore demum aetate confecti fuissent, quo unquam pacto ipsa haec antiqua, valde simplex, minime concinna, nativa ac vere genuina scriptorum Mosaicorum facies iis imponi potuisset? Denique in locis V. T. quam plurimis horum librorum, ut Mosaicorum tam diserta injici-

(1) Vid. *Deuteron.* XXXIII. 1. et XXXIV. 10—12, ubi scriptor se perspicue virum prodit a Mose diversum.

citur mentio, ut, nisi argutari velimus, fatendum nobis sit, jam Mosis eos aetate exstitisse. Nam, praeterquam quod in ipso Pentateucho saepe memoratur Liber, vel Liber legis, in quo Moses et leges, et res maxime memorabiles visas perscripserit, Exod. XVII. 14. XXIV. 4, 7. XXXIV. 27. Numer. XXXIII. 1, 2. Deuteron. XXVIII. 58, 61. XXIX. 19, 20, 27. XXXI. 22, 24, et quem Sacerdotibus ac Levitis tradiderit in sanctissimo Aedis Sacrae loco asservandum ac septimo quoque anno praelegendum in solenni populi conventu Deuter. XVII. 18. XXXI. 9-13, 24-26.: frequentissima in aliis deinceps libris Hebraeorum historicis mentio fit Legis, Legis Jehovae, Legis Mosaicae, Libri legis; veluti jam in libro Josuae I. 7, 8. VIII. 32, 34. XXXIII. 3-16.: quibus denominationibus ut ipsos commentarios, quos Moses confecerit et nos hodieque habeamus superstites, significatos fuisse existimemus, omnino consentaneum est. Itaque in tam remotae antiquitatis libris plura et evidentiora αὐθεντίας indicia postulare vix deceat: quae autem insunt, haec variis luxuriantis ingenii conjecturis ac suspicionibus infirmare aut tollere conari, est revera iniquissimum. Sed nos hujus rei non nisi praecipuas quasdam partes leviter attigimus. Alii eam data opera tractarunt, qui tam gravia ad eam contulerunt momenta, ut horum vim non debilitaverit fregeritve Vateri ac Wettii temeritas (1).

2. Etsi non fert institutum, ut in Mose Pentateuchi scriptore a recentiorum protervia tuendo ac vindicando longius excurramus, juvat tamen propter singularem rei dignitatem duo eaque praecipua rationum, quibus opposita sententia commendetur, momenta ponderare, ut appareat, quam levia ea sint. Petuntur cum ab artis scribendi usu, antiquissima Mosis aetate non ita comparato ut ad majora volumina literis consignanda valeret, tum vero etiam a sermonis Hebraici aequabilitate, per omnes V. T. libros conspicua, et in se veri minime simili, nisi libri Mosaici recentiore demum aetate conscripti fuisse censeantur.

Et illud quidem, in quo exsequendo valde operosus est *Vaterus* (2), nobis brevi expedire licebit. Nam, cum in Pentateucho, uti superiore observatione vidimus, non semel neque obscure, sed saepe et perspicue memoretur rerum perscriptio ut et dudum notissima, et satis usitata, et in se nequaquam difficilis, haud scio equidem an eam in dubium adducere deceat. Neque ex eo, quod non-

(1). Vid in primis Abbas *Jerusalem* in epistolis German. *de Mosis scriptis ac philosophia*, *Eichhorn Introd. ad V. T.* T. II. p. vers. Belg. 231-277., *Jahn* in ejusdem argumenti opere Germ. T. II. p. 1. § 3-14. et in *Compend. Lat.* p. 204-225., denique *Michaelis Introd. ad V. T.* p. 150-208. edit German.

(2). *Commentar. in Pentateuch.* III. p. 522-542.

Part II. Cap. I. §. 3.

nonnulla ſubinde dicuntur lapidibus inſcripta fuiſſe, ſequitur necdum aliam fuiſſe materiem, cui quid inſcriberetur. Immo vero *lapides* et *libri*, quibus utrisque priſca ea aetas hanc in rem uteretur, manifesto a ſe invicem diſtinguuntur. Vid Exod. XXIV. 7. coll. XII. Deuteron. XXVII. 2-8. coll. XXXI. 24-26. Conf. etiam Joſ. XXIV. 26. Et *liber bellorum Jehovae* allegatur Numer. XXI. 14. Et memoratur Deuter. XXIV. 1. *libellus repudii* a marito ſcribendus et repudiatae uxori tradendus. Et *libelli* denique vel *ſchedae*, cui a ſacerdote dirae inſcribendae eſſent et aqua delendae, mentio fit Numer. V. 23. Erant igitur hi libri ac libelli a lapidibus, ſive publicis monumentis, nonnulla inſcripta, vel inſculpta gerentibus, materia ſua diverſi: quae qualis fuerit non ſignificatur, ſed eam fuiſſe ejusmodi, ut atramenti ope id quod neceſſe eſſet inſcriberetur, ex postremo, quem attulimus, loco probabile fit. Quid? quod veri in ſe ſimillimum est, aliis rebus, quibus inſcriberent, prius uſos fuiſſe homines, quam de literis lapidi ad aeternam rei alicujus memoriam inſculpendis cogitarent. Quocirca plane conſentaneum est quod *Plinius* (1). dicit „ palmarum foliis primum ſcriptitatum eſſe, deinde quarumdam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus." Atque arborum cortices apud nonnullas, etiam maxime incultas, Americanarum gentium tribus ad hunc uſum adhibitos eſſe, ut quaedam rudius in iis pingerent, refert *Robertſonus* (2). Sed Moſi alia ſuppetebat materia, cui commode ſuos commentarios, etiamſi ampliores fuiſſent, inſcriberet. Ejus nimirum aevo jam in generali uſu erat linum Aegyptiacum, ab ipſo hinc in cultu ſacro adhibitum. Mature autem illud ab iis, qui quid ſcriberent, pro idonea ad inſcribendum materia uſurpatum fuiſſe, liquet ex linteis cadaverum Aegyptiacorum involucris perantiquis quaedam inſcripta gerentibus. Verum papyri uſus eam in rem Moſis aetate videtur multo fuiſſe posterior (3). Ceterum, quod apud alias antiquitatis gentes, ac praeſertim cultiſſimam gentem Graecorum, ſcripturae uſus recentior habetur, hoc ad nostrum quidem inſtitutum perinde est, cum ejus pervetustam originem in Oriente quaerendam eſſe, notiſſimum fit (4). De

(1). *Hiſt. Nat.* XIII. 11.

(2). *Hiſtor. Amer.* IV. p. 39.

(3). Conf. *Jahnii Archaeol. Bibl.* I. 1. p. 422 ſq. et *Eichhornii Introd. ad V. T.* P. I. p. 105. ſq.

(4). Apud Hebraeos vero Judicum aetate ſcribendi ars tam parum a vulgari peritia remota erat, ut juvenis aliquis ex parvo quodam oppido trans Jordanem ſito eam calleret, Jud. VIII. 14. Quid? quod jam anteriore Joſuae aetate facile reperiebantur, qui univerſae regionis attentis oculis lustrandae deſcriptionem aliquam, addita, uti videtur, qualicumque tandem tabula Geographica, conficerent, et ad ipſum Joſuam adferrent. Joſ. XVIII. 4-9.

De altero, quod ſumitur ad labefactandam librorum Moſaicorum antiquitatem, paulo plura dicemus. Scilicet, quo majori cum probabilitatis ſpecie libri Moſaici ad recentiorem referrentur aetatem, argumentatio deſumta fuit ab exiguis mutationibus, quas lingua Hebraica inde a Moſis aevo ad captivitatem usque Babylonicam ſubierit ſecundum receptam opinionem: quapropter convenientius ſit ut non ante Davidis aetatem, qua demum ad notabilem aliquam culturae perfectionem pervenerit ſermo Hebraicus, hi, qui Moſi adſcribuntur, libri exſtitiſſe, et partim ex traditionibus, partim fortaſſe etiam ex nonnullis vetuſtioris ac rudioris ſermonis ſcriptis, in recentiorem adeo ſermonem convertendis, partim denique ex posterioris aevi conſtitutionibus aliisve ſupplementis conflati eſſe cenſeantur. Hoc igitur propoſito comparatio inſtituitur linguae Hebraicae cum Latina et Germanica, quae utraque cum haud ita magno temporis ſpatio vehementer mutata ſit, ſtatui nequeat, illam inde a Moſe usque ad captivitatem Babylonicam, ac per mille adeo circiter annos ex maxime recepto calculo computatos perparum mutatam fuiſſe (1).

Verum enimvero, ne dicam, temere ac praeter ullam omnino probabilitatem ſumi, Davidis demum aevo coli perfectius coeptam fuiſſe linquam Hebraicam; ne in medium proferam Jobi librum, qui ex peritiſſimorum etiam arbitrorum judicio aetatis vetuſtiſſimae ipſique Moſi anterioris haud obſcura gerit indicia; ne porro animadvertam, Graecam linguam per longiſſimum temporis ſpatium inde ab Homeri aevo usque ad aliquot post C. N. ſecula haud ita magnas mutationes ſubiiſſe, ſive ad ſeculum usque quartum aut quintum: nam inde a ſexto demum ſeculo per exterarum gentium irruptiones vehementius depravari coepta est, atque ad ſeculum usque decimum quintum, ſive captam a Turcis Conſtantinopolin aliquid de prima ſua praeſtantia retinuit (2); — ne de Sinica lingua loquar, per immenſum ſeculorum intervallum eadem fere hodieque quae fuerit ab ultima inde hominum memoria (3): hoc unum monuiſſe ſatis erit atque dilucide demonſtraſſe, quam parum deceat istiusmodi comparationem antiquiſſimae atque Ori-

(1). Ita *Vaterus* loco allegato p. 668. ſqq., quocum conf. *Meyerus*, *Hermen. V. T.* I. p. 126, 127. et vid quae habentur in *Henkii theſauro ſive magazin fur Religionsphiloſophie* &c. P. II. Fasc. 3. 471 ſqq.

(2). Vid. *Simonis introd. in Ling Gr.* p. 28. et *Harleſii introd. in hiſtor. L. Gr.* p. 464 ſq.

(3). Vid. *Wahlii hiſt. OO. ling. et literat.* Germanice conſcripta, p. 48. Characteres quidem, quibus Sinenſes in ſcribendo utuntur, ſubinde aliquantum mutati fuere, et cum tempore perfectiores redditi atque ampliores, ſed eamdem tamen indolem retinuerunt perpetuo. Vid. minor *de Guignes* in itinere, ſive *voyage à Pekin* T. II. p. 378 ſqq. et liber e Sinico in Gallicum ſermonem converſus, *Eloge de la ville de Moukden*, p. 127 ſqq. et proleg. p. 7.

Pars II. Cap. I. §. 3. Orientalis Linguae Hebraeorum cum recentioribus linguis Europaeis et inſtituere et urgere. Hoc nimirum ſaepiſſime animadverſum est et ſatis ſuperque demonſtratum, proprium eſſe linguarum Orientalium, ut, niſi externae adveniant mutationum cauſae, perparum dumtaxat cum tempore immutentur: et, uti Orientalium, ac praeſertim Arabum Scenitarum, mores hodieque plane ſunt iidem, qui jam erant Patriarcharum Hebraeorum Arabibus haud uno modo ſimillimorum, aetate (1). ita etiam nihil conſtantius, nihil minus mutationi obnoxium, nihil ſui magis ſimile est perpetuo, quam ipſa interior ratio ſermonis ſemel apud Orientales recepti, cujus per complurium ſeculorum curſum tenacisſimi ſint (2). De Arabica quidem, Hebraicae illae cognata dialecto, quae ſola etiamnum vivit vigetque in Oriente, aſſeruit *Niebuhrius* (3), recentiorem ita differre a veteri, qua V. C. conſcriptus fuit Coranus, uti Italica hodierna differt ab antiqua Latina. Sed fefelliſſe eum videtur pronuntiationis diverſitas. Certe *Fourmontius* monuit (4), ipſum Corani ſtudium ad linguae conſervationem non modo efficacisſimum eſſe, ſed Cahirae etiam ſermonem vulgarem perparum a Corani ſermone differre: atque hujus ſermonis aequabilitatem et conſtantiam in univerſum alii ex vero obſervarunt peritiores (5).

Praeter hanc autem cauſam, Hebraeis cum ceteris Orientis gentibus communem, erant et aliae magis peculiares, eaeque cum ex illa conditione repetendae, qua ab omnibus gentibus quaſi ſecluſi vivebant, tum vero etiam ex uſu librorum Moſaicorum, qui inſequentium aetatum ſcriptoribus perenne quaſi dictionis exemplum ſuppeditarent, et omnes, qui hos vel legerent ipſi, vel ab aliis lectos audirent, ad eumdem loquendi ſcribendique modum retinendum magnopere adjuvarent. Ante Moſis vero aetatem qui in Aegypto degebant Israëlitae, ſeorſim vivebant plerique, nihilque erat, quod acceptum a Patriarchis ſermonem vehementer mutaret. Inde autem ab rerum humanarum primordiis ad illud usque tempus

(1). Haec ſimilitudo tanta est, ut ex ea Galli, qui expeditionem in Aegyptum ſuscepiſſent, hiſtoriam V. T. optime illustrari agnoverint. Vid. *Mémoires ſur l'Egypte, publiées pendant les campagnes du général Bonaparte*, T. I. p. 104.

(2). Vid. *Schult. Orationes* T. I. et II. ejus *Originum* ſubjectae, coll. *Mich. Introd.* ad V. T. § 32 p. ed. Germ. 166-171.

(3). *Deſcript. Arab.* p. 80. vers Belg.

(4). *Deſcription Géographique dn Caïre* &c. p. 52., 53.

(5). Veluti *Wahlius* l. l. p. 424. et in elementis L. Ar., ſive Arab. *Elementarbuch* p. 25-29., *Jahnius* in praef. ad Gramm. Arab. Germanice conſcriptam p. 10-22. et *Herbainus* in rudimentis ling. Arab. hodiernae, ſive *Principes de l'Arabe moderne*, praef. p. 2. Conferri etiam meretur *de Guignes* in commentatione quadam, ſive *memoire ſur les Langues Orientales* p. 147 ſq. *Acad. des Inſcript. et B. L.* T. XXXVI.

quo Israëlitae in Aegyptum pervenere, magis cum tempore amplificari debuit hic omnium antiquissimus sermo, qui in ipsa sua indole interiore infantiam manifesto sapit generis humani (1). At mansit tamen sui simillimus, cum temporibus, quae ante diluvium effluxerunt, nullus alius, uti videtur, in usu esset, ac divisis, dispersisque post diluvium hominibus, exortaque per peculiarem Summi Numinis providentiam linguarum diversitate, hi, qui primaevum illum sermonem retinuissent, eum posteris suis purum illibatumque transmitterent. Pars II. Cap. I. §. 3, 4.

Verum subiit omnino aliquas mutationes lingua Hebraica ante captivitatem Babylonicam, sed eas minime tantas, quantas pati solent linguae Europaeae. Est, est, inquam, notabilis in dictione diversitas inter scripta Pentateuchi volumine comprehensa, et inter cetera scripta C. S. Hebraica. Haec quo sunt recentiora, eo plura ac majora prae se ferunt recentioris aetatis indicia, ut, quo propius absint ab interitu reipublicae, eo minus vigoris habeat dictio et ad rationem magis vergat Chaldaicam: contra vero, quo antiquiora sunt, eo aliquid habent vere antiquius. Immo in Pentateuchi libris ipsa haud raro scriptio majorem prodit antiquitatem. Quid? quod in Geneseos libro, quem omnium ponimus antiquissimum esse, ei, qui hunc sine praejudicata opinione lectitarit, summae vetustatis, atque infantilis, ut ita dicam, cum simplicitatis, tum cujusdem quasi luxuriei notae apparent conspicuae ac facile dignoscendae, eoque etiam majores, quo antiquiores sunt, diversae libri partes, a diversis sine dubio compositae auctoribus. — Quae cum ita sint, in promtu est judicare, quam omnino improbabilis sit opinio de recentiore compositi Pentateuchi aetate, et quam temere quoddam ejus praesidium quaeratur in summa sermonis Hebraici aequabilitate. Qua autem fronte quis vel admodum mediocriter versatus in linguae ejusdem cognitione vetustiores illas Geneseos partes ipsa exilii Babylonici aetate, qua multum mutata erat linguae facies, conscriptas fuisse contenderit, uti retuli sub finem §. superioris, equidem vix me intelligere fateor. At quid non valet efficitque conceptae opinionis amor ac prurigo novitatis?

§. 4.

Sed operae pretium fuerit quaedam peculiariter subjunxisse de ipso *Geneseos* libro, qui Mosem collectorem magis habeat, quam auctorem, in cujus etiam partibus antiquioribus solis mythi et primum quaesiti fuerint, et etiamnum reperiri videantur nonnullis, quique adeo, cum res memoret traditione tantummodo propagatas, omnium facillime mythos continere existimetur. Hae nimirum relationes cum ad

(1). Quod hic obiter significavimus, de eo paulo uberius disseremus Cap. 2. §. 3. initio.

Pars II. Cap. I. §. 4.

ad aetatem perſcriptae hiſtoriae multo anteriorem ſuo argumento pertinere cenſeantur, quidni in numero putentur traditionum ſaepe diuque ab aliis ad alios propagatarum, quibus ergo aliquid humani ac mythici, additamenti non adhaerere non potuerit!

1. Itaque ſi largiamur paulisper, nullum, ne leviſſimum quidem dubium eſſe, quin ſin minus omnes, at ſaltem pleraeque iſtae relationes ſua orgine traditiones fuerint, postea demum literis conſignatae: an vel ſic tamen tam diverſus in iis est narrandi modus ab eo qui in posteriorum temporum ſcriptis obſervatur, ut hanc diverſitatem ex adjunctis potius figmentis humanis, quam ex majoris antiquitatis ratione repetere omnino oporteat? Quod ſi porro apud alias gentes nonnullas, ſi in Oriente praeſertim et apud genuinos Arabes, priscis illis Hebraeorum patriarchis haud una in re comparandos, tabulae genealogicae aliarumque rerum maxime notabilium hiſtoriae ſida memoria retineri ſolent in eoque ſumma cura collocatur (1). hoc igitur ſi ita est, uti est ſine dubio, quidni fidae etiam memoriae res, quae in libro Geneſeos referuntur, mandatae fuerint, et per incorruptam atque intemeratam traditionem conſervatae? Praeterea hic uſu veniebat quam plurimum et vitae occupationum multitudine ac varietate perparum diſtractae ſimplicitas, et magna priscorum hominum longaevitas ad mythos, ut ſupra vidimus, part. 1. Cap. 3. §. 7. Obſ. 4. med., neutiquam referenda, quaeque adeo cavebat, ne continua plurimarum generationum ſerie opus eſſet, qua novae identidem posteritati ea, quae vellent homines, propagarentur, et eorum denique quales ſemper, etſi, uti videtur, haud adeo multi, erant qui unius veri Dei cultui ac virtutis amori dediti manerent, ſtudium, quo priscarum rerum, cum religione conjunctarum memoriam ut ſanctum aliquod depoſitum non minori cura ſervarent ab interitu immunem ac posteritati mandarent, quam quae ab Arabibus illis, de quibus modo diximus, in rebus ad ſuam gentem pertinentibus poni ſoleret.

2. Verum enimvero, quod hactenus poſuimus, priscas illas relationes ore diu propagatas fuiſſe, priusquam perſcriberentur, de hoc haud immerito dubitetur. Quod enim §. ſuperiori Obſ. 2. med. obiter animadverti, ſcripturae uſum in Oriente longe antiquiſſimum eſſe, de eo utique ſatis certo conſtat. Nam et *Plinius* (2). „ literas, inquit, ſemper arbitror apud Aſſyrios fuiſſe, ſed alii apud Aegyptios, — alii apud Syros repertas volunt:" et *Lucanus* (3). dicit.

„ Phoenices primi, famae ſi creditur, auſi
„ Manſuram rudibus vocem ſignare figuris."

et

(1). Vid. *Eichhornii antiq. monum. hiſtor. Ar.* p. 17 ſqq.
(2). *Hiſt. Nat.* VII. 56.
(3). *Pharſal.* III. 220 ſqq.

et Phoenicibus praesertim antiquissimum scribendi usum attribuit *Josephus* (1): et ab his ipsis literarum alphabeticarum usum in Graeciam pervenisse, notum est: et memoratur denique Jos. XV. 15. priscum urbis cujusdam Cananiticae nomen קִרְיַת סֵפֶר, hoc est, uti Alexandrini interpretes expressere, πόλις γραμμάτων, sive ex vulgati interpretis expositione, *civitas literarum*. Neque improbabiliter adeo statuit *Bianconius* (2), literas Phoenicias sive Hebraicas vel antiquissimas esse generis humani, vel saltem dispersione gentium antiquiores, quae a Noachi filiis eorumve posteris in varias terrae partes deductae sint; quod vel ex simillimis vetustissimarum in Oriente gentium characteribus pateat. Pars II. Cap. I. §. 4.

Itaque a veri similitudine minime abhorret ut opinemur, Patriarcharum certe, gentis Israëliticae conditorum, historias jamdudum ante Mosis aetatem perscriptas fuisse. Nec tamen scriptura jam tunc temporis ad vitae quotidianae usus videtur fuisse adhibita: unde mirum non accidat, quod nulla ejus diserta mentio fiat in ipsa Patriarcharum historia (3). At, si vera est nonnullorum de summa et Patriarcharum aevo proxima libri Jobaei antiquitate, opinio uti certe omnium est veri simillima, scripturam ad res maxime memorabiles visas minime tunc inusitatam fuisse, ex XIX. 23. et XXXI. 35. haud temere colligatur. Immo vero artem sin minus scribendi, at saltem rudiori quodam quasi penicillo pingendi, et sive signis quibusdam, ad simplicissimarum, ex quibus sermo constaret, partium indolem hominumque adeo usus satis pro tempore comparatis, seu quibusdam imaginibus, modo ad vivum qualicumque tandem ratione adumbratis, modo per aliquam sive veram, seu confictam similitudinem expressis res et animi cogitata oculis subjiciendi; qualis ars, apud Aegyptios veteres in Sacris potissimum usitata ac magis magisque deinceps perfecta, *Hieroglyphica* dici solet, qualis apud Mexicanos etiam, non magnopere excultos, observata fuit (4), et ex qua denique exstitit vetustissima Sinensium ratio scribendi (5): hanc igitur artem, sed initio valde imperfectam, sua cogitata exprimendi in suos aliorumque usus diuturnos ad maxime remota tempora et ad ipsam adeo generis humanii infantiam pertingere, nequaquam improbabile est; etsi eam primis temporibus ob magnam suam difficultatem non ni-

(1). *Adversus Apion.* I. 2. et 6.

(2). *De antiquis literis Hebraeorum et Graecorum*, p. 64.

(3). Videtur tamen Judae sigillum Genes. XXXVIII. 18., aeque ac sigillum Pharaonis Genes. XLI. 42. literas nonnullas inscriptas vel insculptas habuisse.

(4). Vid. *Robertsoni hist. Americ.* P. IV. p. 38 sqq.

(5). Ita *de Guignes, mémoir. de l'Acad. des Inscript. et B. L.* T. XXXIV. p. 1. sqq. ejusque filius in loco supra ad §. 3, Obs. 2. med. allegato: sed *Bayerus, Mus. Sin.* I. p. 89. sqq. aliter de characteribus Sinicis judicat.

Pars II. Cap. I. §. 4.

niſi rarius et ubi de rebus ageretur, quae graviores viderentur, antiquitus adhibitam fuisſe, per ſe facile percipitur (1). Hanc vero pingendi magis quam ſcribendi artem jam ipſis temporibus, quae diluvium antecesſerunt, attribuit *Howardus* (2). Uno autem eodemque tempore formatum esſe et ſermonem, quo in loquendo uterentur priſci homines, et quamdam ejus ſcriptionem ſymbolicam, ſive rudioribus imaginibus expreſſam, opinatur vir acutisſimus, qui peculiarem curam collocavit in ſcriptura Aegyptiorum Hieroglyphica explicanda (3). *Schlegelius* vero (4). simul etiam cum ipſo ſermone exſtitisſe non ſymbolicam ſcripturam, ſed eam, quae ex ſimplicisſimis cumque ipſa ſermonis indole convenientisſimis ſiguis conſtaret, arbitratur. Et *Herderus* quoque (5). ſcripturam ponit ipſi loquelae ſupparem et aequalem, ejusque non Hieroglyphicae, ſed Alphabeticae originem jam ipſi Setho, Adami ſilio, convenienter cum antiquisſimis traditionibus probabiliter tribui judicat.

His itaque illisve poſitis, perfacile explicetur, unde ſit, quod non modo notabilis cernatur et a multis jamdudum obſervata, immo vero ſatis generaliter agnita, quaeque diverſos arguat auctores (6), ſtili diverſitas in prioribus potisſimum Geneſeos relationibus, ſed etiam quod, quo vetustiores ſuo ſint argumento, eo plerumque appareant breviores et imaginum figurarumque pleniores, atque adeo cum tempore ac majori paulatim istius artis ſcribendi et cultura et uſu exſtiterint in univerſum uberiores amplioresque, et vero etiam in ipſa dictione ſimpliciores. Sed ponere quoque decet, rudiorem istam ſive picturam, ſeu ſcripturam iis, qui huic asſueti esſent, ipſas res, quas exprimeret, propemodum,

(1). Conferri potest *Muntingh.* in *Bibl. cult. hum. hiſt.* T. II. p. 228 ſqq.

(2). *Geſchichte der Erde* etc. p. 157.

(3). *Analyſe de l'inſcription hierogl. de Roſette* p. 3. Auctor est comes *de Pahlin.* Vid. *Magaz. Encycl.* A. 1805. T. VI. p. 28.

(4). *Ueber die ſprache und Weisheit der Indier*, p. 65.

(5). *Alteste Urk.* I. p. 121. et in Epist. *de ſtudio Theol.* Ep. I. ſub finem.

(6). Merito miratur *Jahnius Introd. ad V. T.* II. 1. p. 95., *Koppenium* in libro quem inſcripſit: *Die Bibel ein Werk der Göttlichen Weisheit* P. II. p. 450-489., ſive verſ. Belg. p. 253-268., in dubium adduxisſe generalem ſententiam de libro Geneſ. ex variis relationibus collecto. Scilicet univerſae iſtius hiſtoriae conſcriptionem repetit ille a peculiari revelatione divina, ſive inſpiratione, quam unice ſecutus ſit Moſes. Recentius vero eamdem communem ſententiam longo alio conſilio impugnavit *J. G. Hasſius* in libro qui inſcribitur: *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menſchengeſchichte aus näherer Beleuchtung ihrer Quellen*, 2 partibus. At non continentur in hoc opere niſi temere arreptae ac minime probabiles opiniones. De eo uberius exponitur in *Ephemerid. literar. Hall.* A. 1807. No. 137 et 138. Certe ipſa res mihi videtur ad tantam probabilitatem perducta, ut vix quisquam juſtae dubitationis ſuperſit locus.

dum, tam accurate ac perſpicue repraeſentaſſe, quam nobis aliorum cogitata repraeſentet ſcriptura inter nos uſitata: neque, in tanta praeſertim hominum longaevitate, tantaque nonnullorum cura in rebus ad Religionem pertinentibus collocata, defuiſſe cenſendi ſunt, qui eam aliis, quotiescumque opus eſſet, ex vero et legerent et exponerent. Pars II. Cap. I. §. 4, 5.

3. Tametſi vero magnopere eo propenſi ſumus, ut haec vetusta Geneſeos documenta non per diuturnam traditionem conſervata ac propagata, ſed mature jam qualicumque tandem modo perſcripta eſſe existimemus, minime tamen cenſeri volumus eorum accedere ſententiae, qui iſtarum relationum nonnullas ſic ad imagines redigunt hieroglyphicas, ut mythice omnino exponendae videantur. Hanc ſententiam nuper admodum anonymus exornavit auctor Belgicus *colloquiorum de mythis Biblicis*. Enimvero hic eas ex traditione ore diu propagata oriundas, ſed postea ex Aegyptiorum ſcriptura hieroglyphica a Moſe ſuos in uſus aſſumtas, et ex Aegyptiaco adeo fonte petitas eſſe opinatus (1), in mythica harum expoſitione ingenioſe luxuriatur. Sed praecipuum hujus ſententiae fundamentum cum ſupra ſatis infregiſſe nobis videamur Part. I. Cap. 3, §. 7. Obſ. 4., ubi, niſi fallimur, perſpicuum fecimus, in Geneſeos libro fontem reperiri, ex quo variae traditiones ad alias gentes manaverint; cumque et alia modo protulerimus, quae libro Geneſeos auctoritatem vindicent hiſtoricam: non opus eſſe judicamus, ut in his aliisve ſimilibus ingenii luſibus diutius contemplandis immoremur.

§. 5.

Pergimus ergo ad alios V. T. libros hiſtoricos, qui ſcilicet, ſi diu post ipſarum rerum eventum compoſiti ſint, mythos contineant quam plurimos. Sed de ſingulis breviter.

1. Itaque primus nobis obvenit liber, *Joſuae* nomine inſcriptus. Hic quin, qualem eum habeamus, Joſuae aevo posterior ſit, vix dubitari poſſe arbitror. Liquet hoc ipſo *Carpzovio* judice (2), ex XV. 13-19. coll. Judic. I. 10-15., ex XVI. 10. coll. Judic. I. 29., ex XIX. 47. coll. Judic. VIII. 7. et XXIV. 29 ſqq.: quibus locis addi potest XV. 63. coll. Judic. I. 8. Verum longe tamen maxima ex parte librum auctori Joſuae attribuere non vereor, ut ex hujus commentariis confectus ſit, ſervatis pro more, quem Moſes in Geneſeos libro conficiendo ſecutus est, ipſius ſcriptoris verbis. Nam cum plurima, uti a multis rec-

(1). *Geſpekken over de Mythen in den Bijbel*, p. 88-90.
(2). *Introd. ad V. T.* P. 1. C. 9. §. 5.

Pars II. Cap. I. §. 5.

recte animadverſum est (1), ita ſint comparata, ut eodem, quo acciderint, tempore perſcripta fuiſſe videantur: quem alium horum ſcriptorem fuiſſe opinabimur quam Joſuam, unum omnium ad illud opus maxime idoneum? Quam in rem conferamus praeſertim XXIV. 26., ac perpendamus, in eorum, quae Joſuae aetate ipſoque Joſua duce acciderint, deſcriptione ingenuum conſpici Moſis ſucceſſorem. Immo vero *Eichhornius*, etſi hunc librum minus probabiliter aetati adſcribit, quae ſciſſum in duas partes regnum non antecesſerit (2), vel ſic tamen eum e certis iisque antiquiſſimis documentis conflatum eſſe, quippe cum aetatis, in qua verſetur, indole moribusque eximie conſentaneum, minime diffitetur.

2. Joſuae librum excipit liber, qui *Judicum*, ſive primorum, qui ſubinde in gente Israëlitica exſisterent, magiſtratuum nomine inſignitur, ac partim refert de rebus ad univerſam gentem ſpectantibus, partim nonnulla ſubjicit magis peculiaria. Qui quidem liber quemcumque habuerit auctorem, non ad recentem tamen aetatem referendus est, nec, quamtumvis multa contineat plane extraordinaria, ideo mythicas traditiones continere cenſeatur. Jamdudum quidem haud paucos fuiſſe novi, qui rebus plane ſingularibus, in ea praeſertim libri parte, quae in Simſonis verſatur hiſtoria, relatis offenderentur: ac *Semlerus* V. C. (3) „mediocris, ait, momenti est hujus libri argumentum, et ſic comparatum, ut non dubitem, Paulum, qui Ἰουδαϊκοὺς μύθους a Christianis vitari vult, reſpexiſſe ad quasdam hujus libri partes." At, ne quid dicam de ſatis inepta ista ad Apostolum Paulum provocatione, ex vero animadvertit *Eichhornius* (4), libri hiſtoriam tam naturali ratione procedere, ac tot ſecum ferre veritatis hiſtoricae momenta, ut fide dignisſimus videatur. Et prioris quidem partis, quae XVI. prioribus Capp. comprehenditur, quisquis auctor fuerit, ſive Samuel, uti haud male conjicitur, ſeu alius quicumque, uſus certe fuiſſe videtur antiquioribus monumentis, ad aetatem, quam deſcripſit, pertinentibus (5): immo vero per ipſam rudioris aevi deſcriptionem, Israëlitis ſane non honorificam, ſatis ſuperque ſuum ostendit amorem veritatis. Utraque vero appendix, etſi recentioris, uti videtur, aetatis, ita ſpirat aevi, ad quod ſuo argumento pertinet, indolem, ut eo ipſo, aeque ac prior eaque antiquior pars, ſuam auctoritatem ſibi ipſa vindicet luculenter.

Ce-

(1). Veluti ab *Eichornio*, *Introd. ad V. T.* T. II. p. 415 ſqq.

(2) Conf. *Jahnii*, *Introd. ad V. T.* T. II. P. I. p. 161 ſqq., qui praecipuarum rationum huc adhibitarum vim infregit.

(3). In *apparatu ad liberalem V. T. interpretat.* p. 109.

(4). l. l. p. 461 ſqq.

(5). Vid. *Clericus* in diſſert. libris V. T. hiſtoricis praemiſſa §. 3. coll. *Muntinghio* in *Bibl. crit. hum. hist.* V. p. 22 ſq. not.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, ſimplicisſima illa *Ruthae* hiſtoria, quae ad judicum tempora pertinet, quamquam in eo, quem ſuperſtitem habemus, libello non ante Davids aetatem conſcripta, hujusmodi tamen est, ut ex vetusto quodam monumento, fortaſſe inter Davidis proavos aſſervato, certe fide digniſſimo, compoſita ſit. Pars II. Cap. I. §. 8.

3. Qui Israëlitarum res inde a postremo Judicum Samuële perque omnia deinceps Regum tempora ſubſecuta usque ad captivitatem Babylonicam perduxerunt, libri *Samuëlis* ac *Regum*, ab uno eodemque auctore in eum, quem habent, ordinem redacti fuiſſe merito judicantur, peculiariter ab *Eichhornio* (1) et a *Jahnio* (2). Atque hic id colligit cum ex diſpoſitionis, tum e ſtili ſimilitudine: praeterea, cum 2 Reg. XXV. 27-30. reſtituta regi Jojachino in carcerem quondam conjecto libertas, non vero ejusdem mors commemoretur, hinc recte arbitratur conſequi, abſolutos fuiſſe hos libros ante hujus regis obitum. Quisquis vero eorum auctor fuerit, is non eventus ſuae aetati anteriores ex vagis incertisque hauſit traditionibus, ſed ex uberioribus monumentis hiſtoricis compoſuit, quae partim inſeruit integra (3), partim in epitomen quaſi redigit. Fuiſſe enim ejusmodi publicos annales uberiores, a probatiſſimae fidei viris confectos, liquet ex 1 Chron. XXIX. 29. Atque in libris Regum ſaepe auctor ipſe ampliores, quos excerpſerat, commentarios indicavit. Ne quid dicam de inſitis veritatis indiciis, veluti quod neminis, ac ne Davids quidem vitia diſſimulantur aut obteguntur, ſed omnia cum ſummo referuntur candore.

4. Cum Samuëlis Regumque libris maximam partem in argumento conveniunt duo libri *Chronicorum*, qui cum captivitatis Babylonicae finem memorent Cap. postr. vs. 21., non est dubium, quin ſin minus toti confecti, at certe penitus abſoluti non fuerint ante reditum ex captivitate. Nec tamen diu post reditum videntur abſoluti eſſe, ſiquidem in hoc reditu deſinunt: verſus autem inſuper adjecti post vs. 21. modo memoratum, ut hoc obiter moneam, eo non pertinent, ſed, incertum quo tempore et conſilio, ex libri Esrae initio deſumti ſunt. Quis quidem auctor fuerit, non liquet: ſed quin ex optimis fontibus, quos haud raro indicat, hauſerit, vix licet dubitare. Hi ergo fontes cum partim eſſent ipſi illi V. T. libri, quos hodieque ſuperſtites habemus, partim alli, ad regnum praeſertim Judaicum pertinentes, atque aliquamdiu ab interitu ſervati, ex his auctor, vir

(1). l. l. p. 481.

(2). l. l. P. 1. p. 232 ſqq. et in Comp. Lat. p. 275 ſqq.

(3). Huc pertinere videtur 1 Sam. XVII. 12-32., quem locum equidem non existimem interpolatum eſſe aut ſpurium, quae est multorum interpretum recentiorum ſententia, ſed ad verbum ex peculiari relatione expreſſum, quae fuerit in familia Davidis.

Pars II. Cap. I. §. 5.

vir Judaeus in captivitate, uti videtur, hiſtoriam quamdam Judaicam contexere incepit in ſuae gentis uſus, quam idcirco inde a Davide uberius perſcripſit, neque ullam regni Israëlitici post ſciſſionem exorti mentionem injecit, niſi ubi eam vix evitaret. Cum vero magnum pretium Judaei ſtatuerent tabulis Genealogicis, hinc earum rationem habuit frequentem, ac gentis genealogiam inde a generis humani primordiis usque ad regni Judaici, quod unum deſcribere vellet, initia aptiſſime praepoſuit. Itaque hi libri, ex genuinis fontibus hauſti maximam ſecum afferunt fidei et auctoritatis commendationem. Diſſenſus vero, qui eos inter aliosque libros hiſtoricos antiquiores ſubinde animadvertitur, partim pertinet ad numeros, in quibus ſaepe non errari non potuerit a librariis, partim ad varias lectiones referendus est, partim denique in eo est poſitus, quod alia omittant, alia ſuppleant aut uberius referant: atque adeo, qualiscumque ille ſit, est profecto hujusmodi, ut et horum ipſorum librorum et aliorum in quibus eaedem narrentur hiſtoriae, veritatem hiſtoricam non infirmet, immo contra luculenter confirmet.

5. Ad hiſtoriam Hebraeorum exulum pertinent duo libri, alter *Estherae*, alter *Danielis*. Atque ille quidem etſi mythorum ſtudioſis perparum ſuppeditet, cum nihil in eo reperiant, quod prodigii ac miraculi, aut extraordinii interventus Divini ſpeciem habeat, non omnino tamen a nobis hoc loco videbatur ſilentio praetermittendus, ſiquidem haud pauci fuere, qui illum pro commento haberent Judaico, ad quos praeſertim referendus est *Semlerus* (1), qui vehementius in eum invehitur. Verum enimvero de hiſtoria in hoc libello narrata vix dubitare decet, cum feſto Judaico, *Purim* vocato, dederit originem, ac diſerte hoc feſtum jam memoretur 2 Maccab. XVII. 37. ut feſtum Mardochaei. Sunt quidem complura in hoc libro quae difficilius concipiantur, quorum longe pleraque expedire tentavit *Eichhornius* (2): atque hic recte animadvertit, in eo fere ubique manifeſta ineſſe veritatis indicia, eumque Perſarum mores ſic ad vivum exprimere, ut non concipiat, qua quis probabili ratione propter nonnulla, quae veri minus videantur ſimilia, univerſam hiſtoriam referat ad inepta Judaeorum figmenta. *Jahnius* vero (3) felicisſime expedivit quidquid hiſtoricae hujus libri veritati objectatum fuerat, atque animadvertit et facile ſolvi istos nodos, dummodo ad Orientalium mores attendatur, et ſcriptoris provocationem ad regios Perſarum annales de factorum veritate fidem facere. — Ceterum de compoſiti libri auctore ac tempore non

(1). *Appar. ad liberal. V. T. interpr.* p. 152 ſqq.

(2). l. l. p. 649 ſqq.

(3). *Introd. Germ.* l. l. p. 298 ſqq. et in *Comp. Lat.* p. 303 ſq. De fide autem libri hiſtorica lectu dignam diſſertationem ſcripſit *Schulzius*, *Biblioth. Hag.* T. V. p. 249 ſq. et VI. 1 ſqq.

Pars II. Cap. I. §. 5, 6.

6. Ad Hebraeorum, sive Judaeorum, qui ab exilio in patriam reversi sunt, historiam pertinent libri *Esrae* et *Nehemiae* nomine inscripti, qui cum simplicissimas relationes historicas, ac nihil adeo mythici continere existimentur, de his non est quod agamus.

Ceterum haud desunt, qui quae *Jonae* libro continentur, pro historia habeant, quae, longo post eventum tempore perscripta ex diuturna traditione mythicam acceperit formam (1). Sed horum opinioni ponderandae ut immoremur, non opus videtur, quoniam, ex longe probabiliori eaque magis recepta recentiorum sententia, liber iste quamdam continet parabolam moralem: cujus adeo quodnam arbitremur consilium fuisse, in Prolegomenis exposuimus Cap. 2. §. 1.

§. 6.

Superest ut de scriptis N. T. historicis dicamus. De his si valeat *Eckermanni* opinio sub finem §. 1. exposita, valde amplus omnino traditionibus mythorum simillimis campus patere iis videatur, qui istas studiose venantur. At vero ea tam in se est visa improbabilis, ut generatim displiceret, et meri figmenti instar exploderetur. Immo vero ipse ab ea desistere satius duxit auctor, ut veteri sententiae se adiceret (2).

Magis placuit *Eichhornii* sententia de primo quodam fonte Hebraico, ex quo tamquam rivuli tria prima manaverint Euangelia. Et vero hanc tam ingeniose tantaque cum acumine exornavit, ut, in tanta praesertim Germanorum ad mythicam, cui ea favere videretur, S. C. interpretationem propensione, mirum non sit, magno eam applausu excepisse quamplurimos. Verumtamen quominus eam amplectamur, obstant cum alia, tum hoc potissimum, quod neque auctoritatis, nec simplicitatis habet commendationem. Non auctoritatis: nam ejusmodi primariam historiam Euangelicam, Hebraice, sive Syro-Chaldaice, ab incertis auctoribus conflatam fuisse, ac mancam et imperfectam, quae mox quidem per plurimorum manus transiens varii generis mutationes subierit, cum alii haec, alii alia pro lubitu demerent, adderentve aut diverso ordine collocarent, deinde autem

(1). *Eichhornius* dubitabat, *Introd. ad V. T.* P. III. §. 574, utrum Jonae liber pro historia per traditionem deformata, an vero pro fabula morali habendus esset. Sed *Bauerus*, *Mythol. Hebr.* II. p. 210 sqq. eum maximam partem pro mytho habet historico: in qua etiam sententia versatur recens ejus interpres Germanicus, *J. D. Goldhorn*, Lipsi. 1803. De singulari autem *Nachtigallii* opinione vid. *Eichhornii Bibliothek literar. Bibl.* IX. 2. p. 221 sqq.

(2). In introductione ad opus, tribus partibus editum, quod inscripsit: *Erklärungen aller dunklen stellen des N. T.*

tem eam ab incertis etiam quibusdam interpretibus Graece conversam fuisse, quo- Pars II.
rum adeo versiones non minus discreparent quam ipsa, quibus usi essent, tex- Cap. I. §. 6.
tus Hebraici exempla diversa; denique a tribus tandem prioribus Euangelistis ex diversis exemplis Hebraicis petitam fuisse eamdem, et a Marco quidem et Luca Graece editam adhibitis Graecis istis versionibus, sed a Matthaeo Hebraice, cujus Graeca, quam superstitem habeamus, interpretatio multis in locis vitiosa sit et aliquot accessionibus contaminata: haec igitur trium illorum Euangeliorum origo, qualem cogitatione informavit Eichhornius, sumitur dumtaxat et antiquitati affingitur. Quod si enim veteres audiamus auctores, Matthaeus paucis post Christi obitum annis isque primus suum conscripsit Euangelium (1), Marcus autem et hunc secutus est ducem fidissimum, et Petrum Apostolum, testem etiam oculatum (2). Lucas vero quam puris ex fontibus hauserit, et quae in his utendis ejus fuerit prudentia, ipse diserte declaravit in sui Euangelii initio. — Sed obest quoque quam maxime isti Eichhornianae sententiae, quod nimis est artificiosa, nullamque, ne levissimam quidem, habet simplicitatis commendationem. Nam, ut eam tueretur Eichhornius, tam multa tamque varia temere ipsi sumenda erant, tot, eaeque haud paucae procul petitae, conjecturae in subsidium adhibendae, ut, nisi et felix viri ingenium, et aevi ratio novitatum amatrix ipsum magnopere adjuvissent, suam opinionem non nisi perpaucis, ut puto, ac fortasse nemini persuasisset (3).

Longe simplicior est *Eckermanni* sententia: qui, cum antea multo exilius quam Eichhornius de eorumdem Euangeliorum, immo vero de Joannei etiam et Actuum Apostolicorum origine judicasset, pristino suo errore repudiato sic statuit summatim (4): Euangelia Matthaei, Marci et Lucae ab antiquissima Christianorum societate pro certis historiae ac doctrinae Christi monumentis tradita, ac secundo jam post C. N. seculo in omnibus Sacris Christianorum coetibus, quos condidisse Apostoli, una cum Joannis Euangelio et actis Apostolorum prae ceteris, quae ferrentur Euangeliis unice pro genuinis ac fide dignis habita fuisse; porro primam historiam Euangelicam a Matthaeo confectam esse Hebraice, sive Syro-Chaldaice, hoc est ea dialecto Aramaea, cujus usus ea aetate in Palaestina vige-

ret,

(1). *Michaëlis*, *Introd. ad N. T.* §. 126.

(2). *Michaëlis* ibid. §. 137. sive §. 141. in additamentis ad tert. edit. p. 218 sqq.

(3). Docte inter nostrates eam impugnavit *Grevius* in opusculis, quorum titulus: *Verstrooide gedachten over verschillende onderwerpen.* Partic. II. p. 107 sqq. et III. 144 sqq. Apud Germanos autem cum alii eamdem impugnarunt, tum nuper vero *J. L. Hugius*, *Introd. ad N. T.* German. P. II. §. 17-30. coll. §. 37-46.

(4). l. l. pag. introd. 7 sqq.

Pars II. Cap. I. §. 6.

ret, sed postea destructa Hierosolyma eumdem opus suum Euangelicum Graece convertisse in uberiores hominum usus, ex quo factum sit, ut, cum non nisi pauci essent doctores Aramaeae linguae periti, Aramaeum ejus Euangelium paulatim ex usu excideret. Praeterea non esse ait consensum trium priorum Euangelistarum ejusmodi, ut inde colligendum sit, alterum ex altero, vel singulos ex uno eodemque scripto, at diversis modis elaborato, petiisse, verum inde facile repeti, quod, cum Matthaeus ex veterum testimonio primum Euangelium, idque Aramaeum, in eorum, qui in Palaestina essent, usus componeret, hoc pro fonte habitum sit optimo, ex quo haurirent quotquot de Jesu factis ac doctrina referrent: nec mirum adeo esse cum Marcum, tum Lucam, qui suas relationes Euangelicas Hierosolymis colligerent ejusmodi accepisse relationes, quibus, cum quod ad materiam, tum quod ad formam attineret, magna esset similitudo cum Matthaei Euangelio.

Haec ille: nec profecto improbabiliter; etsi tamen nihil omnino impedire videtur quominus ponamus, Lucae, qui quidquid certi de Jesu rebus suppeteret a se adhibitum fuisse, ipse testetur, ipsum illud Matthaei Euangelium Aramaeum, antiquitus nobilissimum, notum fuisse, ab eoque suos in usus conversum, a Marco autem sive hoc solum, seu Lucae etiam Euangelium in compendium quasi redactum esse ac nonnullis accessionibus, quas Petrus suppeditaverit, locupletatum (1).

Quod ad Joannis Euangelium attinet, de cujus *αὐθεντίᾳ* vix cuiquam justum esse dubium queat (2), ab hujus scriptore et lecta fuisse tria priora Euangelia et in multis partibus suppleta, tam luculenter ex ipso ejus Euangelio ostensum fuit (3), ut haud sciam an quid ad persuadendum efficacius hic merito desideretur. Atque hoc posito haud leve tribus prioribus Euangelistis accedit auctoritatis momentum, cum ex Jesu discipulis nullus esset cum suo doctore conjunctior, nullusque adeo, cui accuratior omnium, quae ad hunc spectarent, rerum notitia suppeteret. Hoc vero ipsum ex antiquitatis sententia tradit *Eusebius*, cum dicat, a Joanne tria Euangelia priora et visa, et comprobata, et suo Euangelio quasi suppleta fuisse (4).

De Actis Apostolorum vix opus sit ut aliquid moneam. Ea Lucam, cui adscri-

(1). Conf. *Grevius* l. l. P. II. p. 121. et inprimis *Griesbachius* in *Velthuseni*, *Kuinoelii* ac *Rupertii commentatt. Theol.* I. p. 360 sqq.

(2). Hanc vindicavit *Griethuysenius* in dissert. praeside *Clarisio* defensa Harderv. A. 1807.

(3). Vid. *Michaëlis*, *Introd. ad N. T.* §. 161. sive in supplem. ad tertiam edit. Germ. p. 257 sqq. et *Hugius*, *Introd.* II. §. 51-54.

(4). *Hist. Eccles*, III. 24.

ſcribuntur, auctorem habere, tam fere est indubitatum, ut nullus ſit ex univerſa omnino antiquitate liber, de cujus ſcriptore certiores eſſe queamus (1). Atque idem dictum esto de fide auctoris hiſtorica. Nam cum non omnibus, quae narraret, ipſe interesſet, ea partim ab optimis testibus oculatis accepisſe, partim ex probatisſimis rerum documentis hiſtoricis petiisſe cenſendus est: atque in univerſum ita narrat, ut ſummam faciat fidem (2). Pars II. Cap. I. §. 6.

Ceterum quod duo prima Capita in Euangelio Matthaei a recentioribus quibusdam pro ſpuriis habita fuerunt, hoc tantum abest ut propter ſatis graves rationes factum ſit, ut contra graviſſimae ſuppetant rationes criticae, hiſtoricae, grammaticae, quae eorum integritatem tueantur (3). Ac temere etiam *Paulus* (4) postremum Euangelii Joannei Caput ab alia manu appendicis inſtar adjectum eſſe ſtatuit, in eoque nec certas, nec veras traditiones contineri: objectas autem ab eo difficultates recte ſolvit *Eichhornius*, (5). Jam antea vero *Michaëlis* a *Grotii*, hoc Caput Joanni abjudicantis, opinione feliciter id vindicaverat (6). Sed locum tamen Joanneum V. 4. de Angelo aquas Bethesdae turbante ſpurium eſſe, graviſſima auctoritate inductus minime dubitem.

Haec, quae nos non niſi breviter attigimus, ſed quae alii fuſius pertractarunt, ſatis demonſtrant, hiſtorias in N. T. relatas ex vagis incertisque traditionibus nequaquam petitas eſſe, aut non niſi diu demum postquam accidiſſent, literis conſignatas, atque adeo parum conſentaneum eſſe, ut in ſcriptis N. T. mythi quaerantur hiſtorici, qui paulatim a narrantium multitudine et varietate eam mutuati ſint formam, qua veris hiſtoriis diſſimiles ſint. Atque hoc ipſum ex veritatis indiciis inſitis ſic posſit confici, ut conjuncto utroque argumento et exter-

(1). Vid. nuperrimus Actuum Apost. commentator Latinus *Heinrichſius*, in Prolegom. p. 3-6.

(2). Vid. idem p. 21-38.: etſi non omnia, quae attulit, aeque probanda videntur; veluti quod p. 33. multa a Luca in miraculorum numero ex aetatis ſuae indole haberi contendit, quae ſecundum quotidianas naturae leges accidiſſe rectius existimaveris. Sed hac de re infra.

(3). Vid. *Heringa*, *de uſu et abuſu Critices*, in Opusc. Soc. Hag. 1790. p. 413-415. et qui ibi citantur, quibus addi meretur *J. F. Schmidius* in *Commentt. Theol. Velthuſeni*, cet. I. p. 340 ſqq. et *Hugius*, *Introd.* II. §. 64.

(4). In *novo repertorio pro literatur. Bibl. et Or.* P. II. p. 327 ſqq.

(5). *Biblioth. literat. Bibl.* III. 2, 337 ſqq.

(6). In *expoſitione hiſtoriae Jeſu ſepulti et in vitam recovati*, pag. edit. Germ. 294 ſqq. Conferatur quoque *Hugius* l. l. II. §. 66., ubi hoc caput a *Pauli* objectionibus, T. II. *novi Repertorii* propoſitis, vindicat.

Pars II. Cap. I. §. 6.

terno illo et interno hoc, eorum librorum fides historica in tanta luce collocetur, quanta majorem nullae habeant conscriptae veteres historiae. Nam eorum auctores se ostenderunt veritatis et amicos integerrimos et investigatores prudentissimos, atque in iis, quae narrarunt, omnia cum temporum regionumque ratione admirabilem in modum conveniunt, ac permulta etiam, etsi vel obiter relata, vel leviter tacta, tamen ad munitias usque, ut ita dicam, aliunde confirmentur. — Verum in hunc, quamvis amoenum, campum ut excurramus non licet, cum pateat amplissime: neque id etiam opus est, eum praeclare factum fuerit ab aliis haud paucis (1).

Ex omnibus igitur, quae hoc Capite attulimus, hoc merito colligere videmur, non esse quod mythici Librorum Sacrorum interpretes in seriore rerum relatarum perscriptione magnum aliquod suae opinionis quaerant praesidium, cum hoc partim quidem plane sit nullum, partim vero tam leve tamque exiguum, ut nihil in eo roboris inesse videatur.

CA-

(1). Hos inter eminent *Lardnerus* in operibus Anglicis *de historia Euangelica fide dignissima*, et *de testimoniis Judaeorum atque Ethnicorum veritatem Rel. Christ. confirmantibus*, *Lessius* in opere Germanico, quod *de Religione* scripsit, P. I. §. 27-39., *Michaëlis*, *Introduct. ad N. T.* §. 3-12., *Hugius* in sua *Introd.* T. I. §. 3. et 4., *J. A. C. Meyerus* in disputatione Belgica *de historia Jesu et Apostolorum, ex probis exterorum scriptorum Graecorum et Latinorum documentis illustrata et confirmata:* est ea in Opusculis Societatis Haganae, ad tuendam Religionem institutae, A. 1799.

CAPUT SECUNDUM.

De mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praesidio, quod quaeritur in antiquissimo loquendi usu mythico, quem sermonis indoles ac magna rerum caussarumque naturalium ignoratio pepererint.

§. 1.

Qui mythicae Librorum Sacrorum interpretationi viam paravit, celeberrimus *Heynius*, ipsam mythorum primam originem quaesivit partim in prisci sermonis indole, partim in rerum physicarum et caussarum naturalium ignoratione (1). „ In generis enim nostri infantia cum homines vix ullarum rerum cogitatione afficerentur nisi quae sub sensus caderent, cumque eorum sensus multo gravius impellerentur, quod animi multarum rerum contemplatione avocati ac distracti non essent, hinc eorum sermonem, ait, qui inops esset, et ne paucis quidem, quae animo insiderent, notionibus exprimendis satis idoneus, ejusmodi ergo sermonem maxime figuratum fuisse, vividumque et imaginum plenissimum; hinc adeo quae meditatione conciperentur, in quaedam quasi facta conversa fuisse, quo melius sensibus subjicerentur, ac bruta animalia ipsasque res inanimatas haud raro ad humanae actionis ac loquelae modum informata: quaecumque vero animum vehementius afficerent, haec praesertim verbis magnificentius efferri solita fuisse, et in tanta rerum caussarumque ignoratione, quanta non esse non posset, prodigiorum formam mutuata, et arcanis, non vero naturalibus caussis adscripta; unde igitur ad varii generis superstitionem via aperta sit, ac saepe acciderit ut mera portenta, monstra et miracula nobis, qui alio dicendi genere utamur, ac de rerum caussis aliter judicemus, narrare videantur."

Haec Heynii sententia, summatim allatisque partim auctoris verbis a nobis proposita, mox ad mythos in antiquissimis Geneseos documentis quaerendos ansam eo dabat apprehensu faciliorem quo ipse eam Heynius interpretibus S. C. porrexerat apertius (2). Itaque haud pauci haec documenta ad eam rationem Hey-

(1). *Temporum mythic. memoria*, cet. p. 9 sqq. et *Opusc. Acad.* I. p. 189 sqq.
(2). Vid. *Heynii Comment. alleg.* p. 3, 4, 11.

Pars II. C. II. §. 1, 2. Heynianam exigere, in iis multa et figurate dicta et ad actionem ac loquelam revocata ex priſci ſermonis indole explicare, multaque, ab ordinario rerum curſu recedere viſa, generali illi naturalium cauſarum ignorationi adſcribere et ad conſuetum curſum reducere: verbo, quidquid inſueti ac miri quid haberet, ex primitivae aetatis indole repetere, atque in numero adeo reponere mythorum. Hoc vero cum felici ſucceſſu, certe magno cum applauſu, fieri animadverterent ulterius deinde progredi coeperunt, et ubicumque Numinis Angelorumque apparitiones memorantur, aut res ad peculiarem referuntur Dei interventum, et ubicumque igitur aliqua non in Veteris ſolummodo, ſed in Novi etiam Teſtamenti ſcriptis conſpicitur miraculi ſpecies, ibi nil niſi meros mythos cernere, quos et loquendi uſus, qui ex avito more Hebraeis paene non mutatus remanſerit perpetuo, et conſtans ad quaerenda in iis, quibus vehementius afficerentur, prodigia proclivitas primum quidem peperierit, ſed quos diuturna traditio ſingulari quaſi cura aluerit, formaverit et novis indies auxerit incrementis (1).

Itaque, tametſi in ſuperiori Cap. hoc oſtendiſſe nobis videmur, plurimum abeſſe ut firmum ſatis ad mythicam S. C. interpretationem ſubſidium ſumatur e perſcriptis diu demum post eventum relationibus hiſtoricis, eo tamen ipſo non omne mythicae interpretationi praeſidium eripuiſſe cenſebimur: immo vero aliud ei ſuppetit, quod ſi ſatis certum ſit, mythi in S. C. ineſſe queant, quantumvis libri non multo ſerius quam res acciderint, neque ex traditionibus adeo conſcripti eſſe videantur. — Et ſane ex ipſa illa duplici cauſſa, ad quam potiſſimum Heynius primam revocavit mythorum originem, permulta in Scriptis Sacris, hiſtorice relata, mythice ſolent exponi, quorum mythica forma non ex diuturnis traditionis acceſſionibus, ſed ex populari ipſorum teſtium opinione repetatur: qualia ſint E. G., quae in Joannis Euangelio et in Actis Apoſtolorum de Angelorum apparitionibus aliisque rebus miraculi ſpeciem habentibus memorantur. Quocirca neceſſarium duximus, ut, quid in hoc etiam praeſidio roboris ineſſet, paulo diligentius inquireremus.

§. 2.

In antecesſum igitur monemus, arduum videri de prima fabularum origine ita exponere, ut veritati juſtaeque demonſtrationi omnino fiat ſatis.

1. Enimvero cum haec origo apud ipſas eas gentes, quae fabularum et nume-

(1). Quod ad V. T. attinet, conf. praeſertim *Meyerus*, *Hermen. V. T.* T. §. 161.

mero et varietate maxime inclaruerint, quales ſunt Aegyptii et Graeci, temporibus eorum hiſtoricis multo anterior ponenda ſit, ista res non niſi partim per quamdam quaſi inductionem e nonnullis indiciis conficiatur, partim per conjecturam ex ingenio informetur: in qua ergo argumentatione multiplex est hallucinandi periculum. Atque haud ſcimus equidem, an et *Heynius* (1), et *Schellingius* (2), et quotquot nostro aevo de mythorum, ſive fabularum origine exponere ſtuduerint, ingenio nimium indulſiſſe dicendi ſint, et, uti ſert aevi nostri ratio, nimium philoſophati fuiſſe: unde quoqne est, quod aliter *Wagnerus*, aliter *Kannius* (3), aliter denique alii de eadem re philoſophati ſunt justo ſubtilius. Certe multas fuiſſe fabularum cauſſas, neque omnes plane easdem apud varias gentes, per ſe probabile est: de quibus vero ut exponamus, per. inſtituti rationem non licet (4). Sufficiat aliquem ostendiſſe fontem, quem et unum omnium primum, et praecipuum, et variis gentibus communem fuiſſe arbitremur, in ſuperſtitioſa complurium Deorum veneratione quaerendum. Hunc jam indicavimus P. I. Cap. 1. §. 2. et Cap. 3. §. 4. Sed res digna est, de qua convenienter cum eo, in quo jam verſamur, loco iterum diſſeramus.

2. Scilicet hoc ponimns, non ex ſubtiliori ratiocinio philoſophico ſed ex certa rerum notitia petitum, quod adeo a nemine negari, ac ne in dubium quidem revocari confidimus, apud vetustiſſimas, quae maxime innotuerint, gentes, Polytheismum et magnum fabularum numerum ita fuiſſe conjunctos ut, quo plures Dii colerentur, eo quoque plures fabulae eſſent: cujus rei exemplum praebeant et Aegyptii illi et Graeci, quos conſtat utrosque tam Deorum, quam fabularum multitudine nobiliſſimos eſſe. Quocirca vel hanc illi, vel illam huic dediſſe originem, conſentaneum est ut ſtatuamus: nam diverſam aliquam fuiſſe cauſſam externam, quae aequabiles hos effectus ubique produxerit, ecquis umquam vel cum leviſſima veri ſpecie paulo prudentioribus perſuadeat? Itaque, cum vel Polytheismum ex fabulis, vel has ex illo exſtitiſſe cenſeamus, haud difficilem judicamus fieri optionem. Haec nimirum in univerſum est vetustae Mythologiae indoles, ut, ſi cum Polytheismo comparetur, effectus magis quam cauſſae rationem habeat. Nam modo valde naturali ac ſimplici et ex Polytheismo repetatur prima Mythologiae origo, et hujus incrementa exponantur ex ipſo Deorum increcre-

(1). Vid quae ſupra disputavimus Part. I. §. 1.

(2). In *Pauli Memorabilibus* P. V.

(3). Vid. que diximus in Prolegom. Cap. 1. §. 3.

(4). Ita in libro Gallico, *Explication hiſtorique des fables par Mr. l'Abbé B.* T. 1. p. 21-68. quindecim recenſentur diverſi fabularum fontes, et plerique quidem non prorſus improbabiliter.

Pars II. Cap. II. §. 2.

crescendo magis magisque oborta: quod cum supra in posteriore loco allegato, Obs. 1. satis perspicuum fecisse nobis videamur, hic verbo indicasse sufficerit.

3. Nec diffitemur tamen, Polytheismi superstitionem deinceps ab ipsis fabulis, ex se quasi natis, aliquod alimentum atque adjumentum accepisse, ac filias adeo matri suae opem tulisse haud exiguam: immo vero lubenter agnoscimus, homines, ista superstitione semel imbutos, quidquid et hanc et cum ea conjunctissimam mythologiam alere posset atque amplificare, cupide arripuisse, ideoque aliquam illi et prisci sermonis indoli et rerum caussarumque ignorationi, quam memorat *Heynius*, ad mythologiae incrementa vim omnino adscribendam putamus. Naturalium enim caussarum ignoratio cum universe magna esset priscis aetatibus, facile inducebantur superstitiosi homines, ut, quidquid accidere viderent, hoc numini cuidam adscriberent praesentissimo, quod vel venerari didicissent, vel hanc in rem ex ingenii figmento advocatum aliis adderent socium. — Prisci vero ea sermonis, quae apud gentes nonnullas diutissime viguit, indoles parum accurata, abstractarum notionum minime capax, a philosophia subtiliori prorsus aliena, sed vivida, sed figuris imaginibusque luxurians, sed animi cogitatis sub sensus revocandis maxime idonea: haec ergo loquendi ratio apud gentem quamcumque fabularum studiosam his ipsis fabulis et exornandis et vero etiam augendis erat sine dubio aptissima. — Nec negamus denique, hanc et sermonis indolem et caussarum naturalium ignorationem primis temporibus eam vim habere potuisse in iis, qui unius Dei cultui dediti essent, ut et rebus quibuscumque vitam, animam, loquelam tribuerent, et quamplurima, praetermissis naturalibus caussis, ad ipsam primam caussam, sive Numen, quod venerarentur, referrent: verum an talia tamen mythorum rationem revera censenda sint habere, deinceps perpendemus.

4. His, quae posuimus, veri, ut putamus, similiter positis, jam alia porro animadverti volumus, eaque haud minus profecto veri similia: quae tamen ipsa non nisi breviter indicare licebit.

Et principio quidem, cum, si non ingeniose dumtaxat philosophari ac fingere velimus, sed probabiliter disputare, atque intentis oculis et ingenue opinionum humanarum vestigia persequi; cum igitur vix dubium obscurumve sit, polytheismum ex monotheismo, non vero hunc ex illo derivari oportere (1): consequitur, mythologiam non nisi serius ex polytheismo exstitisse et cum hoc paulatim incremen-

(1). Nuperrime hoc agnovit *Dalbergius* in praef. ad libellum, cujus titulus est: *Schéik Mohammed Fani 's Dabistan, oder von der Religion der altesten Parsen, Aschaffenb.* 1809. Vid. ibi p. 4 sqq. Conferantur autem quae supra disputavimus Part. I. Cap. 1. §. 2. Obs. 2. et Abbas *Jerusalem* in *Commentatt. super Religione*, Germanico sermone conscriptis, P. II. Comm. 1. med. p. 32 sqq.

menta cepisse, atque adeo ejus initia non ad ipsa generis humani incunabula pertingere; quod sumere videtur *Heynius*. Deinde, quamquam priscorum temporum hominibus sermonem incultum magnamque causarum naturalium ignorantiam adscribere non dubito, nihilominus non tam exiles de eorumdem conditione atque intelligentia arbitror informandas esse imagines, quam quas et Heynius et alii multi sibi informent. Est nimirum apud eos, qui nostra aetate de primitiva hominum conditione philosophantur, generali more receptum, ut hanc sibi fingant a brutae quasi stupiditatis statu exorsam, hominesque necessitate ad suas vires magis magisque experiundas coactos, ac paulatim ad aliquod rationis suae exercitium, cum tempore per oblatam variarum rerum opportunitatem excitatum, enisos. Verum enimvero quicumque justas sibi cum de hominis prae omnibus animantibus, hujus orbis incolis, praestantia, tum praesertim de Numinis, a quo creatus sit, sapientia ac bonitate notiones informaverit, huic per se non videatur non veri simillimum, ut Deus recens creato et in terra constituto homini cura peculiari prospexerit. Non solo enim instinctu animalium instar impelluntur homines, ut Conditoris sui consiliis satisfaciant, sed rationis, qua ducantur, participes sunt. Verum ut hanc ad suos usus adhibere discerent, longissimo temporis intervallo iis opus fuisset, ac brutorum more vivendum, nisi Deus iis adfuisset auxiliator ac parentis quasi vicem apud eos sustinuisset. Immo, nisi hoc admittamus, hominum conditio multo deterior fuisse censenda sit in rerum initio, quam brutorum animantium, quibus solus suis mox sufficerit instinctus, a benigna natura insitus. Sed, hoc asumto, simul quoque asumere non vereor, quamquam id scio a nostri aevi decretis philosophicis prorsus abhorrere, primum ipsius sermonis usum a peculiari Numinis auxilio, qualecumque tandem hoc fuerit, repetendum videri, cum certum sit, exiguam ac propemodum nullam esse vim rationis humanae, nisi sermo una adsit, cujus tamquam instrumenti usu hanc suam vim et exerat et augeat in dies. — Quid? quod *Schlegelius* (1) istam de primitivo hominum statu, quam nos repudiamus, sententiam sanae philosophiae adversam videri ac per vetustissimas historias non modo non confirmari ait, sed vero damnari ut merum opinionis commentum, quoniam, sepositis etiam monumentorum Mosaicorum auctoritate, ex plerisque Asiae documentis antiquissimis et factis historicis satis manifestum sit, homines terrestre suum curriculum haud sine Numine exorsos fuisse. Quapropter ipsam puriorem ac primitivam Indorum religionem repetendam esse judicat ab institutione Divina, sive Revelatione; sed, ut ipsi videtur, interiori, ex qua male intellecta et per hominum opi-

Pars II. Cap. II. §. 2.

(1). *Ueber die Sprache und Weisheit der Indier*, p. 89, 90.

Pars II. C. II. §. 2, 3.

opiniones perverſa varii deinceps errores exſtiterint (1). Certe, convenienter cum ipſius rei natura homo recens a ſuo Genitore formatus non inducitur in libro Geneſeos plane ſibi ſoli relictus, ſed ab eo in omnibus, quibus ipſi opus eſſet, adjutus tamquam ab optimo patre, qui adeo cum ſaepe ad eum accederet praeſentisſimus cum eoque familiariter verſaretur, hoc ipſo frequenti utilique commercio ſermonis uſum et excitaret et identidem excoleret amplificaretque. Quin etiam diſertis verbis refertur Deus Geneſ. II. 19, 20. varii generis animalia ad Adamum adduxiſſe cum alio conſilio, de quo deinceps, tum vero ut haec propius cognosceret ac nomina iis imponendo quoddam loquelae inſtitueret exercitium.

5. Quandoquidem igitur primitivum hominis ſtatum nobis fingere minime decet rudem incultumque, ac primitiva religio a polytheismo ac mythis adeo ex eo oriundis pura fuiſſe cenſenda est, ideo non illam vim primariam ſive in ſermone primaevo, ſeu in cauſarum rerumque naturalium ignoratione ad mythologiam fuiſſe putamus, quae fuerit ex *Heynii* aliorumque opinione: neque his cauſis, ſed potius ſuperſtitioni pluriumque Deorum venerationi, quae purum ac ſimplicem unius Dei cultum paulatim cum tempore exceperit, atque depravatae adeo hominum conditioni primas in mythologia praecipuasque partes adſcribendas eſſe, merito arbitramur. Sed et hoc praeterea volumus animadverti, cauſas illas ab Heynio memoratas, vim, quam perverſis deinceps hominum ſtudiis ac depravari coepta religione habuerint ad mythologiam, non ubique eamdem habuiſſe. Ne enim dicamus, mores, inſtituta, vivendi rationem, coeli ſolique naturam ac magis etiam minusve vividum ingenium aliaque plura earum vim partim auxiſſe, partim minuiſſe et infinitis modis variaſſe, ſola ſuperſtitioſarum religionum diverſitas efficere non potuit, quin aliae gentes plura, aliae pauciora mythorum ſpecie ac forma inſtruerent, et in portenta converterent. Ex qua, ut putamus, veriſſima obſervatione confirmetur, quod ſupra P. 1. Cap. 1. §. 3. ex ipſa variarum gentium antiquarum contemplatione collegimus, multum abeſſe, ut harum omnino omnium hiſtoria aequabili modo a mythis incepiſſe cenſenda ſit.

§. 3.

Ex iis, quae, quam breviſſime fieri poterat „ §. ſuperiori disputavimus, conſequitur, quamcumque vim alibi habuerint cauſae, quibus Mythologiae originem adſcripſerit *Heynius*, hanc eas non habuiſſe apud Hebraeos eorumve proavos, puriore religione imbutos, neque in ipſis etiam habuiſſe rerum humanarum primor-

(1). Ibid. p. 104 ſqq.

mordiis, quibus a Deo instituti informatique homines non rudes essent stupidique, nec Polytheismi superstitioni obnoxii sed tum demum habere coepisse, cum homines a religionis puritate ac simplicitate deflecterent. Pars II. Cap. II. §. 5

Cum tamen prisci sermonis indoles revera insit in sermone Hebraico, videamus, quid haec effecerit non in vetustissimis modo, sed in novissimis etiam scriptis Codicis Sacri.

1. Equidem eo facilius prisci sermonis indolem agnoscimus in sermone, quam Hebraicum dicere solent, quo minus dubitamus, hunc primum fuisse quo homines uterentur. Nam, uti unum dumtaxat initio fuisse sermonem, nos quidem ex S. C. auctoritate, Genes. XI, 1., merito statuere nobis videmur, ita ex insitis etiam Hebraici sermonis indiciis haud temere colligamus, hunc ipsi primitivae originis honorem, omnino competere (1). Et profecto habet ille cum alia plura infantilis, ut ita dicam, simplicitatis vestigia minime obscura, tum hoc praesertim, quod nulla continet certa distinctorum temporum indicia, nullasque proprie dictas conjugationes, ut adeo qui infantes observaverit cum primum loqui incipiunt, is quo magis in ejus intimam indolem penetraverit hoc quoque magis prima in eo articulati quasi sermonis pericula deprehendere sibi videatur.

Atque hic sermo longe antiquissimus, immo primaevus, quem quia ab Hebraeis receptus fuit, ab his denominare consueverunt, et quam supra, Cap. I. §. 3 Obs. 2. vidimus vetustissimam suam, qua ad ipsam generis humani infantiam pertingat, indolem non nisi perparum immutatam retinuisse: Hebraicus igitur sermo in hac sua indole eam omnino habet rationem, quam in hujus Cap. initio delineavimus, estque adeo perquam simplex, minus philosophicus, valde figuratus et ad omnia sub sensus revocanda maxime idoneus. Haec vero ejus ratio, quam cum reliquis dialectis Orientalibus, proxime ex eodem sermone primaevo derivatis, generatim habet communem, non modo in poësi, ad quam Hebraeorum aeque ac Arabum ingenium jam ab ultimis inde temporibus compositum erat, sed in ipsa prosa oratione luculenter conspicitur. Sic sive fulmina frequentia e nubibus ejaculata, seu flammae e montibus erumpentes, quibus ex Dei consilio aditus Paradisi praecluderetur, imagine Divinorum Paradisi custodum adumbrantur Gen. III. 24. — Sic, quando Sol ac Luna ad Josuae, praelium aliquod quantocius ad finem feliciter perducere cupientis, preces subditisse memo-

(1). Hoc jamdudum multi tenuere. Vid. *Waltoni appar. Bibl Proleg.* III. §. 4-19. p. 230-235. et liber (*Jenischii*) *de fatis Ling. OO.* p. 4. Et Orientalis istius linguae vestigia partim obscuriora, partim clariora adsunt in priscis linguis quam plurimis, praesertim in lingua Graeca. Vid. *Bianconius* supra allegat. *de lit. Hebr. et Gr.* p. 64. et *Ernestius* in *Opusc. Philol.* p. 171 sqq.

Pars II. Cap. II. §. 9.

morantur Jos. X. 12, 13, hoc nihil aliud significat, nisi diem non prius occidisse quam Josua Deo auxiliante plenam reportasset victoriam (1). — Sic, cum Elias Vates igneo curru igneisque equis in coelos raptus esse narratur 2 Reg. II. 11. (2), hoc sub imagine quadam oculis subjicit vim ac magnificentiam procellae cum tonitrubus ac fulminibus conjunctae, qua Elisaeus ipsum a Deo raptum conspexisset. — Sic denique, quando Jesus Joann. I. 52. gravissime affirmat, conspectum iri coelos apertos, atque Angelos modo adscendentes, modo ad se descendentes, hoc imagine ab eo, quod Jacobo patriarchae quondam in visione obtigerat, desumta oculis quodammodo conspicuam reddit peculiarem illam providentiam, quae Divino Doctori semper adfutura esset praesentissima.

Nimirum seriore etiam Christi et Apostolorum aetate vocabula, formulas, imagines improprie accipiendas frequentissime usurpabant Judaei, ut ex avito loquendi more res sensibus subjicerent, et huic generi ita assueti erant, ut ab eo non deflecterent, etiamsi alio sermone ac patrio uterentur. Atque hinc peculiariter repetendus est usus, in Novi etiam Testam. scriptis haud rarus, sed in V. T. scriptis eo frequentior, quo haec sunt antiquiora, ex quo id quod hominis proprium est, Deo, adscribitur, Deusque adeo humano more informatur.

Sed vero istud loquendi genus, e priscо sermone ortum, cum universe omnibusque temporibus in S. C. obtinuerit, non consentaneum est profecto ut umquam *mythicum* appelletur, nisi vocabulis ludere velimus: ac per se non magis est fabulosum aut mythicum, quam ipsa vetustissimorum poëtarum Graecorum, Homeri praesertim dictio Orientali illi haud plane absimilis, etsi ad fabulas narrandas et exornandas aptissima. Propius per suam indolem ex parte accedit interdum prosa Hebraeorum ad poëticam dictionem: nec tamen umquam per se *poëtica* est dicenda, nisi quis, quod toto suo genere diversum est, confundere velit; uti E. G. neque Coran in quo saepe dictio valde splendida est ac fervida, auctor Mohammedes, neque Ispahanensis, neque vitae Timuri scriptor, neque Haririus, quibus nihil elatius figuratiusque produxit Arabia, carmine sua opera conscripsisse merito dicantur.

2. Haec cum ita sint, ne antiquissima quidem illa Geneseos documenta, in quibus omnium maxime conspicua est prisci sermonis indoles, propter hanc causam *mythica* vocaverim. Jam ab aliquo inde tempore, ut hoc obiter neque importune moneam, mos invaluit, in Germania praesertim ut quasdam V. T. partes

(1). Conf. *Homalsveld* in *Bibl. def.* III. p. 64 sqq. et *Muntingh.* in *Biblica cult. hum. histor.* V. p. 19 sqq. not.

(2). Vid. ibi *Michaëlis.*

nes: vere historicas et historico stilo conscriptas ad carmina referrent et ad poëticam adeo rationem exigerent (1). Quae opinio cum mythicae interpretationi haud parum favere videretur, eam ab hujus patronis avide suos in usus arreptam fuisse, non est profecto quod miremur: quin eo etiam nonnullorum processisse temeritatem, hac ipsa scilicet opinione excitatam, ut universum Pentateuchum et Euangelicam historiam pro operibus epicis ac mythicis haberent, in Prolegomenis vidimus Cap. 2. §. 4. Obs. 2-4. Sed, ut haec aliaque absurda ingenii commenta mittamus; *Hesium* etiam, etsi a mythica interpretatione prorsus alienum, creationis descriptionem Mosaicam in carminum numero reposuisse, ipse in historiae suae Israëliticae initio, ubi eam inseruit, satis demonstravit. Perperam omnino haec fiunt, quoniam nullo umquam pacto iis partibus historicis probabiliter affingatur peculiaris illa sententiarum quasi aequabilis distributio ad quamdam mensurae speciem exacta, sive membrorum parallelia, quam omnium antiquissimae poëseos Orientalis jam propriam fuisse, certo certius liquet ex Genes. IV. 23, 24.: quem locum si quis vel cum creationis descriptione attente et ingenue comparaverit, nae is tantum animadvertet discrimen, ut hic historicam, illic contra poëticam formam adesse, facile percipiat. Itaque, uti peritior et prudentior quisque carmina, quae Haririus in suis Confessibus, aut quae Arabsiades in sua vita Timuri inseruit, facile a reliqua distinguat oratione, neque hanc ideo poëticam esse dicat, quia valde florida est et imaginibus abundans, ita non decet utique propter solas figuras imaginesque, quas habet plus semel prosa Hebraeorum oratio, hanc eodem plane loco reponere quo poëticam. Quod autem illam poësin diverso nomine appellari velint *historicam*, hoc vero nihil ad ipsam rem facit, estque denominatio mere arbitraria et Orientalibus temere afficta.

Pars II. Cap. II. §. 60

Verum, quod praesertim volebam, cum in genere sermonis Hebraici indoles ad priscum loquendi modum prorsus conformata sit ejusque indicia passim et in ipsis etiam N. T. libris cernantur, minus congruens esse arbitror, ut in vetustissimis C. S. partibus nonnullis ideo mythi inesse censeantur, quia plura in his appareant hujus indolis indicia, quam in recentioribus. Nimirum, quod supra in genere monuimus P. I. C. 2. §. 3. Obs. 6., non tantum inter narrandi modum, qui in istis partibus, et inter eum qui deinceps animadvertatur, discrimen esse, ut propterea illae mythicam rationem habere merito censeantur, sed non aliunde id repetendum videri, quam quod omnium vetustissimae sint, hoc igitur in ea, in qua jam versamur, re peculiariter valere cupimus. Quod si enim ipsam ser-

mo-

(1). Vid. E. C. *Meyeri Hermen.* V. T. II. p. 217-223. et *Henkii thesaurus (Magazin für Religionsphilosophie &c.)* IV. 2. p. 361 sqq. 3, p. 595 sqq. V. 2, p. 291 sqq.

Pars II. Cap. II. §. 3.

monis Hebraici indolem universe spectatam minime mythicam dicere oportet, non consentaneum est eam ibi dumtaxat hoc nomine vocare, ubi et plura et magis luculenta hujus indolis apparent indicia. Ita vero ferebat ipsius rei natura, ut, quo major esset antiquitas, quoque propius abesset a generis humani primordiis, hoc etiam magis dicendi ratio et imperfecta esset, et figurata, et at res sensibus subjiciendas comparata: qui quidem orationis color cum ubique in Scriptis Sacris inhaereat, etsi minus vividus deinceps, unum idemque de eo judicium faciendum videtur, non vero aliud de primis, aliud de reliquis eorum partibus historicis. Quocirca ne iis quidem assentimur, qui in illis solis mythos inesse arbitrantur.

3. Quo clarius nostram mentem aperiamus, et quibusdam insignioribus exemplis illustremus, age, ex ipsis illis Geneseos documentis antiquissimis ea in medium proferamus et ad prisci sermonis indolem exigamus, in quibus potissimum mythica ratio reperiatur, quae ex hoc sermonis indole tamquam ex prima ac praecipua causa exstiterit.

Itaque, cum creati orbis descriptionem Mosaicam non philosophemati attribuerimus, P. I. Cap. 2. §. 2. Obs. 1. coll. Cap. 3. §. 7. Obs. 4. fere med., sed institutioni divinae, quam adeo homines mature quidem, sed tum demum, cum ejus capaces essent, acceperint, ex hoc cum consilio divino, sed vero etiam cum infantili ista loquendi simplicitate convenienter eximium hoc exstitisse putamus documentum, quod et ipsam illam primaevam simplicitatem spirat manifesto et simul nihil quidquam detrahit de majestate Divina, immo hanc sensibus ita subjicit, ut in ea generis nostri infantia nihil sive Deo dignius esse queat, seu ad hominum usus accommodatius. Mox quidem, cum res adspectabiles in duas partes majores dividerentur, sive coelum ac terram, utriusque creatio universe Deo adscribitur, deinde quidquid ab hominis in terra constituti conspicitur oculis, justo quodam ac naturali, sed in illa antiquitate facile concipiendo et ad quotidiani temporis humani mensuram exacto ordine singulatim ea, quam in posterum retinerent, forma ad eumque, quem haberent perpetuo, usum exstitisse narratur: ubique autem Deus agens et loquens inducitur, immo vero de homine, qui omnium animantium princeps foret in terra, formando secum deliberans, ac tandem omnibus suis operibus ad finem perductis et approbatis quiescens, ipsumque hunc quietis suae diem homini in gratam creatoris sui memoriam faustum sanctumque esse jubens.

Porro, ne quid dicam de peculiari illa primi hominis a Deo ex terrae pulvere formati et mox anima vitaque per nares, quibus spirare solemus, inflata instructi descriptione Genes. II. 7., quam ipse, ut veri simile est, Adamus, a Deo hac de re brevi postquam vivere coepisset tempore institutus, tradiderit, et in qua

res

res ad ipsam infantilis sermonis indolem accommodate informatur sensibusque subjicitur: aliud exemplum esto in creatae foeminae descriptione Genes. II. 18-23., ab Adamo etiam, uti videtur, profecta, et cujus ratio ex eadem illa caussa facile exponatur. Adamus enim, cum in animalibus ad se eo consilio a Divino Numine adductis, quod §. 3. Obs. 1. extr. indicavimus, nihil sibi simile videret, et animadverteret adeo, comitem sibi deësse desiderabilem, Deoque hoc ex vero attribueret consilium, ut hujus desiderium in se excitaret, cum hoc desiderio obdormiens in somnio divinitus idque sapientissime objecto Deum videre sibi videtur ex ipsius corporis sui particula quadam formam aliquam humanam conficientem, qualem inter omnia animantia non conspexisset. Deinde evigilat, Deumque videt hanc ipsam ad se adducentem, quae comes foret conjunctissima. Hinc non modo quod somniaverat, narravit non secus ac si revera accidisset (1)., verum etiam Deum sibi informavit prius quam uxorem ipsi dedisset, secum loquentem et de ea creanda consilium capientem. — Ejusdem autem Dei loquentis inductio, ab hominibus dumtaxat informata, alibi quoque adesse videtur in iisdem documentis pervetustis: quo spectent quae Deus secum dixerit et post hominis lapsum, Genes. III. 22., et increscente hominum perversitate, VI. 3., 7., et pulso diluvio, VIII. 21., 22., et exstructa turri Babelica, XI., 6., 7.

Postremo, ne longior sim, quod in hominis ad peccatum prolapsi descriptione, Genes. III., non pro philosophemate, sed pro facto historico, uti supra monitum est P. I. Cap. 2. §. 2. Obs. 1. coll. Cap. 3. §. 7. Obs. 4. extr., habenda quam plurimum offendit serpentis cum muliere colloquium omnium facillime sic intelligi judico (2)., ut illud non re ipsa habitum sit, sed varias diversasque mulieris ad serpentis de vetitae arboris fructu cum quadam voluptate edere, eamque ad suum exemplum imitandum callide quasi excitare visi conspectum obortas cogitationes contineat, quas adeo partim huic loquenti, partim sibi ipsi, ad istas serpentis blanditias respondenti tribuerit mulier, ex prisca illa sermonis indole simplicissima, qua omnia ad actionis cujusdam modum, immo ad loquelam etiam informarentur. Atque hoc eo hic facilius fieri videtur potuisse, quo veri puto similius, ut isto serpente usus sit Cacodaemon instrumento ad mulierem inducendam

(1). Non obstat omnino quod Paulus 1 Cor. XI. 8. mulierem dicit ἐξ ἀνδρὸς, *e viro desumtam*, fuisse. Nam, praeterquam quod Apostolus cum hominibus disputans, haepe ex iis argumentatur, quae ipsis probarentur, ad ejus argumentationem perinde est revera, utrum creatio mulieris sic acciderit uti narratur, an vero in somnio divinitus objecto, sive in visione tantum censeatur accidisse.

(2). Ita fere jam hac de re judicabat *Js. Abarbanel.* vid. *Clericus* ad h. l. E. Christianis vero *Simeon des Muis* in *Bibl. Crit.* T. I. p. 147, 148. Conf. in primis *Lessius*, *Vermischte Schriften*, p. 222 sqq.

Pars II. C. II. §. 1, 2.

dam opportuno idoneoque, utque prava cogitata sic in hujus monte excitaverit, ac si ea ab ipso serpente injecta fuissent. Verum de hoc, quod ponimus, infra §. seq. agemus.

Atque, ut id opportune oblata occasione animadvertam, eodem plane modo difficile permultis visum asinae cum Bileamo colloquium, in libro minus vetusto relatum Numer. XXII. 28 sqq., expedire posse mihi viderer, nisi graves obstarent rationes. Cum quadam quidem probabilitatis specie statuitur (1)., isto colloquio nil contineri aliud, nisi varias Bileami ad reluctantis asinae conspectum obortas cogitationes in sermonis utrimque habiti modum propositas. Verum universa rei relatio ita comparata videtur, ut hoc admittere non audeam: atque adeo, cum visionis cujusdam propheticae, quam multi loco isti intulerunt, ut difficultati historicae se subducerent (2), aut fraudis etiam commentive qualiscumque (3), nullum adsit, ne levissimum quidem, indicium, sed res tamquam vera cumque rebus Israëliticis proxime conjuncta historia referatur, verum hic adesse miraculum vix dibutem, quod nihil habeat offensionis, dummodo ejus consilium ad temporum hominumque rationem prudenter exigatur. Sed harum vindiciarum, quae ad hunc quidem in quo jam versamur, locum minus pertineant, alii mihi otium fecerunt (4). At hoc unum tamen notetur, non opus esse profecto, ut ipsum animal sermone, nedum ratione, ad tempus instructum fuisse opinemur. Prolatus enim sermo esse potuit per Angelum, illius quasi nomine loquentem, ut asina ipsa Bileamo loqui videretur, a Dei Numine impulsa.

4. Haud plane abs re fuerit breviter hoc loco monuisse, multa a Prophetis ex prisco narrandi more memorari et conspecta et acta, quae neque oculis conspexerint neque egerint revera, sed quae in visione divinitus suis mentibus oblata et conspicere et agere sibi viderentur. Sic quod Jesaias Cap. VI. Jehovam solio insidentem in Templo, et Jeremias I. 11 sqq. amygdalum, ac bullientem ollam vidisse se narrant: quod Ezechiel quaedam passim scribit se vidisse, dixisse atque egisse plane singularia: haec ex recepta interpretum sententia ad ecstasin propheticam merito referantur. Atque idem adeo judicium sine dubio faciendum est

(1). Vid. *Lessius*, l. l. p. 138 sqq.

(2). Ita peculiariter *Dathius* ad h. l.

(3). Ita abbas *Jerusalem*, in *Comment. de Relig.* IV. Sect. 1. fere med.

(4). Vid. in primis *Hamelsv. Bibl. def.* V. p. 137 sqq., *Perponcherius* ad Belgicam versionem hujus loci ex Germanica *Michaëlis* versione expressam, et *Herderus* in Epist. *de studio Theol.* Ep. 2. p. 26 sqq. edit. Germ., qui tamen in opere Germanico, quod de Poësi Hebr. scripsit, II. p. 238. illi accesserit sententiae, ex qua haec in visione acciderint.

est de aliorum Prophetarum Hebraeorum, ipsiusque etiam Joannis, Apocalypseων auctoris, visis, auditis factisque, quamquam historico modo enarratis. — Sed a veri similitudine non abhorret eorum opinio, qui luctam Jacobi patriarchae cum Angelo in visione accidisse existiment, Genes. XXXII. 24 sqq. (1), quia noctu accidit et haud levem habet visionis speciem: ut adeo dolor in Jacobi femore excitatus sit sive per vehementiorem ejus somniantis agitationem, sive per imaginationis gravius affectae vim, seu denique per ipsam vim Divini Numinis, quo auctore haec ei visio contigisset. — Nec defuerunt etiam, qui ipsam tentati Jesu historiam universam in loco ponerent visionum (2), idque profecto non improbabiliter. Quamquam enim res quasi vere facta narratur, inest tamen in ipso narrandi modo aliquid, quod ad visionem assumendam facile moveat. Nam et Matthaeus IV. 1., et Marcus I. 12. et Lucas IV. 1. diserte memorant, Jesum *a spiritu* abductum fuisse in desertum, id est, ipso Luca fere interprete, ab ea vi Divina, qua plenum se, sive penitus animatum sentiret, et qua qui sic animabantur, ut visionem quamdam haberent menti oblatam, dicebantur esse ἐν πνεύματι, sive vi Divina pleni. Neque est dissimilis formula, qua Joannes in Apocalypsi XVII. 3. in desertum, et XXI. 10. in montem excelsum se abductum fuisse refert ἐν πνεύματι, sive ita ut per divinam vim ac visionem extra se raperetur Certe hanc explicationem longe praestabiliorem esse puto ea, quam *Eichhornius* in primis commendavit (3), et ex qua Jesus varias, quas animo volvisset, cogitationes narraverit ad colloquii se inter et diabolum, cui ex sui aevi more prava quaevis auctori adscripserit, habiti modum. Istiusmodi enim expositio sive in se spectetur, seu ad Euangelistarum relationes exigatur, nullam omnino prae se fert veritatis ac simplicitatis speciem. Pars II. C. II. §. 3, 4.

§. 4.

Sed, quandoquidem ii, quibuscum disputamus, hoc praesertim ad antiquissimam cogitandi loquendique consuetudinem referunt, quod plurima, in quibus nil

(1). Ita multi. Ex veteribus E. C. *Maimonides* in *More Nevochim*, p. 310. et *Theodoretus* T. I. *Quaest.* 92. Ex recentioribus inter alios *Michaëlis*.

(2). Ita inter alios *Clericus* ad Matth. IV. 1. in editione N. T. *Hammondiana* A. 1698. *Harenberg.* in *nova biblioth. Brem.* III. 2. p. 250 sq. et *Farmer* in opusculo de hoc argumento. Neque improbat penitus *Venema*, Hist. *Eccl.* III. p. 33. Nuper autem hanc sententiam tuitus est *Paulus* suoque more exornavit in *Commentar.* ad N. T. T. I. p. 352 sqq.

(3). *Biblioth. literar. Bibl.* III. 2. p. 282 sqq. et 6. p. 1040 sqq. Conferri potest *Cunzius* in *Pottii Commentatt. Theol.* VIII. p. 311 sqq.

Pars II. Cap. II. §. 4.

nil ineſſet niſi naturae conſentaneum, in mera portenta ac miracula eo facilius converterit hominium ſimplicitas, quo magis res et cauſſas naturales ignorarent, Numenque Divinum ad omnia advocarent praeſentiſſimum: operae pretium facturi nobis videmur, ſi ad hunc etiam priſci ſermonis, cum ſuperiori illo proxime conjunctum viſum, characterem illud dicendi genus, quod in Scriptoribus Sacris animadvertitur, ingenue exegerimus. At hanc quoque partem, quantumvis gravem atque ampliori pertractatione dignisſimam, non niſi ita tractare poterimus, ut ex magna ac paene infinita rerum copia illud, quod praecipuum videatur, dumtaxat delibemus.

Negari utique non potest ac ne dubitari quidem, in C. S. paſſim, praetermiſſis cauſſis naturalibus res ad primam cauſſam, ſive ipſum, cujus imperio omnia regantur, Numen referri: quod loquendi genus ſi quis habita aetatis nostrae ratione minus accuratum aut parum philoſophicum dixerit, facile hoc patiamur, ſed *mythicum* id umquam merito vocari, aut veri nominis mythis miraculorumve figmentis locum dediſſe in C. S. qui contenderit, huic equidem vehementer adverſemur.

1. Est nimirum in confeſſo, hanc in C. S. cerni priscorum temporum et pietatem et ſimplicitatem, ut in omnibus Deum ipſum agentem videre ſibi viderentur, et quaecumque igitur homini ſive bona ſeu mala obtingerent, immo vero etiam haud raro quae menti ejus ſive laudanda, ſive improbanda obvenirent, et quae adeo ipſe ſive virtuti conſentanea, ſeu vitioſa ac perverſa efficeret, haec omnia Deo adſcriberent. In his quidem omnibus et nos quoque, dummodo recte cogitemus ac ratiocinemur, Divinam providentiam minime excludimus, ſed ſimul tamen naturales ſive proximas cauſſas non praetermittere ſolemus, ac merito etiam id, quod Deus ipſe efficit, ab eo, quod dumtaxat permittit conſilio ſapientiſſimo, distinguimus. Verum longe alia erat antiquiorum temporum ratio in Libris Sacris deſcripta, quae philoſophicas has justasque distinctiones ignorans omnia, quae nos diverſo modo ſignificemus, iisdem fere formulis complectebatur.

Atque hanc cogitandi et loquendi conſuetudinem, etſi eo frequentiorem, quo tempora ſunt vetuſtiora, paſſim tamen et in recentioribus quoque S. C. Scriptis obtinere, ſi exemplis ostendere vellem, illud declararem, quod in omnium oculis poſitum est. Sed hoc monere minime ſupervacaneum ſit, ipſos eos, qui generalioribus istis formulis uterentur, non eam ubique iis notionem ſubjeciſſe, quam verba prae ſe ferrent, verum diverſam, pro rerum, de quibus loquerentur, diverſitate. Neque enim ita ſimplices, ita fere ſtupidos nobis eos fingere licet, quaſi eodem plane in omnibus modo Deum agere opinarentur. Sic, quando Deus dicitur Pharaonis animum obdurasſe, ſive obſtinatum reddidiſſe, haec obſtinatio a ſcrip-

ſcriptore, qui eam Pharaoni vitio verterit, non eodem utique modo Deo attribuitur auctori, quo V. C. coeli terraeque creatio, ſed ſenſus ex ipſius ſcriptoris mente manifesto est, Deum huic obſtinationi occaſionem dediſſe, eamque haud ſine gravi conſilio permiſiſſe. Vid modo Exod. IX. 7, 14-17, 27-30. — Atque ut ex alio genere unicum etiam exemplum proferamus, cum Deus dicitur Beſaleëlem ſuo ſpiriti inſtruxisſe, ut ad Tabernaculum artificioſe conficiendum idoneus eſſet, Exod. XXXI. 1. ſqq. XXXV. 30. ſqq., vel ſolus orationis contextus, coll. XXXVI. 1. ſatis indicat, ex ipſius ſcriptoris mente agi de ingenii facultatibus naturalibus, Dei quidem numine, ſed non per miraculoſum interventum inditis, eoque temporis puncto quaſi infuſis. Verum, quando ſive Jeſaias, ſeu quicumque alius Hebraeorum Propheta, qui divinum legatum ſe et diceret et ſuis ſermonibus luculenter probaret, eodem ſpiritu divino ornatus aut plenus fuisſe memoratur, tunc conſentaneum est ut de peculiari quadam, quaeque non naturalis eſſet, Divini Numinis vi eos ipſos cogitasſe cenſeamus. Part II. Cap. II. §. 4.

Hoc igitur loquendi genus neque per ſe mythicum est, neque etiam mythis apud Sacri Cod. Scriptores dedit locum. Illud quidem non opus est ut demonſtremus: et vero ipſa hujus conſuetudinis origo mythicam rationem plane reſpuit, quoniam non ex opinionis commento, non ex ſuperſtitione, ac ne proxime quidem ex rerum et causſarum naturalium ignoratione probabiliter repetatur, ſed ex factis hiſtoricis, ſive ex peculiari illo ac familiari Dei commercio, quod primis hominibus, ac deinceps etiam verae religionis ſtudioſis obtingeret (1): et quod adeo eos ſponte induceret, ut cui ſaepe praeſentisſimo omnia ſua accepta referre rerumque terreſtrium omnium regimen adſcribere didicisſent, eumdem in omnibus, quae fieri viderent, ut ſupremam causſam venerarentur perpetuo. Quae pietatis conſuetudo cum altas radices egisſet in Oriente, ſolo ſuo natali, facile hinc tranſierit aliquid cum ad alias gentes, tum maxime ad Graecos Orienti proximos et alia plura ab Oriente mutuatos, qui, quantumvis purioris religionis doctrinam primitivam depravasſent, ipſos tamen illos pietatis ſenſus ſermone expreſſos aliquamdiu retinuerunt: unde etiam repetendum videtur quod, quo antiquiores ſunt eorum poëtae, eo plura horum ſenſuum indicia in ipſis ſuis commentis ac fictionibus patefecerunt. Rerum ergo naturalium et causſarum ignoratio hanc piam loquendi conſuetudinem aluit quidem apud Hebraeos ac ſaepe auxit quam plurimum, ſed eam non primum peperit: et non in ſolis vero rebus miris, inexſpecta-

(1). Vid. quae ſupra disputavimus P. I. Cap. 3. §. 5. Obſ. 1., §. 7. Obſ. 4. initio, et hoc, in quo verſamur, Cap. §. 2. Obſ. 4. Conf. *Muntingh.* in *Bibl. Cult. hum. hiſt.* III. p. 242 ſqq.

Pars II. Cap. II. §. 4.

tatis, insolitis apud eos obtinuit, sed generali usu in rebus etiam simplicissimis et quotidie obviis, atque in universum sic ad pietatem erat comparata, ut quae hanc pietatem in animis caussa excitasset, eadem illam consuetudinem produxisse videatur. Atque, ut hoc addamus, inde quoque est, quod ne seriori quidem aetate penitus interierit, eamque ipse etiam Religionis Christianae conditor sapientissimus haud raro secutus sit, ac Deum E. G. induxerit, qui aves nutriat et lilia convestiat, Matth. V. 26, 30.

3. Quod jam ad alterum attinet: ipsam illam loquendi consuetudinem mythis ac portentorum figmentis haud paucis per omnia passim Sacrorum Scriptorum tempora dedisse locum, plurimi ajunt hodie, nos vero negamus. Cum vero hi nobiscum de istius consuetudinis origine minime consentiant, age, hac origine sepositа, de re ipsa inquiramus.

Et plurimum quidem abest profecto, ut semper et ubique omnia in S. C. historiis ad Deum, praetermissis caussis naturalibus, referantur auctorem, ejusque Numen ex machina advocetur. Longe enim pleraque, quamvis magna saepe et inexspectata, simplici et perquam naturali modo referuntur. In ipsis rebus antediluvianis quam multa insunt, in quibus nil portentosi reperias? In naturalibus item orti pulsique diluvii caussis indicandis diligentem fuisse ejus narratorem, supra animadvertimus P. I. Cap. 3. §. 7. Obs. 4. fere med. Ne autem plura conferamus, in transitus Israëlitarum per mare rubrum, quamquam peculiari et extraordinario Dei interventui attributi, descriptione ipsae commemorantur caussae naturales, quibus usus sit Deus tum ut aquae liberum Israëlitis ac tutum permitterent transitum, tum ut eaedem deinde Aegyptios, ubi hos insecuti essent, submergerent. — Deinde, etiamsi multa, in quibus nil miraculosi nemo non agnoscat, ad ipsum Deum proxime referuntur, non omnia tamen ad Deum relata eodem numero promiscue habenda sunt, aeque ac si veri nominis miracula confinxisset Hebraei, ubi nulla adesset: immo vero plerumque quid ordinarium esset, quid extraordinarium, ipse narrandi modus et orationis contextus sic declarant, ut, si ingenue agere velimus, miraculi speciem non ex usu loquendi, sed ex ipsa rei a consueto naturae cursu deflectentis indole repetere debeamus. Sic certissimum quidem est, veteres Hebraeos ex populari opinione Deum in tonitru praesentissimum vidisse, atque inde tonitru *vocem Jehovae* appellasse: sed numquam tonitrui ipsum ab historicis scriptoribus in articulatum quemdam Dei sermonem transformatur, ac ne tum quidem, cum tonitru per peculiarem Dei providentiam excitatum fuisse refertur. Vid. Exod. IX. 23 sqq. 1. Sam. VII. 10. XII. 17, 18; in quibus locis ipsa denominatio קול, sive *vocis*, adhibetur. Itaque, quando et in legislatione Sinaitica et in Jesu baptismo Deus loquens inducitur, hoc uti explica-

ri commode nequit ex eo usu, quo multa ad actionem quamdam sermonemque revocabantur, ita etiam non oportet ut pro mero habeatur tonitru, quo Deus loqui ac diserta quaedam verba pronuntiasse fingatur. Quid? quod Moses in legislationis Sinaiticae descriptione tonitru ab ipsa loquentis Dei voce perspicue distinxit Exod. XIX. 16. Coll. XX. 1. et 15-18. (1). — Porro, cum Moses de suis, quae in Aegypto peregisset, prodigiis, aliisque etiam, quae in Arabiae desertis accidissent, portentis saepe et perspicue ita locutus sit, ut, nisi pro impudentissimo impostore habeatur, ipse non dubitasse censendus sit, quin haec omnia Divini Numinis vi perficerentur; uti supra jam significavimus P. I. Cap. 3. §. 5. Obs. 1.: intima ista animi persuasio nullo unquam probabili modo repetatur a magna rerum caussarumque naturalium ignoratione hominis in Aegypto jam tum satis exculta educati omniquè Aegyptiorum sapientia imbuti. Neque nosmet ipsi, quamvis multo majore nostri aevi luce collustrati adjutique, ista miracula Mosaica ad naturalem ordinem revocemus, nisi diserta ipsarum relationem verba in longe alium, atque ferant, sensum contorqueamus. Jesu vero et Apostolis certissime de peculiari Numinis interventu deque suis miraculis propriis persuasum fuisse qui negaverit, huic vel naturalis verborum, quibus usi sunt, sensus perventendus est; vel statuendum, eos prodigiorum amorem, quem sui aevi homines haberent, ad suae Religionis tamquam divinae commendationem accommodasse, ac tempori adeo callide inservivisse: quae calliditas quo modo prudentiae nomine laudetur, et cum reverentia tantis viris debita componatur, non video; vel denique ipse omnium doctorum sapientissimus atque intelligentissimus Jesus erroris est arguendus, qui cum quid naturale, quid secus esset, non satis discerneret, et generali illa ad mira ac portentosa quaevis propensione duceretur, permulta in prodigia converterit, in quibus nos, melius scilicet edocti, nil videre debeamus, cum statis naturae legibus non conveniens; quo nihil, si quid judico, absurdius fingatur. Itaque omnia et Jesu et Apostolorum miracula nemo probabiliter ad mythos referat ex prisca cogitandi loquendique consuetudine proxime ortos: nec decet adeo ipsa, quae in V. T. memorantur, miracula ab hac caussa repetere.

Pars II. Cap. II. §. 4.

4. Subjungamus idoneo hoc loco quaedam de Angelis, quorum nec personae, neque apparitiones in S. C. relatae ab eadem hac caussa repetantur.

Non diffitemur equidem, jamdudum in more fuisse Judaeis, ut, cum Deum saepe Angelorum uti crederent ministerio, quo multa in his terris exequeretur, hanc suam fidem sermone vulgari exprimerent. Hinc igitur in Euangelii Joannei loco, quem spurium esse arbitramur, V. 4., Angelus inducitur aquas piscinae Bet-

(1). Vid. *Hessius* in *Biblioth. hist. S.* P. II. p. 229. sqq.

Pars II. Cap. II. §. 4.

Bethesdae turbans. Quem locum si quis genuinum esse existimet, nihil impedit, quominus ibi Joannem ex recepta opinione censeat locutum esse, ac de singularis, ejusque cum religione non conjunctae rei caussa per imaginem popularem expositisse (1). — Neque improbabile est, Angelum divinum, a quo Herodes percussus fuisse dicitur Act. XII. 23., ex eadem fide induci solummodo, neque ex mytho proprie dicto, sed per quamdam personae fictionem, qua Lucas significarit, non casu, sed per singularem providentiam, immissamque divinitus poenam subito exspirasse Herodem a vermibus corrosum: nam verum Angelum conspectum fuisse non refert. Quin etiam eodem jure et ex avito loquendi usu Angelus Jehovae, qui insignem cladem Assyriis intulisse legitur 2 Reg. XIX. 35. 2 Chron. XXXII. 21. Jes. XXXVII. 36., peculiarem Numinis Divini interventum per prosopopoeiam censeri potest significasse. — Sed vero, uti supra P. I. Cap. 3. §. 5. Obs. 2. ostendimus, revera Deum priscis temporibus saepe usum fuisse Angelorum ministerio, atque inde omnium facillime repeti Angelorum fidem Hebraeis cum aliis Orientis gentibus communem, ita statuimus quoque, ubicumque sive in Veteri, seu in Novo Testamento Angeli conspecti esse memorentur et cum hominibus collocuti, ipsam grammaticae et historicae interpretationis simplicitatem suadere ut ibi veros Angelos admittamus. Quando igitur, ut hoc utar, a Jesu anxiis animi cogitationibus, dum mors imminebat, agitato in horto Getsemanes Angelus conspectus esse dicitur, qui eum corroboraret Luc. XXII. 43. (2), hoc non aliam ob caussam traditioni adscribitur (3), nisi quo facilius in philosophema quoddam, sive mythum, convertatur. Verum, cum nos Lucam non quarumcumque traditionum captatorem et consarcinatorem, sed prudentissimum rerum ab optimis auctoribus acceptarum scriptorem esse haud temere judicaverimus Cap. superiori §. 6., eo inducimur etiam ut credamus, illam apparitionem ab Jesu primum discipulis narratam, et ab his deinceps ad Lucam delatam fuisse, ipsumque adeo Jesum neque imaginationis vi impulsum fuisse vanove errore delusum, neque, ut popularium obtemperaret consuetudini, phantasma quoddam confinxisse, quod menti suae conquassatae robur injiceret. — Sed in ipsis quoque Apostolorum Actis referuntur Angelorum apparitiones, quae cum vix traditioni adscribantur, ex solo fere narrandi modo mythicam formam perhibentur accepisse. Quam temere autem hoc fiat, unicum exemplum luculenter declaret ejusmodi apparitionis, quam

a

(1). Vid. *Jahnii Archaeol. Bibl.* I. 2., p. 502-505.

(2). Hunc enim locum, etsi in quibusdam Codd. non lectum, genuinum esse non dubito.

(3). *Bauer. Mythol. Hebr.* II. p. 248. sqq.

a Luca ex Petri, cui ea obtigisset, commentariis, sive ipsis ejus verbis perscriptam fuisse, eo est veri similius, quo clarius ipsa descriptio Petrum spirat auctorem. Hic igitur Apostolus ab Herode in carcerem conjectus duplici catena ligabatur, satellitibus non in eo tantum, ubi asservabatur, carceris loco, sed ante carceris etiam ostium dispositis. Noctu autem dum somno consopitus erat, subito excitatur, speciem aliquam videt magna luce splendentem, quae ipsum surgere jubet. Mox catenae a manibus delabuntur. Abitum parat. Ducem sequitur, cum eo penetrat per custodes, ipsasque fores aeneas sponte videt apertas: quo facto solus sibi relictus suoque comite destitutus certo certius sibi persuadet, ab Angelo Divino liberatum se esse, Act. XII. 6-11. Jam vero, quam parum probabiliter, immo quam temere ponitur (1), ignotum fuisse aliquem Religionis Christianae ipsiusque Petri amicum, ac fortasis ipsum carceris praefectum, qui ejus studio ductus hoc et tentaverit et feliciter sit executus! Frustra autem aliquod istius mere conjecturalis expositionis praesidium in eo quaeritur, quod Petrus, quid accideret, ipse nesciisse narretur. Immo vero hoc nesciisse dicitur, vera esse ac vigilanti accidere, quae accidere videret, et mox credidisse adeo se visionem videre dumtaxat, sive somniare: quae opinio perquam naturalis et per subitam valdeque mirabilem salutis spem ipsi injectam oborta cum penitus liberato excuteretur, haud dubitabat amplius, quin quae vidisset suaeque menti praesentissima haberet, non somnianti, sed vigilanti accidissent. Profecto, nisi qualicumque tandem modo Angelos eorumque apparitiones ut vere historicas ex C. S. expellere animum induxerimus, oportet ut hanc apparitionem non in Petri, Judaicorum scilicet commentorum contagione infecti, cerebro, sed re ipsa obtigisse, ingenue agnoscamus.

5. Postremo, cum ad hunc locum pertineat malorum Angelorum, sive Cacodaemonum, quibus multa, ex causis potius naturalibus repetenda, tribuerint Judaei, frequens, quae in N. T. injiciatur, mentio, hanc minime intactam praetereundam arbitramur.

Et istam quidem Daemonologiam, quam vocant, mere mythicam censeri ac *philosophematum* in loco poni a *Bauero* (2), eo minus miramur, quo certius constat, jamdudum magis magisque invaluisse, ut ad commenta, Judaeis cum aliis gentibus communia referretur. Fac autem, ex vero ita statui, statuendum simul est, Daemonologiam non Judaici ingenii foetum esse, sed rem aliunde a Ju-

(1). Ita *Eichhorn.* in *Biblioth. literat. Bibl.* III. 3, 396 sqq. et qui hunc secutus est *Bauer. Mythol. Hebr.* II. p. 268-270., qui tamen mythi partem adscribit traditioni.

(2). *Mythol. Hebr.* I. p. 140 sqq.

Pars II. Cap. II. §. 4. Judaeis susceptam, praesertim dum in captivitate Babylonica versarentur: quae etiam vulgaris est hac de re sententia eorum quos hic spectamus. Eam igitur ipsam si nos probaremus, istarum opinionum partim philosophicarum, partim popularium eamdem fere rationem esse diceremus atque earum, quae sunt de statu hominis mortui et ab Aegyptiis potissimum ad Hebraeos delatae ac philosophematum etiam nomine insignitae, de quibus supra diximus P. I. Cap. 2. §. 2. Obs. 3., et quas, prout sua aetate ferrentur, eo prudentius ipse Jesus ad suum consilium adhibuerit, peculiariter in nobilissima Divitis et Lazari parabola Luc. XVI. 19 sqq., quo plura in iis inesset cum ipsa rerum indole consentanea. Itaque illas etiam opiniones Daemonologicas cum ipsi Jesu tum Apostolis atque Euangelistis admissas fuisse ac suos in usus ab iis conversas, idque etiamsi eae nil veri continerent, non dubitarem equidem, si modo satis probabiliter demonstratum vidissem, in omnibus omnino locis huc spectantibus, salva et interpretandi simplicitate et reverentia viris divinis debita meras statui posse ad opinionum commenta accommodationes. At hoc, hoc, inquam, cum quidquid tentaverint recentiores, mihi necdum plane persuaserint cumque et Jesus et Apostoli de pravis spiritibus ita haud raro locuti sint, ut hos aeque ac bonos spiritus, sive Angelos, revera exsistere videantur credidisse, gravissima eorum ac divina auctoritas tantum mihi censetur pondus habere, ut hanc sequi quam deserere malim.

Enimvero, uti non solis in rerum creatarum immensitate hominibus rationis usum competere, supra animadvertimus P. I. Cap. 3. §. 5. Obs. 2. initio, ita etiam parum in se probabile est, eos qui hominibus intelligentiae vi superiores sint, in primitiva sua integritate perstitisse omnes, sed contra veri simillimum, haud deësse qui inde deflexerint, et quo adeo homine sint intelligentiores, eo quoque maligniores eos esse. Neque ego etiam in tanta, in qua me homuncionem versari ingenue profiteor, et rerum, quae extra hunc orbem sint, earumque nexu cum ipsis hujus orbis rebus, et universi regiminis Divini ignoratione, hanc mihi quasi decretoriam temeritatam sumere ausim, ut nullam plane cum bonorum, tum malorum, qui sint, spirituum vim in homines ac res humanas esse posse, fidenter pronuntiem.

Neque idcirco tamen omnia loca, in quibus de Daemonum vi agetur, ad literam accipienda esse contenderim: immo vero esse nullus dubito figurata quaedam et in quibus aliqua insit ad vulgarem usum accommodatio, eaque sapientissime ad eos, qui huic assueti essent, instituendos composita. Quando E. G. Jesus Matth. XII. 43-45. de Cacodaemone loquitur ejecto, quietem in locis desertis quaerente, ac septem aliis assumtis sociis pristinam in homine sedem repetente, habet hoc manifesto parabolici aliquid comparationis caussa ex recepta vulgi opini-

nione adhibitum. Nec profecto aliunde repetam Pauli Apostoli, figurata dictione frequentisſime uſi et cum Judaeis Judaico more disputantis, formulam, qua malos ſpiritus in aëre degere dicit Epheſ. II. 2. VI. 12., aut Judae, a figurata dictione minime etiam alieni, Symbolicam Diaboli, cum Michaëli, Angelo principe, de Moſis corpore litigantis inductionem vs. 9. (1), aliasve quascumque ejus repraeſentationes in Apocalypſi praeſertim Joannea, imaginum Judaicarum plenisſima. Utrum vero, ubicumque Daemoniacorum mentio fit in N. T., ibi de morbis duntaxat naturalibus agatur, an ſecus, mihi quidem nondum ſatis exploratum est, cum alia loca facillime, alia perquam difficulter, immo cum reverentia ipſi Jeſu debita parum convenienter ex ſolo conſueti uſus imitamento exponantur, atque ipſe etiam *Jahnius*, quamquam mythicae interpretationis minime amans, nec novitatis ſtudioſus, nihil hac de re definire voluerit, ſed liberum ejus arbitrium unicuique permittere (2).

Nec minus fortasſis arduum ingenuo ac vere liberali interpreti videatur definire, quousque deceat ex Jeſu et Apostolorum auctoritate Daemones pro perverſarum cogitationum actionumque humanarum ſuaſoribus atque inſtigatoribus habere. Certe, ut hoc utar, cum Jeſus ſati ab homine boni, ab ejusque inimico mali ſeminis parabolam ipſis ſuis exponeret intimis discipulis, quos de vera rei indole certiores eſſe vellet, ac Diabolum memoraret mali ſeminis ſatorem, hunc ſibi, boni ſeminis ſatori, ita oppoſuit, ut et veram perſonam induxisſe et huic aliquam, eamque haud exiguam, vim ipſe attribuisſe videatur, Matth. XIII. 24-30., coll. 34-43. — Quid? quod eodem Jeſu auctore in primi hominis corruptione praecipuas partes Cacodaemoni haud temere adſcribamus. Diabolum enim diſerte dixit Joan. VIII. 44. homicidam inde a rerum humanarum initio fuisſe, atque hoc ita dixit, ut ex ipſa animi ſententia hunc non modo revera exſiſtere, ſed etiam mortem apud homines introduxisſe declararet: nam in hunc ſenſum ejus verba a Judaeis intellecta eſſe et a nobis adeo intelligi oportere, me quidem dubitare vix ſinit locus ex libro Sapientiae, qui illi commentarii quaſi vicem praeſtet, II. 24., quique per Diaboli invidiam mortem in hunc mundum pervenisſe, ex recepta opinione refert. — Et certe Jeſu verba eo modo expoſita hiſtoriam hominis a vero, ut putamus, ſed qui non locutus ſit, ſerpente tentati in luce collocant haud exigua, uti ex iis, quae §. 3. Obſ. 3. med. notavimus facile pateat: atque ipſa ſententia divinitus in ſerpentem lata, ita comparata est, ut, imaginibus ab eo pe-

(1). De quo loco vid. *J. H. van der Palm* in Sermonibus eccleſiasticis Belgice conſcriptis, P. I. p. 114-116.

(2). *Archaeol. Bibl.* I. 2. p. 400-501. et in *Compend. Lat.* p. 311-329.

Pars II. Cap. II. §. 4.

petitis, alium quemdam auctorem designare videantur, qui oblati serpentis instrumento usus sit, sive infensum aliquem humani generis hostem, hominibus quidem valde noxium futurum in posterum, sed tandem tamen aliquando feliciter ac penitus debellandum. — Hoc autem assumto, in ipsa illa historia origo cernatur fidei de pravis spiritibus malorum humanorum auctoribus hominique inimicis, quam passim, etsi non eodem ubique modo in Oriente obtinuisse notum est: ac facile etiam concipitur, unde sit, quod ejusmodi spiritum Orientales et Judaei praesertim, imagine serpentis sibi repraesentaverint (1). Scilicet, cum magna sit antiquissimorum Geneseos documentorum brevitas, est ne incredibile, immo vero nonne in se perquam probabile est, primos nostros parentes, Divino beatos commercio, deinceps de istius, in serpentem latae, sententiae vi, sive de re gravissima institutos fuisse, cum ei capiendae magis facti essent idonei? — Cujus igitur doctrinae, aeque ac aliarum multarum, quarum primarius fons in iisdem documentis conspiciatur, rerum traditio, sed variis modis mutata ac perversa, longe lateque manaverit per Orientem et ab iis praesertim gentibus recepta sit, quae mature qualecumque tandem philosophiae studium excolerent, verum apud Hebraeos, ad ejusmodi studium quondam minus proclives, propemodum intermortua (2): donec hi per captivitatem Babylonicam aliquem ejus amorem ab iis contraherent gentibus, inter quas versarentur, atque illas adeo de Daemonibus opiniones reciperent, quas luxurians Orientalium ingenium cum tempore informasset, et quarum cum alibi in scriptis Judaeorum, tum in Novo maxime Testamento indicia reperiantur quamplurima.

Verum de amplissimo hoc, sed valde impedito argumento ut longius excurramus non licet. Sufficiat prudentioribus veritatis ac Librorum Sacrorum amicis, quales vosmet ipsos semper ostendistis, Societatis Teylerianae Curatores spectatissimi, haud improbabiliter, nisi fallimur, demonstrasse, ipsam Judaicam Daemonologiam non ex philosophemate quodam, quod rerum causarumque ignoratio produxerit, sed ex puro fonte historico oriundam esse, et quantumvis variis additamentis humanis, ex quibus ipsi Scriptores Sacri ac Religionis Christianae con-

(1). Vid. *van Beeck Calkoen* in disputatione *de Relig. Mos. et Christ. origine*, in Commentatt. Theol. Soc. Teyler. T. XIX. p. 97-99., qui tamen Serpentem, in libro Geneseos memoratum, habet pro imagine Diaboli symbolica. Conf. etiam ibid. p. 84., ut et *Stinstra* in concionibus Belgicis de antiquis vaticiniis ad Messiam spectantibus, T. I. p. 5. et 6. in not.

(2). Nam non nisi pauca eaque propemodum obliterata hujus doctrinae vestigia adsunt in Judaeorum libris ante captivitatem Babylonicam compositis: quae eruere et exhibere non vacat.

conditores imagines formulasque desumserint, oneratam, veri aliquid continere, quod quale omnino sit, difficulter quidem definiatur, sed gravissimis tamen auctoritatibus luculenter confirmetur. Pars II. C. II. §. 4, 5.

Ceterum quae de Judaeorum opinionibus Daemonologicis diximus, haec etiam valere volumus de eorumdem opinionibus ad Angelos spectantibus, re adeo ipsa verisimis, sed exterorum tamen commentorum augmento commixtis.

§. 15.

Quo majus iis, quae hoc Capite hactenus disputavimus, robur accedat, juvabit occupare, quae nobis hic objectari queant. Est nimirum magna Orientalium ad res exaggerandas et prodigiorum in modum enarrandas propensio, ex caussis supra memoratis potissimum repetenda, quam quoniam ipsi Hebraei demonstraverint, ideo haud exiguam ad mythos efficacitatem hae caussae apud eos habuisse videantur. — „Enimvero, cum Orientalium dialectorum Hebraicae affinium origi„ nem ex primitivorum hominum sermone nos ipsi repetamus, hoc modo arma „ adversariis tribuere censeamur, quibus nos aggrediantur; cumque Orientales, „ quos spectamus, non imaginum solummodo figurarumque amantissimi sint, atque „ rebus quibuscumque vitam animamque tribuant, sed hyperbolice etiam res au„ gere soleant mirum in modum, ac fabularum portentorumque studio magnopere „ delectari: an, inquies fortasse, consentaneum sit diversum Hebraeis adscribere „ modum narrandi? Immo vero quis inficietur, hos cum in libris suis Apocry„ phis, tum in scriptis recentioribus se monstrosorum commentorum ostendisse „ amantissimos, ipsumque hunc amorem in nonnullorum N. T. scriptorum Apo„ cryphorum auctoribus conspicuum esse? Quidni ergo in quamplurimis non Ve„ teris modo, sed Novi etiam Testamenti, ab auctoribus origine Judaeis con„ scripti, historiis mythicam conformationem admittamus?" — At habemus tamen quibus nos tueamur, eaque nec pauca, nec levia.

1. Etenim de figurata imaginumque ac vitae quasi plenissima dictione Hebraica, deque ratione quam habeat, jam satis diximus. Dei hyperbolico autem illo, Hebraeis cum ceteris Orientalibus communi, loquendi genere ut peculiariter dicamus non opus est: est enim mythis quidem fabulisque perquam idoneum, per se vero non magis mythicum, quam universum genus loquendi figuratum ad quod pertinet. Atque exaggerari res ipsas Orientalium sermone, in vulgus fere notum est: sed ista exaggeratio non est hujusmodi, ut eas miraculi specie informet Deumve ad eas ex machina adducat omni sua potentia praesentissimum. Nihil V. C. inter Arabum historicos magis est exaggeratum quam Ispahanensis ille et Arabsiades,

Pars II. Cap. II. §. 5.

quos supra §. 3. Obs. 1. extra memoravimus; at nihil tamen ab eorum narrandi genere magis alienum est, quam quod mythicum hodie dici solet. Ac ne apud poëtas quidem Arabes, quantumvis grandisonos, inflatos et fictionum ac prosopopoeiarum amantes ejusmodi quid conspicitur, quod ad istam prodigii speciem Hebraicam, quam mythicam esse dictitant, quodammodo accedat. Est vero notabile, istum Arabibus objectatum turgorem in recentioris duntaxat aetatis scriptoribus conspici. Vetustioribus enim Arabum historicis, si ad dicendi genus spectes, nihil est simplicius ac magis naturale; immo nihil fere exilius, ut humi plerumque repere, raro autem se altius efferre videantur. Ipsa etiam Arabum poësis quo antiquior est, hoc minus est comta et exaggerationis plena. Verbo: apud Arabes Hebraeorum cognatos, qui soli hic conferri merentur: apud Arabum igitur gentem iste exaggerandi amor, quamquam fervido eorum ingenio congruens, haud plane tamen nativus est, sed maximam partem peregrinus; variisque causis externis, quas recensere nil attinet, et excitatus et auctus deinceps.

2. Uti universum Orientem fabularum et mirarum atque incredibilium narrationum feracissimum esse novimus, ita Arabes peculiariter, Hebraeorum affines, ad quos potissimum spectemus, horum amore in primis ferri, constat inter omnes (1). Verum enimvero istum fabularum amorem non in antiquioribus eorum scriptis, ac ne poëticis quidem, adeo apparere, supra monuimus P. I. Cap. 1. §. 3. Obs. 2. med., ac liquet ex ipsa eorum historia literaria, eumdem cum tempore increvisse et aliunde, ex India praesertim ac Persia, ubi fabulae valde in deliciis essent, sive iis advenisse, seu saltem plurimum augmenti atque alimenti accepisse. Certe Locmani fabulas antiquissimas, at simplices illas, nec prodigiorum portentorumque amorem spirantes, non in Arabico solo natas, sed illuc undecumque tandem quasi transplantatas fuisse, ipsa eorum indoles saepe haud obscure significat (2). Porro fabularum Bidpai, etsi Arabice editarum originem nemo non nisi ex India repetat (3). Nobilissimarum vero noctium Arabicarum fabulae et in Arabia compositae sunt et miris prodigiis repletae, sed seriores, quippe, uti ex nocte 161. liquet, anno Hegirae 653., sive aerae Christianae 1255. non anteriores. — Novi quidem, permultas passim in Corano reperiri rerum cum in S. C. relatarum, tum aliarum narrationes, putidissimis singularium atque incredibilium fabularum nu-

(1). Multa hanc in rem contulit *Millius* in priori parte Orationis *de fabulis Orientalium*, dissertationibus ejus selectis adjecta.

(2). Legi hic possunt Ephemerides literariae, dictae *Nouvel esprit des Journeaux*, T. I. p. 14 sqq.

(3). Vid. *H. A. Schult.* in praef. ad earum editionem Arabicam, p. 7.

magis deformatas. Sed, uti Coranus Novi etiam Testamenti libris multo est recentior, ita commenticia ista ac portentosa partim quidem arbitror adscribenda Mohammedis aevo, ad talia jam propensiori, et ad veteres historias ac traditiones exornandas magis magisque assuefacto, partim vero etiam ipsi Mohammedi, qui ut et aevi sui satisfaceret indoli, et magnae, qua polleret, imaginandi luxuriae obsequeretur et dicendi genus affectaret, quod animos in summam raperet admirationem, ideo cum alia orationis pigmenta adhiberet, tum maxime fucatas fabularum ineptias, quibus vulgus caperetur. At idem tamen, quantumvis divinam legationem Deique et Angelorum commercia praetenderet, atque iter etiam quoddam nocturnum in coelos confingeret (1), nullum nihilominus miraculum, quod palam conspiceretur, ne fingere quidem ausus est, immo vero miraculorum, quae poscerent haud pauci, facultatem sibi denegatam esse, ipse diserte ac saepe declaravit (2); quod propterea breviter opportuna occasione memorandum duxi, ut pateret, quam parum probabiliter agant, quotquot, non dicam Mosis ac veterum Prophetarum, sed Jesu etiam atque Apostolorum miracula non in extraordinaria ipsarum rerum conformatione, sed in solo prodigiorum amore, sive in mera aevi opinione, cui obsequendum ipsi judicarent, posita fuisse sumant; qui adeo hac in parte eos non verbis, sed re ipsa Mohammedi multum postponere videantur. Ceterum, quod fuerunt inter Mohammedanos, qui ut id quod prophetae, summa veneratione culto, deesse aegre ferrent, quodammodo supplerent et compensarent, miracula ipsi affingerent, hos non magis curamus, quam superstitiosos istos Corani commentatores, qui ejus fabulas auxerunt atque amplificarunt incredibilem in modum (3). Pars II. Cap. II. §. 3.

3. Quanta fuerit jamdudum sitque etiamnum Judaeorum propensio ad fabulas ac vera mythorum monstra, neminem in rebus Judaicis parumper versatum fugiat (4). Haud defuerunt utique, qui de miris nonnullis Sacri sui Codicis rebus sic exponerent, ut haud vulgarem sagacitatem ac prudentiam demonstrarent. Sed generatim ingenio Judaico nil esse mugacius, minime inficiamur. Itaque miraculis perspicue narratis non contenti ea haud raro auxerunt. Ut unico hic defungar exemplo: quod Moses Deuter. VIII. 4. et XXIX. 5. tropica quadam dictione, ad

(1). *Coran.* Cap. 17. et *Abulf. Vit. Moh.* Cap. 18. et 19.

(2). Vid. E. C. *Coran.* II. 119. XIII. 9. XVII. 60. XXVI. 3, 4. et conf. *Maraccii Prodrom. at refut. Al Cor.* P. II. Cap. 3.

(3). Vid. *Maracc. Prodr.* l. l. Cap. 4. et 6. coll. ejus *vita Mohamm.* Cap. 2. *Abulf. Annal. Moslem.* P. I. p. 104., sive *vita Mohamm.* a *Gagnierio* edita, p. 74 sqq. et *Abulpharag. Hist. Dynast.* p. 104.

(4). Vid. *Millii* Oratio l. l.

Pars II. Cap. II. §. 5. ad vetuſtiorem narrandi modum comparata, refert de veſtibus Hebraeorum per iter quadraginta annorum non detritis, pedibusque ob detritos calceos non tumefactis, ut ſignificet, nec veſtes iis neque calceos defuiſſe, et quod Nehemias IX. 21. non in aliam ſententiam accepiſſe videtur, cum ejus rei memoriam repetens verba propria tropicis ad horum quaſi intelligentiam praemitteret; in eo igitur ſtupendum videre ſibi viſi ſunt miraculum Judaei recentiores, quo veſtes et calcei non modo non obſoleſcerent, ſed una etiam cum hominibus ita creſcerent, uti lacertae cutis ſimul cum ipſa creſcit (1). Atque idem rerum mirarum amor, etſi non tantus omnino, quantus in ſcriptis Talmudicis ac Rabbinicis, apparet cum ex libris Vet. Test. Apocryphis, in quibus modo antiqua miracula augentur quodammodo et exornantur (2), modo nova quaedam referuntur, quae ipſis iis, ad quae isti libri pertineant, temporibus acciderint, tum ex notiſſima fabula de Graecae V. T. verſionis Alexandrinae confectione plane miraculoſa, tum denique ex ingenti incredibilium traditionum Judaicarum numero, quae in Corano reperiuntur et quae ex parte ſaltem miram ſuam faciem debent fabuloſo Judaeorum ingenio. Haec ergo omnia verisſima eſſe novimus: at nihil tamen inde videmus conſequi, quod nostrae causſae timeamus. Nam haud temere opinamur, in captivitate demum Babylonica natam eſſe ac post reditum in patriam magis magisque increviſſe istam Judaeorum ad portenta et fabulas propenſionem, quibus res ad ſuam religionem pertinentes cum eave conjunctas inficerent et vitiarent. Scilicet conſtat, eos vigente olim republica ſuae religionis ſtudio generatim minus oblectatos fuiſſe, immo vero plerumque animum ab eo alienum demonſtraſſe, ſed deſtructae reipublicae ſenſu graviſſimo ad ſpretae quondam religionis amorem ſtudiumque compelli ſuiſſe coeptos, tantaque ejus duci veneratione, ut paulatim in ſuperſtitionem prolaberentur. Porro, dum exules erant, atque inter gentes degebant et ſuperſtitioſas et portentorum fabularumque ſtudio deditas, dumque post inſtauratam patriam ejusmodi etiam gentibus ſubjecti manebant ac magnam cum iis colebant conſuetudinem, his igitur temporibus eo facilius istius vitii contagionem contraxerunt, quo ad alias gentes imitandas ſe ſemper ostenderent procliviores. Atque hinc etiam est, quod varia exterarum opinionum de Angelis bonis et malis commenta lubenter receperunt.

4. Haec cum ita ſint, non deceat profecto quidquid extraordinarii ac miraculoſi continetur in V. T. libris, ejus originem ex Orientalium ipſorumque etiam ſe-

(1). Ita celeberrimus *Rabbi Salomo Jarchius* ad Deuter. VIII. 4.

(2). Exempla hanc in rem congeſſit *Beckhauſius* in Comment. *de libris Apocr.*, p. 78-82. in Opuscul. Soc. Hag. ſupra laudatis, A. 1806.

ferioris aevi Judaeorum ad mira ac portentosa quaevis propensione repetere, quo melius mythorum ea loco habeantur. Et vero, cum, uti modo significavimus, plurimum absit ut Hebraei, dum prisca staret respublica, suam religionem magna prosequerentur veneratione, an ullo probabili modo vel conjectari queat, eos frequentissimum illum Dei interventum, sibi profecto plerumque parum honorificum, commentos, aut sibi a sacerdotibus fortasse prophetisque obtrudi facile passos fuisse? Ecquid etiam est causae, quod ipsorum poëtae, quantumvis in creando audaces et imaginum figurarumque varietate insignes, nec nova rerum miracula confinxisse, nec, quae ferrentur, exaggerasse ac magis portentosa specie repraesentasse sed contra in iis referendis multo ipsis historicis parciores fuisse cernuntur? Quid causae est, quod ne tenuissimam quidem miraculosi interventus divini umbram animadvertimus in Estherae libello, etsi in Persia fabularum jamdudum amantissima composito? Quid denique causae est, quod cum Judaei in patriam reversi essent, atque avitam religionem toto animo omnibusque viribus instaurare didicissent, ne acerrimi quidem hujus religionis vindices Esras et Nehemias in libris, quos ab iis compositos fuisse constat, ejusmodi commentis mythicis delectati fuere? Immo vero, quo tempore summa erat apud Judaeos, in patrium solum reduces, suae religionis existimatio, omniumque animi ejus ardore vehementius inflammabantur, sive aetate Antiochi Epiphanis, infensissimi sui et crudelissimi hostis, tantum aberat, ut Deum sibi eodem similive, quo priscis temporibus, modo praesentissimum comminiscerentur, ut contra in carmine, ad illam aetatem referendo et ex gentis universae mente composito, Psalm LXXIV. 9., quererentur, jam deësse sibi et miracula et prophetas, quibus olim Deus suum peculiarem interventum majoribus demonstrasset.

5. Quod ad N. T. scriptores attinet, gente Judaeos ad eamque omnino aetatem referendos, qua rerum mirabilium ac fabularum amor plerosque jamdudum incesserat, et exterarum opinionum figmenta in avidos eorum animos se insinuaverant: in his multa insunt ad receptam eo aevo et cogitandi et loquendi consuetudinem accommodata. Sed quidquid in iis inest miraculosi, hoc omne ne cum levissima quidem probabilitatis specie ad mythicam rationem exigi, ex narrandi modo, ac generali miraculorum amore repeti, et ad consuetum adeo naturae ordinem reduci nec potuit adhuc, nec fore ut umquam possit, mihi quidem persuasissimum est. — Immo vero, qui hoc omni opera tentaverant, horum haud pauci jam in eas tandem se compulsos viderunt angustias, ut faterentur, miraculorum, quae Jesus et Moses etiam fecerit, relationes ita esse comparatas, ut non modo harum narratores miracula accidisse bona fide ac certo existimaverint, sed ipsae quoque res pleraeque, in miraculi formam relatae, a nobis neque intelligi possint, neque explicari: de cetero ista ita dicta miracula utilissima fuisse subsidia, quae cum Je-

Part. II. Cap. II. §. 5.

fus, tum Moſes prudenter adhibuerint, ut Divinos ſe legatos eſſe ſui aevi hominibus, miraculorum amantibus, perſuaderent, eaque adeo in ſapientiſſimo ſupremae Providentiae moderamine optimis conſiliis inſerviiſſe, et praeſtantiſſimarum religionum commoda adjuviſſe magnopere, ſed nobis nullius amplius uſus eſſe poſſe, quos ea potius in medio relinquere oporteat, et de illarum religionum praeſtantia ex ipſa earum indole judicare atque aeſtimare (1). Quae quidem hominum, a miraculorum fide alienorum confeſſio, per veritatis quaſi vim extorta, mihi in ea, in qua tractanda verſor, materia eo utique valere videtur, ut non opus eſſe arbitrer ne Veteris quidem, nedum Novi Test. miracula cum ineptiſſimis fabularum Rabbinicarum figmentis comparare, ut, quantum haec inter atque illa ſit discriminis, appareat, aut miraculorum, in Veteris et in Novi Test. libris Apocryphis memoratorum commenta ſingillatim exhibere et ponderare ad ſuam Sacris Scriptoribus hiſtoricis vindicandam auctoritatem. Et vero ne ipſi quidem Judaei libros V. T. Apocryphos in Divinorum librorum ſocietatem admiſerunt. Quae autem in Apocryphis N. T. libris continentur mirae et commenticiae relationes, a prudentioribus omnium temporum viris merito repudiatae, hae profecto nihil probant aliud, niſi quod fuerint, qui maleſano de nova Religione bene merendi ſtudio inducti piis ſcilicet fraudibus uterentur, quibus quo major eſſet miraculorum numerus, eo quoque major apud credulam plebem divinae doctrinae perſuaſio exſtiteret.

CA-

(1). Vid. *Novi annales Theologici* in Germania et Germanico ſermone editi, A. 1800. p. 401 ſqq. 406 ſqq. 411 ſqq. 521 ſqq., praeſertim autem p. 525 et 526.

Pars II. Cap. III. §. 1.

CAPUT TERTIUM.

De mythicae Librorum Sacrorum interpretationis praesidio, quod quaeritur in eorum dignitate per hanc ipsam interpretationem tuenda.

§. 1.

Accedimus tandem ad postremum mythicae interpretationis subsidium, quod ipsa suppeditet S. C. dignitas; quae ne quid ab ea detrimenti caperet, vos quidem timuisse videmini, Viri prudentissimi, cum de ea sedulo inquiri cupertis: Sed ipsi contra ejus patroni principes ita eandem commendant, ut, nisi recipiatur, S. C. dignitatem in summum discrimen adduci dictitent. — Scilicet: „ jam „ dudum quamplurimas Scriptorum Sacrorum relationes Religionis nostrae adver„ sariis visas esse incredibiles, absurdas, ridiculas, neque a sanae mentis homine „ admittendas; istas vero Dei Angelorumque apparitiones, frequentissimum istum „ Numinis interventum, permulta ista ac plane singularia prodigia, et quodcum„ que tandem narretur quotidianae experientiae et constitutis naturae legibus ad„ versum, hoc omne cum ab eo inde tempore, quo non coeca fide duci, sed „ judicio ac ratione regi inceperint homines, permultum habuisse offensionis, „ tum nostro maxime habere aevo, longe majori, quam quod superioribus con„ tigerit, et doctrinae copia et philosophiae luce ornato: quae igitur omnia cum „ per historicam interpretationem eo exponi nequeant modo, in quo penitus acqui„ escatur, peropportune suppetere mythicam interpretationem, quae cum haec „ ad aliarum gentium mythos exigat, ac partim adeo ex traditionum figmentis, „ partim ex ipso loquendi narrandique modo repetat, ipsis S. C. rebus extraor„ dinariam suam ac portentosam speciem eximere, easque naturali suo habitu „ exhibere haud infeliciter tentet, atque ita ad tuendum Scriptorum Sacrorum „ honorem fructuosissima sit (1).“ — Utrum vero tam insignia omnino emolumenta attulerit ea interpretatio, an secus, Vosmet ipsi quin ex iis, quae hactenus disputavimus jam confeceritis, vix dubitamus. Quapropter fere supervacaneum censeatur ut de eo seorsim ac singulari Capite agamus. Verumtamen nec Ves-

(1). Vid. *Meyeri Hermeneut V. T.* II. p. 552-556., *Cableri Ephemerid. Theol.* supra allcg. II. 1. p. 45-53., et *Henkii thesaurus* supra etiam allcg. III. 1, 76 sqq.

Pars II. C. III. §. 1, 2. Vestro consilio, neque ipsius rei gravitati, quantum per nostras vires liceret, satisfecisse nobis videremur, nisi et illud quoque perpenderemus. Leges autem, quas tradi voluistis, ut mythica, si admitteretur, interpretatio justis suis et ad S. C. dignitatem exactis finibus circumscriberetur, ad nos quidem, uti ipsi facile animadvertistis, minime pertinent. At idoneo tamen loco sub universae commentationis finem, nonnullas indicabimus leges, quibus observatis dignitati Librorum Sacrorum multo melius quam per mythicam interpretationem consuli judicemus.

§. 2.

Fatemur ingenue, interpretationem mythicam, si procul ac leviter dumtaxat spectetur, multum habere quod blandiatur. Quando nimirum in Sacra historia contemplanda versamur, tunc, si quod relatum legimus, ex antiquiori interpretandi ratione accipimus, in longe alium atque nostrum orbem nos quasi transiatos videmus, in quo saepe haereamus, offendamus, ac nihil prorsus cernamus. Quod si ergo lux quaedam accendi queat, quae discussis illis tenebris omnia in eo collocet ordine, cui ipsi adsueti simus, hanc quidni laeti gratique sequemur? Sed vero, an re ipsa praestet interpretatio mythica, quod promittit, spondet, ac fere jubet exspectare? Immo propius spectata et attentius considerata lumen nobis praefert tenue admodum et haud raro incertum, fallax falsumque.

1. Etenim, si per mythicam interpretationem difficultates nonnullae tollantur, eaeque et multae et graves, per eamdem aliae oriuntur, e quibus nos haud commode expediamus. Si, ut hoc utar, creationis Mosaicae descriptionem pro mythico habeamus ingenii humani figmento, hoc sumto nihil utique in ea exponenda est quod nos moretur, et quidquid adeo continet quod obscurum sit atque a nostro cogitandi modo remotum, neque cum recentioris philosophiae decretis facile componendum, hoc auctori non nisi imperfectum quoddam nascentis philosophiae periculum facienti imputamus, neque adeo est quod de divinae, a qua eam repetendam voluerit antiquior credulitas, institutionis sapientia vindicanda solliciti simus. At, unde tamen est, quod apud gentem Graeca, Romana aliisve gentibus priscis nobilioribus culturae praestantia ita inferiorem, ut nulla fere ex parte comparabilis sit, ejusmodi informata reperiatur rerum creatarum imago, quae in ista sua et obscuritate et simplicitate prae omnium ipsarumque etiam cultissimarum gentium Cosmogoniis ita excellit, ut, quo magis perpendas, eo tibi difficilius sit probabilem aliquam hujus discriminis caussam naturalem excogitare? Si porro quidquid de familiari Divini Numinis cum primis hominibus et Hebraeorum patriarchis commercio narratur in libro Geneseos, meri sunt mythi, quibus

pia

pia quaedam Deum in omnibus inducendi consuetudo proximam dederit originem, tum sine dubio plane evanescit quidquid in ea difficulter a nobis concipiatur. Verum enimvero tum haec nova exsistit difficultas, eaque profecto haud exigua, ut explicetur, unde igitur sit, quod pura unius Dei doctrina prisco illo aevo advenerit hominibus, qualem ne praestantissima quidem posteriorum temporum et cultiorum gentium ingenia tenuisse videantur. Sed quid plura? Nam et haec, et quae alia subinde supra attuli exempla, satis ostendant, interpretationem mythicam, dum nodos non solvit sed secat, re ipsa alios proferre nodos eosque contortos, in quibus solvendis ne peritissimi quidem suas vires feliciter experiantur. Et vero ne mythicae quidem interpretationis, hoc est, assumtae traditionis et consuetudinis loquendi, auxilio omnium et Mosi et Jesu adscriptorum miraculorum difficultatem sic tolli, ut qui hac offendantur, habeant, in quo plane acquiescant, sub finem superioris Cap. animadvertimus. Pars II. Cap. III. §. 2.

2. Mythica historiarum Sacrarum interpretatio, quantumvis saepe ingeniosa, saepe tamen perquam coacta est atque ita impedita, ut in se parum commendabilis sit. Quod ne temere dictum videatur, age, unico exemplo probabile faciamus. — Quae sanctissimae arcae a Philistaeis captae occasione accidisse narrantur 1 Sam. V. et VI., haec profecto sunt ejusmodi, ut, cum maxime luculenta secum gerant verae indicia historiae, facta quidem complectantur ex vero narrata, atque adeo, ipso *Bauero* (1) fatente, mythica ratio in eo tantummodo quaerenda sit, quod, quae casu acciderint, haec extraordinariae Dei providentiae adscripta sint. At tot ac tanta hic acciderunt plane singularia, ut nullo umquam modo a mero casu fortuito repeti queant, sed Divino Numini haec attribuere oporteat, de sua dignitate inter Philistaeos, suae Religionis atque Israëliticae, cujus peculiarem curam suscepisset, gentis adversarios, tuenda ac vindicanda sapientissime provido. Nec juvat *Meyeri*, de hac historia in eamdem sententiam exponentis (2) decretum, praestare id, quod explicari nequeat, quibuscumque tandem caussis, quae nobis ignotae sint, aut traditionis ornamento, quam vero miraculo adscribere: nam ecquis in eo non videat hominis, difficultati se subducere conantis, coactum effugium? — Sed operae pretium est memorabilem historiam exhibere. Cum igitur Philistaeorum sacerdotes arcam, praesentis Jehovae symbolum, mox in Deastri sui fano collocassent, eique tamquam spolium quoddam hostibus ablatum consecrassent, postridie simulacrum Dagonis videbant humi prolapsum ante arcam: quod cum casu factum esse putarent, mox illud suo in lo-

(1). *Mythol. Hebr.* II. p. 97.
(2). *Hermeneut. V. T.* II. p. 269 sq.

Pars II. Cap. III. §. 2.

loco repoſuerunt. Verum ſequenti die idem non humi modo prolapſum conſpiciebant, ſed caput quoque ejus detruncatum ac manus abſciſas. Hoccine ergo etiam caſu acciderit? At plura acciderunt. Eodem enim tempore, quo arca in fano Dagonis depoſita fuerat, cives urbis, in quo fanum erat, graviſſimo quodam morbo affligebantur: quem cum irato Israëlitarum Numini adſcriberent auctori, in aliam urbem mittebatur arca, et deinde in aliam, ſed eodem morbo comite perpetuo. Itaque in campos tandem mittebatur et ſub dio ponebatur: verum alia tunc exſiſtebat calamitas, ac mures terram devaſtarunt per ſeptem menſes continuos, (Cap. VI. vs. 1. coll. vs. 5). Caſui haec omnia adſcribi poſſe ſperabant ipſi Philiſtaeorum ſacerdotes, ſuadebantque adeo, ut arcam, cui ſuperſtitioſum vulgus ſua mala imputaret, cum muneribus remitterent, ſed eo remitterent modo, ex quo palem conſtaret, utrum caſu, an vero per Numinis Israëlitici potentiam haec mala exſtitisſent: quam hiſtoriae partem, omnium difficillime ex mero caſu exponendam, cum a Bauero, tum a Meyero prorſus ſilentio praetermiſſam eſſe, notabile videtur. Suaſerunt ergo Philiſtaeorum ſacerdotes, ut novum plauſtrum conficerent, cui arca cum donariis imponeretur, eique alligarent duas juvencas, quae et jugo nondum aſſuetae, atque adeo ad plauſtrum communi et aequabili niſu trahendum minime idoneae eſſent, et pullos haberent lactentes, ut naturae vi impulſuque ad hos abactos compellerentur, aut ſaltem in quo eſſent loco ſubſiſterent. Quod ſi autem nemine duce, ſed ſua ſponte plauſtrum illud arca donariisque onuſtum abducerent ad regionem Israëlitarum, tum merito ajebant isti ſacerdotes non dubitandum eſſe, quin magna ea mala immiſſa eſſent per Israëlitici Numinis potentiam: ſin ſecus eveniret, quod callidi homines ſperaſſe videntur, ſoli caſui ea ſine dubio adſcribenda eſſe. Jam vero, praeter ſpem atque exſpectationem horum ipſorum hominum, qui hujus tentamenti auctores fuerant et arcam ſequebantur ſolliciti, juvencae eam recta via ducebant ad regionem Israëlitarum. — Profecto, ſi in hoc et in ceteris omnibus nil niſi caſus fuerit, hic tam est ſingularis dicendus, ut re ipſa minus concipiatur, quam extraordinarius Dei interventus vere miraculoſus.

Ceterum, ut id hoc idoneo loco animadvertam, quam plane etiam ſingularia, quam omni omnino veri ſimilitudini adverſa ſumenda ſint ac fingenda, ut unum omnium et maximum et evidentiſſimum Jeſu miraculum, quo vitam mortuo Lazaro reſtituiſſe legitur in Joannis Euangelio Cap. XI., qualicumque tandem modo ad eventum mere naturalem revocetur, nuper oſtenſum est in hujus hiſtoriae vindiciis (1).

3. De-

(1). In Opuscul. Soc. Hagan. A. 1808.

3. Denique mythica Sacrarum historiarum interpretatio valde arbitraria est ac saepe pro eximia, quam promittat, luce tenebras infert densissimas. Quam arbitrarium est V. C., quam conjecturale, quod in Prolegomenis Cap. 2. §. 2. Obs. 1. attulimus de Abrahamo, qui naturali modo ad Isaaci filii Deo immolandi cogitationem inductus sit et naturali etiam modo ab eadem abductus? Hoc enim ex ingenio fingitur, ac nihil est sive in Abrahami indole, seu in ipsa relatione, ex quo istiusmodi figmentum commendetur: immo vero sumitur duntaxat, jam ea, qua res acciderit, aetate victimas humanas, quarum usus illam cogitationem in Abrahami animo excitasset, usitatas fuisse; quod permultum abest ut demonstrari queat: ne dicam, occasione praecepti, quod Abrahamus de carissimo filio immolando divinitus accepisse legitur, obtigisse ipsi memorabile innumerae posteritatis promissum Genes. XXII. 16-18., cujus implementum hodieque luculenter cernatur (1). — Merus etiam est et perparum in se probabilis, ingenii lusus, quo ponitur (2), eumdem Abrahamum ad nocturnam coeli stelliferi contemplationem aliquando spem sibi fecisse innumerabilis, stellarum instar, sobolis, atque hanc ipsi divinitus quasi injectam visam fuisse, cumque die quodam mactatarum victimarum partes divisisset, tum eum sive imaginationis vi abreptum sibi ignem repraesentasse fumumque intercedentem adjuncta voce divina (3), sive naturalem aliquam ignis subterranei eruptionem (4), aut fulmen (5) conspexisse, quod medium transiret. Pars II. Cap. III. §. 2.

In genere autem quaecumque passim in hac nostra scriptione attulimus exempla, et quae multo plura afferre potuissemus, certo demonstrant, nihil interpretatione mythica magis esse arbitrarium, nihil magis lubricum, nihil quod ad quaelibet fingenda viam aperiat magis, nihilque quod Scriptorum Sacrorum lectorem, quantumvis ejus illecebris captum, magis incertum relinquat, quid vere acciderit, quid mythice sit informatum, ut, quam lucem quaesierit, nullam videat nisi admodum dubiam ac fallacem. Itaque habuit omnino, quod in hac, Pentateuchi certe, interpretatione merito carperet *Wettius* (6). Sed quod ex improbabili ejus specie confici jubet, omnia in libris Mosaicis poëtice conficta esse, hoc ipse

(1). Vid. *Jahnius Introd. ad V. T.* II. 1. p. 129 sq.

(2). *Bauerus* in *Histor. Israël.* Germ. sermone conscripta I. p. 123 sq.

(3). *Bauerus*, ibid.

(4). *Rupertius* in *Henkii thesauro* plus semel allegato, VI. 1. p. 192.

(5). *Eichhornius* in *Biblioth. literat. Bibl.* IV. 6. p. 1073.

(6). *Kritik der Israël. Gesch.* I. p. 62, 70, 81, 82, 101, 160, 194, 206 sqq. Conf. quoque *Gableri Ephemer. Theol.* II. 2, 333 sq.

Pars II. C. III. §. 2, 3. ipſum quam ex arbitrio, immo quam praeter ullam rationem fiat, ſupra vidimus P. 1. Cap. 2. §. 5. Obſ. 3. Et vero magna Israëliticae hiſtoriae pars hoc modo non tantum tenebris obſcuratur denſiſſimis, ſed re etiam ipſa tollitur penitus, ut quid acciderit, prorſus neſciamus. Atque hoc praeſertim de *Kannii*, vetuſtiſſimam Hebraeorum hiſtoriam in ſymbolicam quamdam philoſophiae Indicae partem transformantis figmento valere volumus, de quo quid judicemus, ſupra expoſuimus loco allegato Obſ. 1. — Sed ſi vel admittatur hominis, mythicam univerſae hiſtoriae Israëliticae tractationem, a *Bauero* vulgatam, ne ſatis quidem liberalem eſſe perhibentis opinio, quam indicavimus Cap. 1. §. 1. med., mythis ea incertisque ac fabuloſis traditionibus ſic deformata cenſenda est atque obſcurata, ut nullo umquam pacto veritati restitui queat et in luce collocari. — Tantum igitur, quae initio ſe jactabat utiliſſimam, tantum ſcilicet lumen attulit haec interpretatio, ut tandem in Sacra hiſtoria, praeſertim veteri, plane coecutiamus!

§. 3.

„ At, ajunt, obſoleta tamen iſta hiſtorica interpretatio tantum habet difficulta-
„ tis, ut, ſi haec hodieque pergat admitti, non eo vindicari poſſit S. S. digni-
„ tas modo, quo ejus adverſariis et cavillatoribus, immo ne luminis, quidem,
„ quo cultiſſimum nostrum aevum glorietur, praeſtantiae fiat ſatis.“ Recte admonent ſcilicet! Enimvero, ſi omni ſua amplitudine recipiatur ea interpretatio mythica, quam hodie permulti commendant, variis modis inducunt, ac propemodum obtrudunt, actum ſit, nostro judicio, de Scriptorum Sacrorum auctoritate hiſtorica, deque divina eorum origine, immo nihil vere divini in iis amplius remaneat. Quod judicium ne forte nimis ſeverum acerbumque videatur, operae praetium erit in eo probando aliquantisper morari.

1. Et auctoritas quidem hiſtorica Scriptorum Sacrorum in quale quantumque adducatur diſcrimen a mythicae eorum interpretationis fautoribus quamplurimis, liquet vel ex ſolo ejus praeſidio in traditionibus, ex quibus diu demum post eventum longe pleraque conflata ſint, poſito: ut, ſi illos audias, vix ac ne vix quidem de graviſſimis rebus tam in Vet., quam in Nov. Test. memoratis et cum Religione conjunctiſſimis aliquid nobis certi ſuppetere videatur. Itaque, quem vos, Viri ſpectatiſſimi, periculi, quod ab interpretatione mythica auctoritati ac dignitati Sacrorum Librorum immineret, metum haud obſcure in quaestione propoſita ſignificastis, hic profecto vanus atque inanis non fuit: neque ego video, quae umquam regulae aut leges excogitentur, quarum obſervatione illud ipſum caveatur periculum. Enimvero qui nihil intentatum relinquunt, quo minus, quae-

quaecumque posſint, ab incertis, vagis ac fabulosis traditionibus repetant in C. S.; qui quidquid tandem conquiri queat ad fidem, Sacris hiſtoricis debitam, labefactandam, hoc omne impenſo ſtudio congerunt, comportant, accumulant; qui quae a Divinae Revelationis hostibus centies ad ejus auctoritatem infringendam prolata fuerunt, ab ejusque defenſoribus centies ac probabiliter refutata, haec re ipſa non repetunt modo, verum adaugent, amplificant, ac novarum conjecturarum ſuſpicionumque artificiis onerant: hosne igitur Sacrarum Literarum honori ac dignitati egregie conſulere dicemus? Pars II. Cap. III. §. 3.

Sed de eo, quod indicavi, mythicae interpretationis periculo ipſum audire juvat *Wettium*, illud non diſſimulantem, ſed ingenue declarantem, etſi qualicumque modo ſenſum, quem id in aliorum excitet animis, mitigare, aut certe ejus invidiam a ſe depellere conatur (1). Hic ergo, postquam universum Pentateuchum in mythicum epos transformavit, in quo nil fere inſit niſi poëtice conſictum: „ Quae jam videatur, inquit, Pentateuchi facies ad nostrae, quacum aliqua ei intercedat neceſſitudo, Religionis rationem? Siccine enim quaedam S. C. pars pro mera mythorum, piarum narratiuncularum ac fabellarum collectione habeatur? Hoc vero nonne fidei noceat, ipſiusque C. S. existimationi ac ſanctitati?" At respondet: initiatorum atque intelligentium hominum, ſive ſacerdotum judicio nihil idcirco detrahi de dignitate uſuque C. S., cum ſciant, fidem ipſam veram eſſe, etiamſi id, circa quod fides verſetur, verum non ſit; atque Abrahamum V. C. Sacra facientem, ſive hiſtorica ſit, ſeu mythica perſona, dignum tamen eſſe, quem cum religionis ſenſu contemplemur, et quod ab eo peractum legatur, hoc quamvis conſictum ſit, attentam tamen pii lectoris mentem merito occupare. Sed longe aliam eſſe rem ait, ubi de hominum vulgo agatur, qui fidem ab eo, circa quod fides ipſa verſetur, non diſcernant, et quibus hiſtoria aliqua vel ad literam vera videatur, vel contemnenda fabella. Quod ſi enim noverint, non re ipſa Abrahamum Sacra feciſſe, eorum animos ista relatione non afficiamplius. An igitur, rogat, Sacrorum miniſtri aliud in vulgus eloquantur atque quod mente perſuaſum habeant ipſi? Num antiquis Sacerdotum artibus denuo utantur? De hac graviſſima quaestione eo magis cupere ſe ait, ut a prudentioribus decidatur, quo magis ad ipſos ea pertineat N. T. mythos, nobis utique haud omnino inutiles. Verum, etiamſi religio non vetaret vulgus in errore relinquere, qui nil niſi boni afferat, timere ſe tamen, ne arcanum prodatur aut jam proditum ſit: nimis enim palam ea de re inquiſitum eſſe, ac fore multos addo, qui id luminis quo recte uti nequeant, in ſuum damnum adhibeant. Fe-

li-

(1) In libro allegato, ſub finem.

Pars II. Cap. III. §. 3.

lices vero fuisse nostros proavos, qui artium criticarum imperiti bona fide omnia ea crederent ipsi, quae alios docerent! Quodcumque enim detrimenti hinc caperet Historia, Religionem tamen inde emolumentum cepisse." At, „ equidem, inquit, criticae ego initium non feci; sed, cum semel periculosae aleae plenum opus instituerit, oportet ut hoc persequatur; quandoquidem quod suo sit in genere consummatum, hoc solum dignum sit quod probetur.

2. Quo melius sibi constent, quotquot mythicam interpretationem, latissimo sensu acceptam, ad omnium sine discrimine temporum Libros Sacros admoven-dam judicant, hos non pro libris divinis, sed mere humanis et habere debent, et habere fe tam parum obscure tamque saepe significant, ut de eo nemini justa esse queat causa dubitandi. Et vero minime honorificos ac perquam exiles de eorum compositione sensus patefaciunt, qui tantam sibi in iis tractandis licentiam sumunt, quanta in optimae certe notae libris antiquis quibuscumque vix tolerabilis videatur.

Equidem, quamquam valde alienus sum a nimia ac superstitiosa fere veneratione, qua Scriptores Sacri Divinarum, ut ita dicam, machinarum instar habeantur, peculiare tamen quoddam Divini Numinis auxilium iis non plane defuisse, haud leves mihi rationes semper persuaserunt: sed modum ejus me non penitus intelligere, qui ne ordinariam quidem Divini reginiinis vim percipiam, nec diffiteor, nec magnopere miror. Itaque, quid in Librorum Sacrorum perscriptione Deo debeatur, quid Homini, definire suisque quasi distinctis finibus describere mihi non sumens, hoc unum in genere affirmare haud vereor, Sacros Auctores sub peculiari ipsius Numinis moderamine ita de Religione, rebusque cum ea conjunctis scripsisse, ut multo iis majorem, quam maximae etiam auctoritatis scriptoribus humanis, sive summam fidem merito habeamus. Quod si enim ponimus, quod ponere decet omnino, doctrinam in his Libris comprehensam Divinae esse originis, hominesque adeo, qui eam ore traderent, peculiari Dei ope in tradenda ea adjutos fuisse, nome perquam probabiliter, cumque ejusdem Dei et benignitate et sapientia convenienter ponamus, eum, quoad opus esset, iis adfuisse etiam, qui fontium auctores forent, e quibus purior illa Religionis doctrina ab omnium insequentium aetatum hominibus hauriretur? Quocirca, cum Jesus ejusque ministri sanctissimi Libros V. T. perpetuo laudare soleant ut Divinos, cumque Paulus Apostolus 2 Tim. III. 16., sin minus universam veterem Scripturam Sacram, at saltem quatenus haec ad Religionem pertinet, θεόπνευστον dicat, sive *divinitus inspiratam*, vel eo ipso inducor, ut eo majorem Divinae opis praestantiam libris N. T. perscribendis adjudicem, quo hi praestantius habent argumentum, et Religio, in iis tradita, durabilior esset futura. „ At, inquies fortasse, ipsa haec

„ eo-

„ θεοπνευστος, sive *divinae*, quam vocant, *inspirationis* notio mythica est dum- Pars II.
„ taxat (1): et, uti apud exteras gentes a Numine praesentissimo Vates agitari Cap. III. §. 9.
„ fingebantur, ita Christi et Apostolorum aetate a Judaeis Sacrorum Librorum
„ auctores eo habebantur generalius pro viris Divinis, quo generalius iis ab an-
„ tiquissimis inde temporibus in more fuerat, ut quidquid excellens esset ac ve-
„ nerabile, Deo id adscriberent auctori." — Verum enimvero, ut alia mittam, ipse Jesus semper et ubicumque esset, ad V. T. dicta tamquam ad effata vere Divina sic provocabat, ut se non ad loquendi usum accommodare, sed ex animi sententia loqui ostenderet: et vero, quando novae suae Religionis doctoribus Divinum auxilium promittebat, quod in omnibus, quae sive acturi, sive passuri, seu dicturi essent pro hujus Religionis causa, iis peculiari modi adfuturum esset, et cujus adeo vi atque efficacitate quaecumque decernerent ac promulgarent de Religione, haec ab ipso Deo rata et sancita existimari deberent, Matth. X. 19, 20. Luc. XXI. 12-15. Joan. XIV. 16, 17, 26. XVI. 13.; tum profecto non mythice locutus esse censeri potest, atque adeo jure merito judicamus, auctoritatem vere Divinam iis N. T. libris attribui oportere, quos constet ab Apostolis esse conscriptos. Qui autem soli Apostolorum numero non habendi sint, Marcus et Lucas, ad hos quidem proxime non pertinere videantur certae illae et clarae Jesu promissiones Apostolis factae: sed has non ad solos pertinere Apostolos, liquet ex Act. I. 8. Coll. II. 17, 18., ubi quae Jesus promisisset Spiritus Divini dona extraordinaria, multo patuisse latius, ipse Petrus Apostolus haud obscure significat. Atque in prima Ecclesia Christiana latius ea omnino patuisse, colligimus tum ex disertis Apostoli Pauli locis, ubi ejusmodi dona, quae alii accepissent complures, commemorat, veluti ex 1 Corinth. XII. 28 sqq., tum ex eorumdem communicatione cum aliis, quae per manuum impositionem ab Apostolis fieret, Act. VIII. 17-19. XIX. 6., et cum iis praesertim qui novae Religionis res ac Doctrinas tradituri essent, ipsorumque Apostolorum socii et administri futuri, 1 Tim. IV. 14. 2 Tim. I. 6. Marcum autem cum Petro conjunctissime vixisse, uti veteres tradiderunt, ejusque etiam ope suum Euangelium confecisse, vel ex insitis quibusdam Libri indiciis fere appareat; Lucam vero Pauli fuisse comitem assiduum et adjutorem, nemo ignoret: ut adeo haud temere Christiana antiquitas utriusque Euangelistae libros pro vere Divinis recepisse videatur (2). — Ceterum ex ipsis illis perspicuis Jesu promissionibus, ad primos suae Religionis doc-

(1). Ita V. C. *Lauerus Hebr. Mythol.* I. p. 23. Ceterum de Librorum V. T. inspiratione dignissimus est qui consulatur *Jahnius, Introd. ad V. T.* I. §. 19-25.

(2). Conferri hic potest *Euseb. Hist. Eccl.* II. 15. III. 4. 24. 39.

Pars II. Cap. III. §. 3.

doctores ſpectantibus, non improbabiliter conficiatur, haud alio ſenſu Divinam ab eo attributam eſſe auctoritatem Veteris Religionis Scriptoribus, niſi quo eam Novae doctoribus, atque adeo ſcriptoribus ipſis, per ſperandam opem Divinam certo competere declararet.

Verum hoc argumentum ut uberius exequamur, non licet: quamquam breviter idcirco attingendum videbatur, quia cum mythicae interpretationis ſtudio ita est conjunctum, ut, qui hoc delectentur, longe plerique Divinam Librorum Sacrorum auctoritatem, ſibi ſcilicet vehementer adverſam, non niſi in opinione poſitam eſſe dictitent.

3. Non miramur, hos, quibuscum disputamus, Divinam Librorum Sacrorum auctoritatem rejicere, cum Divinam ipſius Religionis in iis traditae originem ita circumſcribant, ut, dum nomen retineant, rem ipſam plane tollere videantur. Scilicet mythicae interpretationis, qualis hodie commendatur, nullum aliud est conſilium niſi ut, quidquid peculiaris interventus Divini ac miraculi ſpecie convestitum ſit in C. S., hoc omne, quoad ejus fieri poſſit, magis naturali et ad conſuetam noſtram ipſorum experientiam accommodato habitu informetur, atque ita ipſa Religio non ex vere divinis, quales ei aſſinxerit mythica ratio, ſed ex mere humanis fontibus deducatur. Quod ejus conſilium cum partim in univerſa commentatione ſatis patefecisſe videamur, juvabit nonnulla huc ſpectantia uno jam conſpectu exhibere, ne forte nimis eam criminari cenſeamur.

Itaque, quod ad veterem attinet religionem Moſaicam, hujus conditorem ajunt, cum primum Deus ei apparuiſſe legitur, ut Divini Legati munus ipſi deferret Exod. III. 2 ſqq. (1), nil aliud niſi fulmen conſpexiſſe, quo rubus ardere videretur, eoque conſpecto jam obortum ſibi liberandae ſuae gentis ab Aegyptiis oppreſſae amorem quaſi divinitus confirmatum ſenſiſſe; ejus prodigia in Aegypto edita plane mythicam habere faciem et partim adeo meras fuiſſe artes praeſtigiatoris, partim ſive conſuetas, ſeu minus conſuetas, certe naturales, ſed fortuitas Aegypti calamitates, ac ne in legislatione quidem Sinaitica de vere divino interventu cogitari oportere, cum, ubicumque Deus apparuiſſe narretur, ibi certiſſimum ſit mythi indicium (2): in genere autem quaecumque extraordinaria referantur in V. T. libris, haec ita non esſe, ſed dumtaxat videri (3). De Prophetis vero ſic praecipiunt (4): hos eodem modo ſua oracula Dei numini accepta re-

(1). *Bauerus*, *Hebr. Mythol.* I. p. 270 ſqq.
(2). Idem ſupra allegatus ad Cap. 1. §. 1. et ad P. I. Cap. 3. §. 5. Obſ. 1. initio.
(3). *Meyerus*, *Hermen. V. T.* I. p. 48, 49. II. p. 252-282.
(4). *Bauerus Hermen. S.* p. 401 ſqq. *Meyerus* ibid. II. p. 393 ſqq.

retulisse, quo aliarum quarumcumque gentium vates, atque, uti omnia cogitata, subito menti oblata, omnesque bonos animi motus, omnia prudentiae consilia et quidquid ingeniose ac sapienter animo informaretur, divinitus sibi suggeri, prisci ex philosophemate opinarentur, ita quoque eos futurorum praevisionem ac divinationem a Numine inspiratam credidisse; fuisse vero Hebraeorum prophetas singularis perspicacitatis viros, quorum praedictiones modo nil essent nisi judicia in se valde probabilia de rebus, quae sive inter Israëlitas, seu inter horum hostes aliquando eventurae essent, modo generales quaedam futurorum temporum partim fortunatorum, partim infelicium descriptiones, quae pro argumenti diversitate sive spem, seu terrorem injicerent animis; visiones autem propheticas mera fuisse imaginationis phantasmata (1); praedictionum ergo, si definitae sint, comprobationem eventu demonstratam in temporibus duntaxat ipsi auctorum aevo proximis quaeri oportere, cum remotiora propriae mentis vi praevidere non potuerint, et quaecumque adeo ad tempora spectent magis longinqua, nec vagis ac generalioribus rerum descriptionibus comprehendantur, has propter ipsam hanc caussam suspectas videri debere, iisque, quorum nomen praeferant, suppositas; esse denique oracula, quibus illustrem aliquem virum, quem *Messiam* dicere soleamus, olim in gente Israëlitica exortuum, et justissime ac felicissime longe lateque regnaturum esse praesignificetur, sed nullum hujus argumenti esse reipublicae ad interitum vergentis temporibus anterius, ac fuisse adeo pia nonnullorum virorum patriae suae amantissimorum vota, quibus et sibi et aliis meliores dies augurarentur, eorumque felicitatem ad aureorum ac ferriciorum seculorum imagines laetissimas adumbrarent; ceterum horum vaticiniorum aliquam solummodo partem eventu comprobatam esse per Jesum illum Nazarenum, qui quo tempore generalis esset apud Judaeos illorum promissorum tandem implendorum exspectatio, semet ipse pro viro, cujus nascituri spem fecissent antiqui prophetae, haberi voluerit, quo melius se ad communes opiniones accommodaret, et, quod haberet, propositum magis feliciter exsequeretur (2). — Quae omnia cum ita esse ponant, vix cujusdam amplius usus esse volunt V. T. libros ad Religionis Christianae doctrinam, cujus praecipuus, immo unicus cognoscendae fons N. T. libris quaerendus sit (3).

Pars II. Cap. III. §. 5

Nec melius profecto agitur cum hac nova, quam nos profitemur, Religione, cu-

(1). *Meyerus*, ibid. p. 596-610.

(2). Ita de Messia et oraculis ad eum spectantibus praecipiunt inter alios *Meyerus*, l. alleg. p. 468-502., *Baurus*, l. alleg. p. 412-418; coll. *Mythol. Hebr.* II. p. 310 sqq. et *Theol. V. T.* II. p. 363-430. Vid. etiam *Henkii Thesaur.* supra allegatus I. 1, p. 61 sqq.

(3). *Meyerus* I. p. 48.

Part. II. Cap. III. §. 3.

cujus, enervata plane veteri illa, jam haud leviter infringi Divinam originem, vel me non monente facile patet. Nam, ut praecipua tantum rerum huc pertinentium capita attingam; Jesu nativitatem mythice descriptam esse perhibent, eumque adeo solito more natum, ac merum, quales omnes simus, hominem fuisse (1); falso ejus inaugurationem a nobis ut divinam informari, cujus descriptae mythico involucro tonitrus, fulmen et boni ominis avis columba, fortasse praetervolans, materiem praebuerint (2); completos, tum et ad vitam rediisse et coelum petiisse narratur Jesus, Angelos non coelestes fuisse, sed qualescunque tandem mythicas personas (3): immo revera ad vitam non rediisse eum, qui non nisi gravius aliquod animi deliquium passus sit (4), vel quosdam vitae, etsi exstinctae visae, igniculos per aëris sepulchralis frigus beneficum, et per aromatum, quibus corpus conditum haberet, vim naturalem jam et conservatos et refectos paulisper, subito fulminis ictu stimulatos sensisse atque excitatos, aut per arcanas quascunque naturae vires, moderante Dei providentia, resuscitatos (5); ipsum enim antea non vitae, sed doctrinae quamdam suae praedixisse resurrectionem (6): mythicum etiam esse, quod de Christi in coelos adscensione referatur, quam sibi finxerint dumtaxat Apostoli, cum eum non amplius conspicerent, qui nebulae cujusdam in monte exortae opportunitate usus se ipsorum subduxisset oculis, ut etiam alicubi vitam degeret (7): porro memorabilem divinitus fundatae et quasi pro-

(1). Vid. supra P. I. Cap. 3. §. 7. Obs. 3. extr. et conf. *Eichhorni Biblioth.* V. 3, 499 sqq. *Henkii Thesaur.* V. 1. 146 sqq. et *nov. Thes.* III. 3, 365 sqq., item libellus, qui A. 1794. Berolini prodiit hoc titulo: *Freymuthige untersuchungen einiger Gegenstände der Religion*, p. 218 sqq.

(2). *Bauerus, Mythol. Hebr.* II. p. 225 sqq.

(3). *Bauerus* ibid. p. 253 sqq., *Eichhorni Biblioth.* VI. 4, p. 760 sqq., *Henkii Nov. Thesaur.* IV. 2, p. 277 sqq.

(4). Ita auctor libri, cujus titulus: *Die Wunder des A. und N. T. in ihrem wahren gestalt*, Rom. 1799., quod vidi in *Nov. annal. Theol.* A. 1800. p. 426. Conf. etiam hic prae ceteris *Paulus* in *Comment. ad N. T.* III. p. 792-806. Sed veram Jesu mortem haud defuere qui vindicarent. Vid. liber qui inscribitur: *Car. Fr. Fern. Gruneri, de morte J. C. vera, non syncoptica. Accedunt Chr. Gothofr. Gruneri vindiciae mortis J. C. verae, et H. Coringii discussus de J. C. cruento sudore*, cet. Hal. 1805. Nobilissimum hanc in rem est opusculum Belgicum, a medico *C. Rensing* conscriptum hoc titulo: *Merkwaardige byzonderheden over het lyden, het sterven en de opstanding van onzen Zaligmaker J. C.*

(5). *Eichhornii Biblioth.* IX. 6, 1036 sqq.

(6). *Eichh.* ibid. VII. 6, 1039 sqq. Singulare commentum tantopere placuit in Germania, ut refellendum id judicaret prudentissimus *Reinhardus* in Comment. *de Christo suam, dum viveret, resurrectionem praedicente* in *Commentatt. theol. Velthusenii* cet. III. init, et recusa nuperrime in *Reinh. Opusc. Acad.* II. p. 30 sqq.

(7). Ita fere jamdudum nonnulli. Vid. *Hanelii Bibl. def.* VI. p. 77 sqq. et conf. *Cobl. Ephemerid. Theol.* A. 1799. P. X. p. 419 sqq. et *Ephemer.* ejus recentiores *pro selecta litterat. Theol.* II. p. 55 sq. item *Nov. annal. Theol.* A. 1807. p. 906 sqq.

promulgatae novae Religionis historiam miraculi plenissimam hoc modo ad naturalem rerum ordinem facile revocari, ut, cum Apostoli aliique Christi asseclae die Pentecostes una congregati essent, atque aliquem in aëre sonum vehementissimo vento similem audirent, hunc ominis instar indiciique de adventante vel praesente Numine Divino habuisse censeantur, animumque ad hanc cogitationem magnopere commotum precibus et carminibus effudisse, in quibus uterentur aliis dialectis atque quae Hierosolymis in Sacro cultu usitatae essent, nihil vero flammulis quaquaversum dispersis, quaeque ipsis adhaeserint, simile ab iis conspectum esse, cum figurata harum commemoratio mentes repraesentet valde agitatas quae Numine plenae esse viderentur (1): denique Pauli ad Religionem sibi invisam conversi historia ita nobis ex recentiorum decretis informanda est, vel ut ille in itinere ad vexandos Christianos suscepto repentini tonitrui ac fulminis vi perculsus, hoc gravissimo omine accepto, ipsum Jesum mente sua sibi praesentissimum videre visus sit, qui se luculenter a Christianis ulterius male habendis desistere juberet (2); vel ut Jesus ipse ei conspectus fuerit revera, qui cum ex latibulo, ubi post factam coeli conscensionem versatus esset in terris, prodiisset, quo Saulum, quem suis asseclis perniciem minari accepisset, ad meliorem vocaret mentem, suisque partibus conciliaret, opportunis exortae tempestatis terroribus usus Saulum subito compulerit, et mox se ei fulminis splendore oculos praestrictos habenti penitus subduxerit (3). Quam variis autem modis quidquid in caetenis N. T. historiis inest vere miraculosi, hoc inde per novum interpretandi genus sive mythicum, seu mythico proximum (4), removere conata sit recentissimorum philologorum et theologorum sollicitudo, longum est memorare ac taedii plenissimum. Verum quae summatim dumtaxat et quodam quasi facto selectu jam attuli, satis superque demonstrent, non infringi modo vehementer, sed labefacturi penitus et convelli divinam cum Veteris, tum Novae in sacris Libris traditae Religionis originem, cujus utriusque conditoribus et primariis praeconibus nil prorsus acciderit quod cum consueto rerum ordine non conveniret. 4. Is-

Pars II. Cap. III. §. 8.

(1). *Eichhorn. Biblioth.* III. 2, p. 225 sqq. coll. V. 3, 358 sq. Aliter partim alii vid. R. G. *Pauli nov. Repert.* II. p. 308 sqq. et *Memorabil.* VII. 29 sqq., Item *Henkii nov. Thesaur.* VI. 1, p. 199 sqq.

(2). *Eichhorn. Biblioth.* VI. 1, p. 1 sqq.

(3). Ita *Eberhardus* in libro, quem inscripsit *von der Geist des Urchristenthums*, P. I., ut cognovi ex *Nov. Annal. Theol.* A. 1807. p. 910 sq.

(4). Cum mythica S. C. interpretatione magnam habet affinitatem, immo hujus quaedam quasi est progenies *psychologica* illa interpretatio, cujus auctor est celeb. *Paulus*, et ex qua quidquid extraordinarii est in N. T. historiis, hoc non in rebus, sed in hominum mentibus, sensibus, affectibus positum sit, atque inde explicandum. Hanc tamen saepe nimis quaesitam et arbitrariam, immo absurdam esse, merito in ipsa Germania animadversum est. Vid. *Nov. Annal. Theol.* A. 1806. p. 371.

Part. II. Cap. III. § 2.

„ Istud igitur institutum quotquot ita sequuntur, ut nullum modum videantur tenere, nostro Sacrorum Librorum dignitatem ab ejus adversariis rite tueri dicemus, an vero rem prodere, cujus se defensores profitentur? — „ Atqui, ajunt „ cum omnia tueri nequeamus, illud saltem tueri cupimus, quod unum et praes„ tantiae et utilitatis habeat laudem. Quod in doctrinis vere eximium et ad „ omnium aetatum usus uberrimum contineatur, hoc, hoc est quod unice spec„ tamus, sed doctrinarum historias, mythis atque incredibili miraculorum farra„ gine deformatas et ad nos utique minus pertinentes facile mittimus, dummodo „ rem ipsam, ab adversariis simul cum ejus historia temere rejectam, retinere et „ conservare, hisque ipsis ejus adversariis commendare ac persuadere queamus. „ Eo si valeant vires, de religionis caussa et nobis et nostro aevo a portentosa„ rum historiarum fide alieno bene mereri videbimur. Et vero quandoquidem „ in summa, qua hodie gaudemus cum aliarum disciplinarum, tum philosophiae „ maxime luce, de ipsis historiis eo, quo conscriptae sunt, modo vindicandis „ desperare oporteat, hoc agimus ut Sacrum Codicem ab omni offensionis culpa, „ quantum possimus, eximamus. Ceterum et religioni et viris, qui eam condi„ derunt aut docuerunt, sanctissimis non decus modo ac dignitatem, sed divini „ etiam nominis honorem conciliare magnopere cupimus.“ — Siccine scilicet, o Boni, despectae ac spretae religionis commodis a vobis revera, atque eo, quo deceat, modo consuli opinamini. Num igitur minui ejus adversariorum, et augeri amicorum numerum videtis? Immo vero, nonne magis magisque ejus contemtus increscit apud vos, ipsiusque vulgi, vestrorum conatuum testis perpetui, reverentia, qua eam quondam prosequebatur, pellitur in dies? Venerabile ejus aedificium, quod seculorum diuturnitatem, rerumque atque opinionum vicissitudines pertulit immotum, vos, dum impugnatum videtis, quo optime positis, modo fulcire exoptatis. At, dum antiqua ejus ac divina fundamenta convellitis ac removetis, ut nova atque humana, hoc est nulla, ei subjiciantur, vestris propriis manibus ejus ruinam maturatis. Et quid, quaeso, quid tandem est, quod in eo sustinendo tantopere videmini elaborare, qui ipsi declaretis, illud, quale a Deo extructum fuisse feratur, vobis vestroque aevo non amplius convenire? Enimvero permulta quidem continet tam praeclara, tam magnifica, tam ad multiplicem usum fructuosa, ut, cum nihil, quod comparabile sit, in aliis quibuscumque veterum doctrinarum aedificiis reperiatur, ea et merito suspiciatis magnique aestimetis, et, in hominum emolumentum sancte pieque ut conserventur, optetis: sed displicet Deus et praestantissimae structurae artifex, et perpetuus ejusdem sustentator, fautor, amplificator, et ubicumque hic manum admovisse narratur, ibi non Deum, sed homines videre vobis videmini, cumque Deum non amplius

ex-

extraordinario conſpiciatis, modo intervenientem, neque hunc modum capiat vestri aevi philoſophia, homines ubique Dei loco ſubſtituendos judicatis. — „ Immo „ Dei opem nequaquam excludimus; Jeſum, religionis ac virtutis doctorem omnium, quotquot umquam fuerint, excellentiſſimum, pro viro divino et habemus ipſi, et ab aliis haberi cupimus ex animo; ac Moſem etiam et Vates Hebraeorum haud ſine Dei Numine praeclare de religione ac virtute locutos fuiſſe, „ minime inficiamur." — Novi utique. Verum ordinariam iis conceditis opem divinam, extraordinariam negatis. Scilicet, uti quidquid boni nobis per conſuetum rerum ordinem accidat, hoc Divinae providentiae merito acceptum referimus, ita vobis arbitris quidquid eximii in Veteris ac Novae Religionis doctrina appareat, ab eadem providi Numinis cura repetere decet: et uti quodcumque adeo praeclare ab homine ſive inventum ſive inſtitutum ſive ore traditum animadvertimus, hoc omne Divinum dicere et licet et convenit, ita etiam, quo praeſtantior eſt doctrina in Sacris Libris comprehenſa, eo hanc diviniorem judicatis. Sic igitur Moſem, Davidem, Jeſaiam, ipſumque Jeſum Christum eodem plane habetis loco, quo Lycurgum, Homerum, Platonem, Socratem, aliosve in extera antiquitate viros primarios, qui ingenii animique dotibus aut egregiis doctrinae meritis divinorum virorum nomine venerabiles ſint: et quo illi rectius de rebus ad religionem atque virtutem pertinentibus docuerint, eo quoque majores ejusdem nominis honores iis decernendos putatis? — „ Ita est omnino: nam Deum alio „ umquam atque conſueto modo cum hominibus communicaſſe, aut aeternum „ rerum ordinem miraculoſo interventu qualicumque turbaſſe, quis nostri aevi philoſophus paulo prudentior ſibi animum induxerit ut credat?" (1). — Bella profecto philoſophia hominis, qui cum ne in hac quidem doctrinarum luce ſive de modo, quo propria mens agat in corpus, ſeu de maxime quotidianis naturae rebus ſic exponat, ut nihil quidquam remaneat obſcuri, vel ſic tamen hanc ſibi ſumat decretoriae ſententiae audaciam, ut Deum umquam in ipſam hominis mentem peculiari ratione egiſſe, aut a conſueto naturae ordine receſſiſſe ideo neget, quod haec ſuae ipſius experientiae adverſari videat, ſuaeque imbecillitatis modulum ſuperare! — Enimvero non haec temere credenda eſſe, facile agnosco. Sed, ſi tam multae, tamque graves eorum fidem nobis perſuadeant rationes, ut harum vim vel hi perceperint inviti, qui iis moveri recuſent, tum ipſa philoſophia, qualis hominem decet, qui intelligentiam habeat valde circumſcriptam, haec igitur phi-

Pars II. Cap. III. §. 8.

lo-

(1). Conf. *Henkii Theſaur.* I. 1. p. 36 ſqq., *Nov. Theſaur.* I. 3. p. 453 ſqq. II. 1. p. 31. II. 2. p. 391 ſqq. V. 1. p. 1-68. 2. p. 199-260. et *Novi annales Theol.* A. 1800. p. 407, 412, 523.

Pars II. Cap. III. §. 3. losophia iis rationibus cedere jubet sequo candide subtiliter. Esse autem eas hujusmodi, vel ex eo facile colligatur, quod, uti sub finem superioris Cap. vidimus, cum miracula, quibus et Moses et Jesus Divinam suam legationem hominibus probasse narrentur, frustra variis modis tollere tentassent recentiores, eo tandem a multis deventum sit, ut faterentur, tolli ea omnia non posse aut naturali modo explicari.

Sed ne majorem quidem doctrinarum praestantiam a caussis mere naturalibus probabiliter repetere potuerunt. Jam enim qui in V. T. tam praeclaras de Deo ejusque regimine notiones reperiri agnovit *Meyerus* (1): ut quidquam comparabile alibi in antiquitate frustra quaeratur, idem modum latere haud dissimulavit, quo ad tantam doctrinae praestantiam pertigerint, quotquot eam tradidere viri Hebraeorum venerabiles (2). Ac profecto, quidquid tandem recentioribus temporibus excogitatum sit ad historicam librorum V. T. fidem labefactandam, hoc tamen nec negari, neque in dubium revocari potuit, apud solam gentem Israëliticam, eamque et exiguam, et perparum cultam, et ad idola falsaque aliarum gentium numina colenda propensissimam, unius Dei doctrinam per plurima secula eximie traditam fuisse. Quae res quo magis perpendatur, et instituta eum optimorum etiam, quos cultissima deinceps apud Graecos ac Romanos tempora protulerint, philosophorum doctrinis comparatione illustretur, hoc videri debet stupenda magis, immo miraculi plena: quam adeo qui ex meris caussis naturalibus repetendam esse decernunt, quas tamen ne conjectando quidem assequantur, hi cum longe alias caussas, e quibus facillime explicetur, easque non in obscuro positas, sed in ipsis libris, in quibus admirabiles illae doctrinae continentur, ad oculum ubique demonstratas admittere nolint, eo ipso suae opinionis et levitatem produnt et temeritatem.

Quod si vero ne Israëliticae quidem religionis inventum humano ingenio probabiliter adscribatur quid igitur de Christiana illa dicemus, qua nihil Deo dignius esse, nihil illustrius, nihil praeclarius, nihil ad pietatem, ad humanitatem, ad purissimam, cujus homo capax sit, virtutem docendam, commendandam, persuadendam efficacius, nihil ad omnium temporum omniumque, qualescumque in terrarum orbe sint, gentium ingenium atque indolem aptius et accommodatius, ii ipsi, quibuscum nobis res est, agnoscunt ingenue? Hanc ergo an solius intelligentiae humanae ope excogitatam inventamque fuisse opinabimur? Nihil enim quidquam ejus conditori suppetebat praesidii apud populares Judaeos, quorum re-

(1). *Hermeneut. V. T.* I. p. 50.
(2). Ibid *Praefat.* ad P. II. p. 7 & 8.

religio ejus aevo perquam erat depravata ac superstitionis odiique in exteros plenissima. — „At, in Esenorum, inquies, scholis fortasse institutus erat, horum- Pars II. C. III. §. 3, 4.
„que sanioribus imbutus doctrinis.“ — Mirum profecto commentum! Nam nulla est, ne levissima quidem suspicandi causa, aliquid unquam ipsi cum hac secta, exigua fere obscuraque et a consueto hominum consortio remota, commune fuisse. Atque in gravissimis partibus doctrina Jesu ab Esenorum institutis ac decretis tam erat diversa, ut eam ex hoc fonte derivare minime conveniat (1). Et vero, an vel in hac schola vel ullibi terrarum ipsi suppeditari potuerit consilium condendae praestantissimae, simplicissimae et utilissimae religionis, quae ad omnes sine discrimine gentes pertineret, hasque cunctas sanctissimo caritatis vinculo copularet? Cui consilio cum nil simile sive legislator, sive philosophus, sive reipublicae conditor aut instaurator, seu hominum doctor praeclarus manifestarit, ac ne ullus quidem antiquitatis finxerit poëta (2), ideo vel Divini doctoris nomen omni sua, qua Jesus hoc sibi tribui cum verbis perspicuis, tum gestis palam rerum miraculis cupiit, quamque integerrimis atque incomparabilis praestantiae moribus egregie sustinuit, dignitate ac vi concedendum est, vel ea misero et coacto conjecturarum effugio sumenda, quibus nil improbabilius atque incredibilius sumi posse videatur.

§. 4.

Sed, ut ad nostram de mythica interpretandi ratione disceptationem per oblatas illas Religionis cum veteris, tum novae, ut vere Divinae utriusque, breves vindicias parumper, neque incommode interruptam revertamur: quaeri possit, an, cum istam interpretationem, qualis a plurimis hodie instituitur, repudiemus utpote Sacrorum Librorum ipsiusque in his traditae Religionis dignitati adversam, idem de omni omnino interpretatione mythica judicium faciamus, adeo ut, si vel justis suis ea finibus circumscribatur, idem inde metuendum existimemus Sacris nostris Libris ipsique Religioni sanctissimae periculum. Qua de re eo brevioribus esse nobis licebit, quo plura huc spectantia jam in superioribus censeri possimus occupasse.

1. Fde-

(1). Vid. *E. Tingae Oratio de J. C. doctore θεοδιδάκτῳ, minime Esseno* et *Luderwaldus* in *Henkii thesaur.* IV. 2, 371 sqq.

(2). Vid. *Reinhardus* in libro qui inscribitur: *Versuch uber den plan, den der Stifter der Christl. Rel. zum Besten der menschen entwarf* cujus utilissimi libri ex ita edit. prodiit Belgica versio A. 1806.

Pars II. Cap. III. §. 4.

1. Fuerunt utique, qui, cum mythos non niſi in antiquiſſimis quibusdam S. C. partibus quaererent, nihil tamen de Sacrorum Librorum dignitate atque auctoritate divina detractum vellent: e quorum numero eſt *Seilerius* (1), qui ſuam, ſi ad plerorumque Germaniae philologorum ſacrorum decreta exigatur, valde moderatam ſententiam ita tuetur, ut ipſarum relationum mythice accipiendarum veritati hiſtoricae diligenter conſultum cupiat, et ad ingens, quod Sacros inter atque exteros mythos ſit, diſcrimen ſerio attendere jubeat. Verum, praeterquam quod admiſſis relationibus nonnullis vetuſtiſſimis, mythorum ac fabularum involucro conveſtitis, ipſa rerum hiſtorica veritas, ab aliis hoc, ab aliis alio modo pro vario interpretum arbitrio ac lubitu confingenda, in lubrico collocatur, habet ea ratio hoc periculum, idque profecto haud leve, quod, propter ſimillimam relationum in univerſo S. C. comprehenſarum ſpeciem ac formam miraculoſam, mythica interpretatio ſemel in Libros Sacros injecta et quaſi laxata frenari amplius nequeat aut inhiberi, nullaeque leges ſtatui vel excogitari poſſe videantur, quibus incepto curriculo ſubſiſtere cogatur. Et conſtat certiſſime eam, quae primum in libro Geneſeos ſuas vires cum magno multorum applauſu experta eſſet, mox citato curſu in omnes fere reliquos S. C. libros deinceps irruiſſe praecipitem. Quocirca ne *Muntinghii* quidem nostri penitus probare potuimus rationem, quamquam Seileriana etiam illa moderatiorem magisque circumſcriptam, immo ita circumſcriptam, ut quos mythos nomine tenus admittat, re ipſa propemodum tollere videatur. Certe magnopere laudamus ſummam Viri, de Sacris Literis eximie et praeclare meriti venerationem, qua ſe erga eas ferri, in ipſa ſua mythorum pertractatione luculenter demonſtravit (2).

2. Quam facile autem mythicae cujuscumque Sacrarum hiſtoriarum interpretationis tuendae ſtudium ducat ad exile de Libris Sacris eorumque argumento judicium, quam proximo ſaltem utrumque conjunctum ſit affinitatis connubio, nuper ſuo exemplo palam oſtendit anonymus ille Belga, qui *Dialogos de mythis Biblicis* edidit patrio ſermone. Hic enim tametſi mythos in antiquiſſimis tantum Geneſeos documentis nonnullis quaerere videatur (3), ceteroqui tamen recentiſſimorum Germaniae philologorum ac theologorum partes ſe ſequi, haud obſcure paſſim ſignificat.

Scilicet ſuam de Christianorum revelatione fidem philoſophicam eſſe dicit, neque in hiſtoria, ſed in re ipſa poſitam ac fundatam (4); V. T. libros ſibi ideo dum-

(1). *Hermeneut. S.* §. 75. et 131-138.

(2). Vid. ejus *commentatio de mythis V. T.* ſupra allegata, §. 7-11.

(3). *Geſprekken over de mythen in den Bybel*, (Haarl. 1809.) p. 93 ſqq. (4). Ibid. p. 11.

dumtaxat venerabiles videri, quia plurima contineant ad culturae humanae, artium, disciplinarum, ac doctrinae de religione hiſtoriam pertinentia, de cetero autem non magis ſibi valere quam ſcripta *Sanchoniatonis* apud Aegyptios, *Herodoti* apud Graecos, *Livii* apud Romanos (1); immo N. T. libris veras quidem hiſtorias contineri, et ipſi, quo Jeſus vixit, aevo neceſſarias, ſed nullam eos apud ſe auctoritatis habere vim, niſi quatenus doctrinas ſibi tradant ex ipſa harum indole veriſimas, hominumque et rationi et uſibus plane conſentaneas (2); eorum enim ſcriptores non divinitus afflatos fuiſſe, eamque adeo iis omnibus deëſſe auctoritatem, quae certam perſuaſionem moveat (3); et vero Sacros Christianorum Libros plura mala attuliſſe hominibus, quam Coranum Mohammedis (4): quaecumque autem in illis narrentur de peculiari Numinis Divini interventu, haec ſine diſcrimine omnia ſic a ſe intelligi, ut a conſueto naturae ordine non receſſerint (5); Christianam vero Revelationem ſibi prae ceteris, quas Ethnici, Judaei ac Mohammedani, eodem, ſcilicet loco habendas, acceperint, propterea veram ac divinam cenſeri, quod ejus doctrina moralis omnibus gentibus ac temporibus conveniat (6), cujus doctores ideo dicendi ſint Divino ſpiritu impulſi fuiſſe, quod ſummo veritatis amore ſenſuque ducerentur (7); et quae plura ſunt hujusmodi: de quibus ſingulis meum judicium eo minus arbitror interponendum, quo facilius ex iis, quae ſupra disputavi, illud colligatur. Quam parum autem ad Librorum Sacrorum decus tuendum valeant regulae, quas mythico eorum interpreti libelli auctor (8) obſervandas praeſcripſit, de eo malim ut alii judicent. Enimvero, ſi in his percenſendis et ad S. C. dignitatem exigendis ex ipſa mei animi ſententia occuparer, Veſtram, Viri honoratiſſimi, quibus oblatam illam commentationem praemio condecorare non placuit, benevolentiam aucupari fortaſſe viderer: a qua ineptae inſulſaeque aſſentationis ſpecie et ſum et haberi cupio alienisſimus.

Pars II. Cap. III. §. 4.

3. Equidem, etſi nullas Librorum Sacrorum, ac ne primi quidem libri Moſaici partes hiſtoricas mythice accipiam, non omnia tamen rejicio, quae *mythorum* vocabulo deſignentur, aut ut S. C. honori adverſa condemno. Eſſe enim nonnullas et fictiones poëticas, et opiniones ſive populares ſeu philoſophicas, neque ex peculiari adeo revelatione profectas, quas Sacri et doctores et ſcriptores ad ſuos uſus adhibuerint, jamdudum ſalva reverentia Sacris Literis debita exiſtimatum est, has autem ſi cui mythorum nomine deſignare lubeat, nil profecto per novum nomen de earumdem dignitate detrahatur. Scilicet nec Sacros Poëtas dedecuiſſe ut fictionum ornamentis uterentur, quibus animos afficerent, neque a Sa-

(1). Ibid. p. 16, 17. — (2). p. 19. — (3). p. 20. — (4). p. 21. — (5). p. 23. et 148. — (6). p. 46. — (7). p. 140. — (8). p. 172, usque ad finem.

Pars II. C. III. §. 4, 5. Sacrorum Doctorum persona alienum fuisse ut ad receptas, quae ferrentur, opiniones se prudenter accommodarent, aut imagines inde peterent ad suum consilium aptissimas, quo a populariibus facilius intelligerentur, neque ipsius Dei sapientia indignum fuisse ut ejusmodi figmenta atque commenta, partim ad rerum indolem, partim ad temporum rationem comparata, ab iis quos Religionis caussa suo numine adjuvaret, et sermone usurpari sineret et literis consignari: de hoc inter ingenuos Literarum Sacrarum aestimatores ita convenit, ut id jam probare supervacaneum videatur. Ac nonnulla etiam, huc pertinentia, opportune subinde eoque modo attigimus, quem illarum Literarum decus postulare judicabamus. Quod superest: minime veremur, ne quis iis, quae de prisci sermonis indole, qua res quaecumque sensibus subjicerentur, et cujus vestigia passim per Libros Sacros conspicua, sed quo hi libri antiquiores sint, eo plura et clariora conspiciantur, disputavimus Cap. 2., nos eorumdem honori non satis consuluisse dicitet, aut quodammodo mythicae interpretationi, quantumvis a nobis impugnatae, favisse. Nostram enim mentem ibi satis perspicue a nobis declaratam esse arbitramur. Quocirca, non eo quidem consilio ut istum metum occupemus aut pellamus, sed ut verbo complectamur quaecumque de quaestione a Vobis, Legati Teyleriani Curatores nobilissimi, proposita disceptavimus, Vestroque submittimus judicio: „Non satis graves suppetere dicimus rationes, quae suadeant, ut non„ nullae historiae Sacrae pro mythis aut pro narratiunculis sive partim seu peni„ tus confictis habeantur; immo mythicam earum interpretationem, qualis a pe„ risque ejus fautoribus hodie recipiatur, ita Librorum Sacrorum dignitati atque „ auctoritati adversari putamus, ut ab ea universe et ubique abstinere satius sit, „ ac periculum, quod, hoc semel admissa, et ipsis Libris, et sanctissimae Reli„ gioni in iis traditae immineat, nullis regulis aut legibus statutis caveri ac de„ clinari."

§. 5.

„ At, inquient fortasse nonnulli, si mythica illa interpretatio penitus et ubi„ que repudietur, ac sola admittatur historica interpretatio, remanent innumera„ biles illae magnaeque difficultates, quae jamdudum et saepe Sacrorum Libro„ rum dignitati objectatae fuere." — Remanent utique ex eorum sententia, quotquot sibi hoc fecerunt praejudicium, nihil umquam vere extraordinarii ac miraculosi ad inducendam ac tuendam Religionem praestantissimam accidisse: qui tamen, nisi nimium vel sibimet ipsi sumerent, vel tribuerent philosophiae, tum profecto lectitatis serioque perpensis, quae optimi quique et cum exquisitae doctri-

trinae copia, tum ſanae philoſophiae acumine inſignes Religionis ac Sacrarum Literarum vindices in Anglia, Gallia, Germania, nostroque etiam Belgio protulerunt, istarum difficultatum et multitudine et gravitate longe minus offenderentur, ac de Librorum adeo Sacrorum dignitate ipſiusque etiam Religionis in his traditae divina origine multo rectius et magnificentius judicarent. Verum, quandoquidem, uti vidimus, horum nonnulli jam eo tandem progreſſi ſunt, ut miracula, licet haec aegre ferrent, et Moſi tamen et Jeſu omnino adſcripta eſſe, horumque fidem utriusque aetate praeclaros, quique optimis Divinae Providentiae conſiliis responderent, uſus habuiſſe animadverterent et palam profiterentur; hinc ſpem aliquam exortam videre nobis videmur, ut qui propius jam ad veritatem compulſi ſint, non diu in ejus limine haereant, ſed olim ipſum ſanctiſſimum ejus ac divinum penetrale animo ſubmiſſo ingrediantur: quae ſpes ut in Sacrorum Scriptorum honorem, nostris diebus vehementer impugnatum, quantocius implcatur, etiam atque etiam optamus.

Sed, cum vel ii ipſi, quibus necdum excuſa est antiqua de divina nostrae Religionis origine perſuaſio, hanc tamen fidem non modo per apertos hujus Religionis hostes, ſed per mythologicos etiam ejus defenſores gravius concuti videant, aut certe decantatis istis hodieque magno ſtudio revocatis objectionibus facile ita moveantur, ut in mythica Interpretatione gratum aliquod ac tutum quaerant praeſidium, quo earum vim in perpetuum effugiant: ideo haud ſupervacaneum fore putamus, ut, quanta poſſimus et brevitate et perſpicuitate, praecipuas quasdam tradamus leges ſive regulas, quarum obſervatione ii ſe adverſus istas aevi ſui illecebras muniant, ſuamque fidem integram ſervent atque incolumem.

Prima igitur lex haec esto generalis: *In Sacris Libris interpretandis oportet verae liberalitati operam dare, quae ab omnium partium ſtudio aliena neque antiquiori Theologicae, nec recentiſſimae Philoſophicae rationi nimium tribuat.*

Nullum est vocabulum, quod ab aliquo inde tempore frequentioris est uſus apud Sacrarum Literarum interpretes, quam *Liberalitatis:* ac nulla est utique virtus in ſe magis commendabilis magisque ad C. S. dignitatem tuendam fructuoſa, quam quae hoc nomine vocatur; ſed nulla etiam est, quam pluris interſit recte ſibi definire, ne quis forte ſibi nomen arroget, qui rem ipſam minime teneat. Itaque genuina illa liberalitas nostro judicio ea est virtus, qua quis nec ſervili modo vetustam S. C. interpretandi rationem ſequatur, nec novam avide arripiat, ſed ab utrarumque partium ſtudio aeque alienus et libere et prudenter interpretetur. Liberalis nimirum interpretis non est ſive ex veterum plerorumque Christianorum more ad Rabbinorum, minus idoneorum ducum, exemplum compoſito in ſingulis Sacrorum Librorum dictis vocabulisque ipſum Deum ſibi loquentem audi-

Pars II. Cap. III. §. 5. dire videri, ſive verba non ex naturali et ad ſanas interpretandi regulas exacto, ſed coacto et ad Theologica placita conformato ſenſu explicare, ſeu denique recentiorem quamcumque nonnullorum locorum explicationem aeque reformidare ac ſi, veteri illa ratione vel parumpar relicta, mox S. C. dignitas in ſummum diſcrimen adduceretur. Sed vero univerſam fere veterem istam rationem deſpicere, improbare, vilipendere, carpere, quidquid novitatis habeat commendationem, hoc impenſe mirari, verbis magnifice extollere, totoque animo et coeco quadam impetu amplecti, quaelibet ingenii inventa, figmenta, commenta in lucem protrudere, ipſam Sacrorum Librorum antiquitatem et hiſtoricam auctoritatem quibuscumque modis impugnare et labefactare, libidine magis de eorum ſenſu judicare quam ratione, nullibi Deum, ſed ſolum ubique hominem videre, ac nihil omnino admittere, niſi quod cum aſſumtis a ſe opinionibus philoſophicis plane congruere videatur; verbo: a vetustatis ſtudio ſic abhorrere, ut ſtudio novitatis abripiaris, ac, dum Theologiae vincula penitus abjeceris, Philoſophiae tibi vincula cudere, his temet ipſum conſtringere, iisque te tantopere oblectare, ut, quotquot ea gestare necdum velint, in hos velut in mentis ingenuae expertis homines ſuperbius deſpicias; hoccine igitur genuinae liberalitis esſe dicemus? Immo vero haec, haec, inquam, ſola et est et vocari meretur interpretandi liberalitas, quae ab utrisque vinculis libera hoc ſibi perſuadeat, in Sacris Literis interpretandis nec Theologiae decretis, arbitrariis ſaepe et haud raro inter ſe oppoſitis, obtemperandum esſe, nec Philoſophiam tamquam unicam fidam ducem ſequendam, quae modo hanc, modo aliam, modo autem aliam viam inſtituat, et qua nihil incertius, nihil magis inſtabile, nihil mutationi obnoxium magis esſe, ipſa nostri aevi experientia luculenter demonſtret.

Itaque, ſi liberaliter in Sacris Scriptis interpretandis verſari cupimus, animum ad ea afferamus ab omni, quoad ejus fieri poſsit, partium ſtudio alienum. et ab opinionibus praejudicatis quibuscumque liberum. Ita vero affecti colligamus ſedulo inſita in iis ſcriptis integritatis et hiſtoricae veritatis indicia, per captioſas et fallaces nonnullorum dubitationes ac ſuſpiciones neque adhuc obſcurata, neque umquam delenda; diligenter attendamus ad ſingularem doctrinae, haud paucis etiam nostri aevi viris, ad imperitum et credulum vulgus minime referendis, valde venerabilis viſae, praeſtantiam, qualem a Divina origine, cui diſerte ab ipſis ejus auctoribus adſcribatur, repetere deceat: ac ſerio denique perpendamus miracula tam evidentia, tamque certa, ut haec omnia probabili ſucceſsu tollere aut interpretando expellere necdum ii potuerint, quibus ea vehementer obſtare viderentur. Sic quidem antiquam fidem nobis tenendam esſe arbitrabimur, verum hanc tamen non coecam volemus esſe, non ſuperſtitioſam, non ipſi, quam a Deo

Deo accepimus, rationi adverſam, ſed, quantum in nobis fuerit, luminoſam, prudentem et cum ſana ratione conſentaneam. Quaecumque vero nobis obvenerint difficilia, impedita, abſtruſa, haec molesta quidem nobis accident, nec tamen inde fidem nostram, non opinionis commentis, ſed veritatis judiciis innixam, concuti patiemur. Si quae autem nobis offerat ſive vetustior ſeu recentior interpretatio, quibus quidquid offenſionis ſpeciem habeat, partim penitus dimoveatur, partim ita temperetur, ut in eo acquiescamus, haec laeto et alacri animo tamquam optatum fidei fulcrum amplectemur: verum ad mythicam interpretationem nos trahi aut compelli non ſinemus, ne ſenſim ipſa hujus fidei fundamenta labefactata et convulſa videamus. Pars II. Cap. III. §. 5.

2. Ad hoc periculum cavendum magnam utilitatem afferat alteram legem obſervaſſe, quam ſic enuntiamus: *In Sacris Libris interpretandis oportet et temporum et hominum, de quibus agant, rationem habere.*

Hac lege, quae ſua ſemet aequitate facile ipſa commendet, equidem hoc volo, ut quaecumque divinitus ſive tradita, ſeu peracta credamus, de his ſingulis non ex nostri aevi judicio atque indole, ſed ex hominum, ad quos proxime ſpectent, et ex temporum, ad quae referantur, ratione aestimemus. Quod ni faciamus, neceſſe est ut multa nobis videantur obſcura, aliena et offenſionis plenisſima: ſin autem faciamus, tantos hinc tamque uberes utilitatis fructus percipiemus, ut, ſi hos undique prolatos exhibere vellem, immenſum atque infinitum opus aggrederer. Itaque, ut unum modo et alterum ſpecimen ſeligam et quaſi delibem: creati orbis deſcriptio, de qua quae P. I. Cap. 3. §. 7. Obſ. 4. fere med. et P. II. Cap. 2. §. 3. Obſ. 3. init. diximus, hoc etiam loco perpendi velimus; Cosmogonia igitur Moſaica, etſi naturali quodam rerum ordine eximie conſpicua, quem vel nostri aevi philoſophus merito admiretur, etſi adeo ad veritatem, quantum ejus capax eſſet primorum hominum imbecillitas, omnino expreſſa, non hoc tamen habebat conſilium, ut hi, nedum omnium temporum, etiam remotiſſimorum ipſique nostrae aetatis homines, modum acciperent accurate et ſubtiliter deſcriptum, quo res hujus orbis ad eumque proxime pertinentes in praeſentem formam confectae eſſent, ſed ut prisci illi, quibus ea Cosmogonia divinitus traderetur, omnium rerum adſpectabilium originem et formam ab uno potentiſſimo opifice Deo repetere, utque hunc ſumma veneratione proſequi, ſimulque de ſua ipſorum praeſtantia ex vero ſentire diſcerent. Ad hos ergo primaevae aetatis ipſiusque infantiae humanae uſus uberrimos, non vero ad nostros, neque ad hodiernorum phyſicorum decreta, quo magis quis istam Cosmogoniam exegerit, eo minus in ea reperi et quo offendatur, immo eo magis eam ſuſpiciet, Deique ſapientiſſimis conſiliis respondere animadvertet. — Quantae porro recentioribus offenſioni fuerit praeceptum

Pars II. Cap. III. §. 5. Abrahamo divinitus, uti Sacra refert historia, datum de unico filio immolando, neminem latet. At vene, si quo tempore hic vixit Patriarcha, ab eoque ipso recepta fuisset ejusmodi philosophia, ex cujus decretis pura, quae hodie dicitur, ratio, sibi ipsa legislatrix, a tali praecepto vehementer abhorreat, tum sane illud non daturus fuisse censendus est Deus, quod pro iniquissimo habitum iri, certo praevideret. Verum ea aetate nondum sibi tantum sumere didicerat ratio humana, de suaque vi non ita splendide praedicabat. Atque erat Abrahamus ejusmodi vir, qui, quamquam in admirabili sua pro tractus Sodomitici incolis intercessione magnifice se de aequitate Divina judicare ostenderet, nihil tamen a Deo praecipi posse sibi persuaderet, quod non aequissimum esset, etiamsi illud a se non perspiceretur, et quod adeo, quantumvis difficile, a se non perfici oporteret: et erat ipsius Dei consilium ejusmodi, ut, cum Abrahamum excelsae mentis virum et gentis ad verum sui cultum seligendae conditorem futurum palam hac periclitatione talem demonstrare vellet ac declarare, qualis esset (1), eumque ut promtissimae obedientiae et summae atque inconcussae, ad quam unus idoneus esset, fiduciae exemplum posteritati imitandum proponere, ideo ad nostras illud opiniones non exigendum sit sed ad viri, ad quod unice spectaret, indolem minime vulgarem, et ad aetatis, qua viveret, rationem. — In genere autem, ut hoc opportune moneam, gravissime peccatur ab iis nostri aevi hominibus, qui acriter carpunt et vehementer cavillantur imperfectas istas Divinitatis notitias, quae in antiquioribus praesertim S. C. partibus conspiciantur et ad quas ipsum Deum saepe se accommodasse existimemus. Quid enim? Si quis, ut hoc utar, nova nostri temporis ac nobilissima philosophia imbutus, de ejusque veritate ac praestantia sibi certissimus omnes, quos haberet, liberos, nullo aetatis discrimine facto, ea sic instituere vellet, ut universum ejus ambitum et maxime abstrusa placita illos doceret, an hic suae philosophiae commodis bene consulere ac prudentis patris nomen mereri censeretur? Quam parum ergo consentaneum, quam incongruum, immo quam ab ingenui philosophi indole alienum sit aegre ac moleste ferre, quod optimum generis humani patrem cum suis infantibus, ut ita dicam, infantili, cum juvenibus juvenili, cum viris, denique adultis virili more egisse, hoc est, cum diversarum aetatum hominibus ea de rebus gravissimis ad Religionem pertinentibus communicasse sola, quae caperent, et ad singulorum etiam cogitandi modum, quantumvis saepe mancum, debilem, imperfectum, circumscriptum, exilem demisisse se, quo magis iis prodesset, ac plane adeo accommodasse dicamus? — Postremo, ne quid de visionibus memorem, praesertim propheticis, di-

(1). Genes. XXII. 1. coll. vs. 12.

divinitus quidem objectis, ſed ad temporum etiam hominumque, quorum uſibus inſervirent, ingenium comparatis: aliquid ſubjicere juvat de factis miraculoſis in S. C. narratis, in quibus dijudicandis temporum etiam hominumque rationem habere conveniat. Cujusmodi judicium quo magis quis fecerit, hoc animadvertet clarius, miracula non temere quaſi ac ſine conſilio, ſed prudenter, appoſite et ad praeſentes uſus perquam accommodate accidiſſe memorari: quod cum non diſertis verbis ſignificetur, ſed plerumque ex rerum indole et colligendum ſit, et haud difficulter colligatur, hoc ad perſuadendam nobis ipſarum relationum veritatem hiſtoricam poſſit quam plurimum. Nam ad Religionem Moſaicam mox inducendam, deinde autem turbatis Judicum temporibus tuendam, postea vero in corruptiſſimo decem tribuum regno vindicandam multo plura quam aliis temporibus, ſed Judaeorum in patriam reverſorum aevo ac deinceps, cum animi per ſe ſatis ad Religionem propenſi eſſent, plane nulla, et quo tempore tandem nova ſtabilienda eſſet eaque praeſtantior Religio, tum demum et plurima et maxime illuſtria miracula facta fuiſſe narrantur. Ut verbo complectar: Divinus interventus, qualis in C. S. ſine ullo artificio deſcribitur, ita est comparatus, ut non ex opinione hominum quaſi de coelo in terram advocatus eſſe, ſed vere ac ſapientiſſime inſtitutus videatur, dummodo eum ad temporum hominumque rationem prudenter exigamus. Immo ſingulorum miraculorum ac divini interventus indiciorum conſilium, ſi idem illud de iis ex peculiari temporum hominumque ratione fiat judicium, plerumque non in obſcuro poſitum est, ſed adhibita attentione haud difficulter investigetur: quod quidem exemplis illustrare et confirmare non vacat; ſed quisquis eo animo hujus rei periculum fecerit, ut ſuam de vere divina Religionis Revelatae origine fidem corroboret, nae illud haud inutilem inſumturum eſſe operam, mihi perſuaſiſſimum est (1). Part II. Cap. III. §. 8.

3. Multos etiam uſus afferat tertia, ſi obſervetur, lex: *ut in Libris Sacris interpretandis ratio habeatur ſermonis et uſus loquendi.* Scilicet fieri vix aliter potest, quam ut in libris, qui longe alio, atque quo nos utimur, ſermone, et ſub coelo multum diverſo, temporibusque a nostro aevo remotiſſimis conſcripti ſint, complura contineantur, in quibus propter ſolam hanc cauſſam haereamus, et molestiae, immo offenſionis aliquid reperiamus, quod auctorum verba praeter ipſorum mentem interpretamur: ut adeo, ſi rectior et ad ſermonis indolem atque uſum loquendi accommodatior inſtituatur interpretatio, haec rem, de qua agatur, mo-

(1). Utiliſſimi hanc in rem ſunt, qui in omnium manibus verſantur, *Heſſii* libri de Israëlitarum, Jeſu et Apostolorum hiſtoria. Idem autem ſcriptor nonnulla eamdem in rem generatim contulit in *Bibliotheca Hiſtor. Sacrae*, P. I. p. 35-41.

Pars II. Cap. III. §. 5.

modo ad consuetum magis ordinem revocet, modo nobis reddat intellectu minus difficilem. Legis igitur de hac interpretatione a nobis indicatae observatio quam habeat vim ad Sacrorum Librorum decus a cavillationibus tuendum ac vindicandum, quamquam ex allatis superiori Cap. §. 3. Obs. 3 et 4. exemplis satis colligi posse videatur, haud inutile tamen fuerit unico eoque notabili exemplo ulterius hoc loco confirmasse.

Itaque, quod de Loti uxore Genes. XIX. 26. refertur, ut, *cum respexisset, mutata sit in salis statuam*, hoc quantum offensionis jamdudum crearit, vix cuiquam ignotum sit, a *Bauero* autem id partim cum Eurydices respicientis, ideoque ad Inferos relapsae, partim cum Niobes in lapidem conversae fabulis comparatum fuisse, supra vidimus P. I. Cap. 3. §. 7. Obs. 2. Sed non convenienter cum vera scriptoris mente et respexisse dumtaxat illa mulier ponitur, et in statuam salis mutata esse. Nam, cum in eadem destructae vallis Sodomiticae historia Cap. XVIII. 6. *prospicere versus Sodomam* sine dubio significet *viam eo instituere*, quod patet ex adjuncta *comitandi* et *deducendi* mentione, consentaneum est certe, ut *respiciendi* illam notionem de *reditu instituto* accipiamus, utque ipsum adeo redeundi consilium dissuasisse putemus Angelum, a quo Lotum hujusque comites commonitos fuisse legimus Cap. XIX. 17., ne respicerent, neque in universo isto tractu subsisterent, sed quantocius in montes aufugerent proximos, ne una interirent. Cum nimirum qui iter versus aliquem locum instituant, vultum eo soleant convertere, inde hoc pro illo dicere prisci consuevere: cujus vetustissimi usus vestigium quoddam superest Luc. IX. 51, 53., ubi Jesu *Hierosolymam proficiscentis facies* de certo itineris persequendi proposito dicitur. Quid? quod Loti uxor non memoratur respexisse אַחֲרֶיהָ *post se*, sed מֵאַחֲרָיו, hoc est ad verbum ac barbare *a post eum*, scilicet *maritum suum*, sive *marito suo relicto*, ex vi, quam habet utriusque praepositionis conjunctio, cum alibi, tum Ruth. I. 16., ubi מֵאַחֲרָיִךְ manifesto significat *te relicta*. Atque ad hanc interpretationem commendandam uti licet gravissima ipsius Jesu auctoritate, qui optimus omnino sit hujus formulae interpres. Hic enim cum Luc. XVII. 31, 32. discipulos hortetur, ut in proxima Hierosolymae destructione uxorem Loti in memoriam reducant, ac nemo, si ruri sit, ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω, id est, *retro se vertat*, sive *ad domum relictam redire instituat*, suam de reditu ab uxore Loti re ipsa instituto et Hebraicis verbis significato sententiam satis declarasse censendus est. — At quid tamen de singulari ista ac fabulam redolente *salis statua* judicabimus? Haec quominus vocabulo נְצִיב designari existimetur, nulla quidem impedit ratio grammatica; sed obstare videtur usus loquendi: nam nullibi hoc sensu usurpatur in V. T., immo in ipso etiam Geneseos libro consuetum *statuae* vel *stippi* voca-

bu-

bulum Hebraicum est מצבה. Quod cum ita sit, non decet utique assumta etiam- Pars II. Cap. III. §. 8.
num *statuae* ac mirae cujusdam metamorphoseos notione locum aliorum offensioni ac ludibriis objicere. Nec tamen *Clerici*, *Dathii* aliorumque sententiam amplectendam putaverim, ex qua ותהי נציב מלח sit pro ותתיצב במלח, ac vertatur, *subsititit*, sive *infixa haesit in loco salsuginoso*; nam haud scio an haec interpretatio probabiliter ad sermonis Hebraici ac structurae rationem exigatur. Quapropter ad literam ita potius verterim; *Et facta est portio salsuginis*, hoc est: *In temeritatis suae poenam ab erumpentibus subito et undique irruentibus salsae paludis aquis absorpta iisque submersa interiit.* Scilicet נציב plane est Arabicum نصس, quod, aeque ac Hebraicum illud proprie *constitutum*, et hinc *partem*, *portionem* significat. Simili vocabulo et simillimae cum structurae, tum significationis formula Psalm LXIII. 11. de impiis dicitur מנת שועלים יהיו *portio fient vulpium*, sive *canum sylvestrium*, id est: *In poenam impietatis a canibus sylvestribus devorabuntur.* Constat autem ex Genes. XIV. 3., universam vallem Sodomiticam in magnam paludem mutatam fuisse, cui nomen datum sit ים המלח *maris salsissimi*, et cujus adeo aquis jamjam erupturis et loca depressiora inundaturis ne submergerentur, Loto ejus uxori, aliisque comitibus datum esset consilium, ut quantocius fugerent in loca montana.

4. Tribus illis legibus subjicimus hanc quartam, ex qua *decet veram nobis informare extraordinarii cum in doctrinis, tum in miraculis interventus Divini notionem.*

Perdifficulter informari et Divini in rebus ad Religionem pertinentibus auxilii, et miraculorum notionem, ipsa arguit harum rerum abstrusior nobisque per propriam experientiam plane incognita natura. At satis certas easdem esse nihilominus, supra §. 3. Obs. 2. et 3. ostendisse nobis videmur, quantum per institutum liceret (1). Quamquam vero in se obscurae sint et conceptu difficiles, nobis tamen non modo licet, sed suadet etiam nostra praesertim aetate Religionis decus, ut, quoad ejus fieri possit, veram earum nobis notionem informemus. Quocirca nostro proposito congruenter hoc notamus, sapientissimum Numen in iis, de quibus agimus, rebus, non censendum esse quamdam quasi vim intulisse naturae, ejus ipsas mutasse leges, ejusque actionem penitus sustulisse.

Ut, quid velimus, paucis exponamus, principio quidem animadvertimus, nos, cum inspiratos, sive divinitus adjutos fuisse Sacros religionis rerumve cum ea conjunc-

(1). Quod ad judicium de miraculis eorumque veritate historica attinet, legi hic meretur *Reinhardi* disputatio, *utrum ad judicium de miraculis requiratur universae naturae accurata cognitio.* Est ea in viri opusculis Academicis, P. I. p. 145 sqq.

Pars II. Cap. III. §. 5. junctarum Scriptores arbitremur, non ita tamen eos nobis informare, ac ſi tibiarum inſtar fuerint, quas Deus quaſi inflaverit, ut diverſos pro ſingularum diverſitate ederent ſonos: quae ſatis nota quorumdam Theologorum vetustiorum opinio quam improbabilis ſit, ac paene in ſupremam ſapientiam injurioſa, non est quod commonſtremus. Itaque Scriptores Sacros naturalibus ſuis viribus omnino uſos fuiſſe, nullum nobis est dubium: ſed eos ita in harum uſu fuiſſe adjutos exiſtimamus, ut iis tamquam vere divinis ſcriptoribus fidem habere deceat; etſi tamen, quae horum, quae ipſius Dei partes fuerint, definiri nec poſſit, neque, ut fiat opus eſſe videatur. Verum de hoc noſtram mentem jam ſatis declaraſſe cenſebimur alio loco idoneo, ſive Obſ. 2. paulo ante allegata.

Quod deinde ad ipſos attinet Legatos Divinos, qui Religionis doctrinas ſuo ſermone hominibus attulerunt ac declararunt, et hos quoque naturalibus ingenii ſui viribus, iisque quae ſuppeterent ſubſidiis uſos fuiſſe, ſed has vires direxiſſe, moderaſſe, et ubicumque opus eſſet, ſupplevisſe, auxiſſe aliisque ſubſidiis neceſſariis locupletaſſe Deum ſtatuimus. Quamquam autem ne hic quidem discernere queamus, quid Deo, quid homini debeatur, vel ſic tamen omnibus, quae hi Dei nomine protulerint, Divinam auctoritatem merito adſcribimus. Nec negamus igitur, Moſi plurimum profuiſſe cum eximias ingenii animique dotes, quas a natura accepiſſet, tum praeclaram Aegyptiorum prudentiam, in rebus praeſertim civilibus poſitam, qua eum inſtitutum fuiſſe, ex vero dixerit Stephanus Act. VII. 22. Immo in eo ipſo agnoscimus Supremi Numinis ſapientiam quod virum his naturae donis et doctrinae opibus inſtructum ac ditatum, ſuisque adeo, quae de Israëlitarum gente haberet, conſiliis exſequendis maxime idoneum eligeret, ut hujus gentis legislator eſſet et ductor. Nec Prophetas etiam Hebraeorum in quasdam quaſi machinas Divinas transformatos volumus, ſed ingenio, arte ſtudioque multum valuiſſe existimamus, et quotiescumque ſermones ſive de religione ac virtute, ſeu de futuris eventibus divinorum oraculorum habitu proferrent, tum convenienter quidem cum Numinis inſtitutione conſiliisque et ſub ejus ductu locutos, verum propriae etiam intelligentiae viribus omnino uſos fuiſſe, cum in univerſum, tum maxime ut res amplificarent, poëtice exornarent, et quo optime poſſent modo ad perſuadendum componerent. — Jeſum autem omnium divinorum legatorum maximum excellentiſſimumque, immo eum, in quo uno omnem ipſius divinitatis vim ac plenitudinem venerabundi ſuspicimus, naturales tamen, quas cumulatiſſime accepiſſet, mentis facultates uſu et exercitatione a tenera inde juventute excoluiſſe, auxiſſe et ad doctrinae a ſe condendae compoſitionem conſormationemque adhibuiſſe, cum arguit vera divinae ſapientiae notio nobis informanda, tum dubitare non ſinunt diſerta Lucae verba Euang. II. 52., quibus Jeſum, quo ma-

magis adolesceret, hoc etiam majora prudentiae incrementa cepisse dicit seque et Deo et hominibus probasse vehementius. Nec denique, ut de ceteris Apostolis taceamus, intempestivum videatur tribus verbis notasse, Paulo raras illas, quae ipsi obtigissent, ingenii dotes in divino suo munere perfungendo non modo fuisse perutiles, sed vero etiam in caussa fuisse, quod ipse Jesus tanti viri animum extraordinario modo ad suam Religionem inflecteret, ad quam fortiter stabiliendam ac longe lateque propagandam unus omnium aptissimus foret.

Postremo animadvertimus, in multis rebus miraculosis cerni aliquid a natura non abhorrens, immo cum hac ita congruens, ut ne in his quidem, licet ita extraordinariis, ut ipsum intervenisse Numen Divinum luculenter appareat, naturae vires, quae adessent, mutatas aut perversas, sed auctas, suppletas et a Deo suos in usus conversas fuisse, haud frustra ponamus. Et vero liquet hoc saepissime ex ipsarum rerum indole ac descriptione: quod, age, nonnullis exemplis allatis breviter ostendamus. — Tractus Sodomitici destructio ita narratur, ut ea pro extraordinaria poena divinitus inflicta omnino habenda sit: at eamdem tamen caussis naturalibus, moderante Divino Numine dispositis effectam fuisse, equidem vix dubitamus. Nam ignis coelestis ac sulphurei pluvia, Genes. XIX. 24., hoc est, coll. Psalm. XI. 6. Ezech. XXXVIII. 22., crebro fulminum jactu solum bitumine variis in locis erumpente, Genes. XIV. 10., imbutum flammas corripuisse, et ab aquis partim subterraneis, partim interjectis, Genes. XIII. 10., penitus deinde absorptum atque in lacum ingentem conversum fuisse videtur (1). — Trajecti ab Israëlitis ex Aegypto egressis rubri maris historia sic est descripta, ut hac in re extraordinariam providentiam agnoscere oporteat: at in eadem tamen caussis naturalibus, sive ventis vehementioribus, qui aquas pellerent, usum esse Deum, ipsa ejus relatio diserte declarat, Exod. XIV. 21. — Ex consueto rerum ordine nemo probabiliter explicet modum, quo Mannae cibus Israëlitis obtigerit in desertis Arabiae: at hujus ipsius Mannae varias species in his desertis naturales esse, constat quam certissime (2). — Subversos non casu fortuito, sed Deo interveniente fuisse Hierichuntis muros, docet historia Jos. VI.: at haud veri dissimile est, hoc per terrae motum accidisse (3). — Simsonem, inepte cum Hercule, in fabulis celeberrimo comparatum, haud sine Numine, immo ad aetatis,

(1). Vid. *Clericus* in dissert. de hoc argumento, Commentario in Genesin subjecta, *Michaëlis* in Commentt. Societati Gotting. praelectis, T. I. Comm. 5., et *Oedmanni* opus, quod inscribitur: *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde*, P. III p. 115 sqq.

(2). *Hamelsveldius* in *Bibl. def.* V. p. 154 sq.

(3). *Michaëlis*, Quaest. 26. et 53. coll. *Niebuhrio* in descr. Arab. p. 137-139. vers. Belg.

Pars II. Cap. III. §. 5.

tis, qua viveret, rationem appoſite, extraordinarias corporis vires demonſtraſſe cenſemus in Philiſtaeorum detrimentum ac decus Religionis: at has ipſi vires per miraculum a natura abhorrens infuſas fuiſſe aut quavis opportuna occaſione excitatas, non est quod ſtatuamus. Has, quas ei dederat naturae auctor Deus, ſuis conſiliis temporumque uſibus et inſervire volebat, et re ipſa, quotiescumque opus eſſet, eo accommodabat. Quid? quod aliquam, eamque haud levem crinibus eſſe cum corporis viribus cognationem, haud temere arbitremur? — Eliam a *Corvis* nutritum, 1 Reg. XVII. 2-6., rident quam plurimi, ac notum est fuiſſe, qui hos ut riſus compeſcerent, istos עֲרָבִים ſive in *Arabes*, ſive in *Orebitas*, ſeu in *mercatores* transformarent. Qua quidem ratione non tollitur peculiaris cura Providentiae Divinae, quae Prophetam complectebatur, ſed tollitur quidquid eſſet offenſionis, ac res ad naturalem ordinem plane revocatur. Verum cum hanc rationem perquam improbabilem eſſe arbitrer, praeëunte magno *Bocharto* (1), quem necdum a quoquam refutatum animadverti, non video tamen quid ea res tantopere rideatur. Quod enim Deus dicitur Corvis praecepiſſe ut Eliam *nutrirent*, hoc, coll. 2 Chron. VII. 13., ſignificat, eos ad hoc propoſitum a Deo adhibitos fuiſſe: et horum adeo avium naturalis ad rapacitatem propenſio ita a Divino Numine moderabatur, ut cibos, undecumque tandem petitos, et mane et vesperi in ſuos nidos comportarent haud procul a loco, ubi degeret Elias. — Umbram in Hiskiae horologio recedentem ſic memorat Jeſaias 2 Reg. XX. 9-11., ut regi pro Divino inſtaurandae valetudinis ac prolongandae vitae ſigno eſſet futura. At quale, quaeſo, fuit miraculum? Num ejusmodi aliquod, quod a natura penitus abhorreret eive eſſet contrarium, ut ſol ipſe recesſiſſe ſumatur? At de eo nihil quidquam est in rei deſcriptione, quae non niſi ſolis umbram commemorat: hanc vero quam facile erat ſummo naturae Moderatori adhibitis cauſſis naturalibus inclinare? Neque ea res ſine exemplo eſſe videtur, cauſſis adeo naturalibus effecta (2). — Denique, quando Jeſus magnae hominum multitudini inedia exhauſtae et confectae benigno miraculo ſuccurriſſe legitur, non novum quemdam cibum creavit, aut coelitus advocavit, ſed cibum auxit, qui ſuppeteret neque omnibus ſufficeret.

Hic igitur ipſius naturae uſus ad multa certe miracula adhibitus non eo utique valere debet, ut praeter perſpicuam ſcriptorum ſacrorum mentem miracula ubique et penitus tollere tentemus, et ad conſuetum naturae ordinem contorqueamus, ſed eam habere debet vim, ut miraculorum in S. C. relatorum fidem nobis reddat

(1). *Hierozoic* P. II. L. 2. Cap. 13. coll. *Hamelsveldio* in *Bibl. def.* III. p. 95 ſqq.
(2). *Hamelsv.* ibid V. p. 215 ſqq.

dat faciliorem: cumque tam in his, quam in ipsa religionis institutione extraordinaria summum Numen caussis saepe naturalibus uti videamus, ideo in Librorum Sacrorum honorem agnoscere nos decet et Divinam sapientiam, quae in ipsis etiam miraculis tam prope naturam sequeretur, quam ferret eorum indoles, atque adeo omnem inanis gloriae speciem evitaret, et ingens inter haec atque inter falsa et ficticia miracula discrimen, quae quo magis a natura recedant, eo majorem vanae ostentationis gloriolam habere videantur (1). Pars II. Cap. III. §. 5.

5. Postrema, cujus observatio hac nostra aetate magnopere commendari mereatur, lex nos jubet *remotae antiquitatis et singularis argumenti Librorum Sacrorum semper meminisse, quae efficiant, ut multa nobis abstrusa et vix percipienda videantur.*

Est profecto laudabilis atque ab ipsa natura nobis ingeneratus veritatis indagandae et cognoscendae amor, quo quaecumque nostrae menti objiciantur ac praestantiae aut utilitatis commendationem habeant, haec intelligere, eorumque rationem perspicere conemur. Illo impulsore in variis studiis ac disciplinis stupendos sibique perhonorificos progressus jam fecit humanum ingenium, ulteriusque progredi cupit ac studet perpetuo. At eumdem tamen, si coeco impetu ei obtemperemus, a recto tramite imprudentes abripere, atque in devia trahere praecipites, docet ingenii humani haud raro ignominiosa historia. Quapropter, uti alii affectus nobis insiti prudenter moderandi sunt, ita ille, qui omnium maxime de nostrae naturae excellentia testatur, et dirigi semper debet et saepe inhiberi. Quo magis autem res a nostro conspectu remotae sunt et sua gravitate ac dignitate insignes, eo nos decet esse prudentiores, cautiores, modestiores, ne forte id, quod idoneae rationes nobis esse persuadeant, in dubium vocemus, immo negemus, propterea quod modum, quo sit, non plane percipiamus. — Jam vero Sacros nostros Libros esse universe antiquos, communi constat consensu; partim vero ita antiquos esse eos, ut, quaecumque exterae antiquitatis scripta ad nos pervenerint, haec longo post se temporis intervallo relinquant, in confesso est apud eos, quotquot de illis sin minus ex certo, quod per rei indolem non licet, at saltem ex eo, quod omnium maxime probabile sit ac plane satisfaciat, aestimare didicerunt, esse autem omnes et lingua peregrina nobisque non penitus ubique intellecta, et ab hominibus conscriptos, qui a nobis coelo, moribus, cogitandi agendique ratione magnopere diversi sint, ecquis inficietur? Deinde, cum non nisi imperfectiorem quemdam ac minus concinnum in Scriptis Sacris narrandi modum gentis et aevi indoles ferret, hinc Scriptores, quando res referunt sive ex re-

(1) Conf. *Muntinghius* in *Bibl. Crit. hum. histor.* P. IV. not. 62.

Pars II. Cap. III. §. 3.

recentissima memoria, sed ex aliis relationibus uberioribus sua aetate cognitis, saepe nonnulla omittunt, eo, quo scribebant, tempore minus necessaria visa, sed quae tamen efficiant, ut nos ab eo tempore adeo remoti in multis haereamus, neque absolutam aut consummatam omnium rerum imaginem nobis informare possimus: et quamquam, quotiescumque tempus rei cujusdam gestae aut locum ubi acciderit, commemorant, ita semper agunt, ut nihil ad summae fidei historicae persuasionem movendam concipi queat efficacius, plurimum tamen abest profecto, ut in omnibus concinnum temporis ordinem perpetuo sequantur; quocirca vel exercitatissimus interpres se haud raro turbatum videat atque impedium. Denique, cum extraordinarii interventus Divini historiam ipsasque doctrinas, per hunc variis identidem temporibus traditas, ita complectantur, ut, si aequi esse velimus, istum peculiarem interventum agnoscere debeamus, eo ipso argumentum continent a nostra consuetudine atque experientia alienum, et in quo non esse non possint quam plurima, quorum modum ac rationem minime assequamur. — Quae quidem singula serio perpendens, et certorum, quibus circumscripta est humana intelligentia, finium recordatus, haud miror profecto, in hujusmodi scriptis complura reperiri, quae, etsi nulli justae dubitationi obnoxia, ita tamen in obscuro sint posita, ut, quis fuerit eorum modus, quae ratio, quodve consilium, ipse capere non queam, nedum aliis dilucide explicare. Immo vero, nisi ea in tantae antiquitatis, tamque singularis argumenti libris offenderem, quae a me non intelligerentur, neminque captum superarent, tum fane de ipsa eorum antiquitate, deque divino eorum argumento minus certa mihi persuasio foret.

Haec autem, quae dixi, nemo opinor, sic accipiet, ac si de Scriptorum Sacrorum sensu rebusque, quas contineant, non ulterius inquiri velim, aut hanc inquisitionem aliis dissuadere. Nam, quamopere ejusmodi implicitam et quasi inertem atque ignavam fidem mihi ipse duxerim vitandam, vel in duarum superiorum legum expositione satis mihi videor declarasse. Itaque auctor sim, ut, quotquot iis ingenii dotibus ornati iisque doctrinae opibus instructi sint, quae bonum faciant Sacrarum Literarum interpretem, hi in eorum interpretationem sedulo incumbant, ut sermonem, quo conscriptae sint, adhibitis quae suppetant, idoneis subsidiis magis magisque intelligere studeant, ut ad usum loquendi probe attendant, ut justas et rerum et doctrinarum notiones sibi informare conentur. Sed velim, ut hoc fiat prudenter, modeste, et cum Librorum Sacrorum dignitate convenienter, non vero temere, superbe, atque in Sacros Libros contumeliose. — Scilicet, non satis commendari potest horum studium, dummodo rite instituatur: et quo quis ad illud accesserit necessariis studiis munitior, atque ad omnia ex rerum, temporum, hominumque indole dijudicanda aptior, sed ad tenendum, ubi de-

deceat, modum promtior paratiorque, eo majores atque uberiores ſui laboris fructus in ſuos aliorumque uſus colligat, ac Sacrorum Librorum honori conſulat melius. Pars II. Cap. III. §. 5.

At horum, quae vivimus, temporum pròprium est quoddam ſuperbiae atque arrogantiae genus, vero S. C. ſtudio incredibiliter noxium, quo quidvis ſingere et comminiſci, immo divinis ſcriptoribus obtrudere malint homines, quam ea credere, quae ab eo, cui asſueti ſint, ordine recedant, et quorum rationem non plane asſequantur: quorum tamen interpretum haud pauci levi ſua atque exili opella ſuisque immaturis luxuriantis ingenii foetibus tam ſplendide, tantaque cum ſui fiducia gloriantur, ut doctioribus et prudentioribus Sacrarum Literarum cultoribus modo riſum, modo indignationem merito moveant. — Ab hujus igitur, quod latius ſerpit in dies, vitii contagione diligenter ſibi caveant, quotquot rem ſanctisſimam etiamnum curae habent cordique. Librorum, quorum argumento nihil est praeſtantius, ſenſum investigent, in eoque eruendo viribus omnibus elaborent, ac rerum ipſarum rationem conſiliumque ſcrutentur: licet hoc, immo decet, convenit, expedit quam plurimum; ſed quibus remotae antiquitatis divinique argumenti nodis per ingenuam interpretationem ſolvendis impares ſe videant, his ne vehementer offendantur, neve fortiter rem a ſe gestam esſe jactent, quando admota, ut ita dicam, ſecuri mythologica, quam inventrix philoſophia manibus ingesſerit, uno eos ictu ſecaverint, porro humanae imbecillitatis numquam immemores, quidquid vere divini in Sacris Libris et contineatur et memoretur, hoc non ſemper ad nostri conceptus modulum exigi oportere ſibi perſuadeant, ſed, cum multa pasſim venerandae ſapientiae adſint indicia, eamdem ubique ſapientiam ſubesſe, etiamſi nos homunciones et ab antiquisſimis illis temporibus adeo remoti eam non perſpiciamus.

Haec igitur est postremae, quae a nobis expoſita est, legis atque univerſae fere disputationis ſumma: quam verbis exprimere juvat praeſtantisſimi Apostoli, ad nostrum propoſitum accommodatis atque aptisſimi adeo ſymboli loco adhibitis, quibus Christianos jubet *non altius de ſe ſentire quam deceat, ſed ita de ſe ſentire, ut modum tenere ſciant;*

Μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν.
ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

Epiſt. ad Rom. XII. 3.

VERTALING

VAN

VORENSTAANDE

VERHANDELING.

ONDERZOEK

NAAR HET

GEWIGT EN DE KRACHT DER BEWIJZEN

AANGEVOERD WORDENDE

TER

BEGUNSTIGING EENER MYTHISCHE VERKLARING

DER

HEILIGE SCHRIFTEN.

DOOR

JOANNES HENRICUS PAREAU,

THEOL. DOCT. HOOGLEERAAR IN DE OOSTERSCHE TALEN EN GEWYDE OUDHEDEN enz. enz.

OVERZIGT

van de Verhandeling over de Mythiſche Schriftuurverklaring.

VOORREDE. . . . . Bladz. 167

Hoofdſt. I. Over het woord Mythe en de beteekenis en verſcheidenheid der Mythen in het algemeen. . . . . —— 169

§. 1. Over het woord Mythe en het denkbeeld daar onder begrepen. . . . . —— ——

§. 2. Over de bepaling en velerleije ſoorten van Mythen. . —— 171

§. 3. Over de verſchillende manier door onderſcheidene lieden gevolgd in het behandelen der Mythen. . . —— 175

§. 4. Over het onderſcheid dat er is tusſchen Mythen, Allegoriën en Zedelijke Verdichtſels. . . . . —— 178

Hoofdſt. II. Over de verſcheidenheid der Mythen die gezegd worden in de Gewijde Boeken voor te komen en de wijze en verſcheidenheid van de Mythiſche verklaring derzelve. . . . . —— 179

§. 1. Over de Gelijkenisſen en Allegoriën der H. S. als niet tot de Mythen behoorende. . . . . —— ——

§. 2. Over de onderſcheidene ſoorten van Mythen in de Gewijde Boeken. . . . . —— 181

§. 3. Over de voornaamſte verſcheidenheden in de Mythiſche Schriftuurverklaring. . . . . —— 184

§. 4. Over de zonderlinge wijze daar van door ſommigen gevolgd. . . . . —— 186

§. 5. Over den loop der volgende Verhandeling en de verdeeling der onderwerpen daar in te overwegen. . —— 191

EERSTE GEDEELTE

der Verhandeling over de Mythiſche Verklaring der Gewijde Boeken.

Onderzoekende de kracht van het algemeen en voornaam bewijs waar van zich de voorſtanders dezer wijze van verklaring bedienen, ontleend uit het gebruik der Mythen, bij allerleije oude Volken, en derzelver overeenkomst met die der Hebreeuwen. —— 192

Hoofdſt.

Hoofdſt. I. Over den waren aard van het bewijs uit het algemeen gebruik der Mythen genomen, het welke overal in de eerſte beginſels der Wijsbegeerte en Geſchiedenis gezegd wordt plaats gehad te hebben. . . . Bladz. 196

§. 1. Over het geen men ſchijnt te moeten wraken in de wijze waarop dit Onderwerp behandeld wordt. . —— ——

§. 2. Over de eerſte beginſelen zelven der Wijsbegeerte onder de oudſte Volken. . . . . —— 202

§. 3. Over de eerſte beginſelen der geſchiedenis onder diezelfde Volken. . . . . —— 208

Hoofdſt. II. Over het regt, waar mede men, uit het algemeen gebruik der Mythen, toegeſchreven aan alle oude Volken, opmaakt, dat ook bij de Hebreeuwen dit gebruik in zwang was. . . . . —— 216

§. 1. Over de hiſtoriſche Mythen der Hebreeuwen . . . —— ——

§. 2. Over hunne philoſophiſche Mythen. . . . . —— 221

§. 3. Over hunne etymologiſche Mythen. . . . . —— 225

§. 4. Over derzelver poëtiſche Mythen. . . . . —— 226

§. 5. Over andere vormen van Mythiſche Verklaring. . . —— 228

Hoofdſt. III. Wat men waarſchijnlijk te oordeelen hebbe van de overeenkomst tusſchen de Mythen van andere Volken en die der Hebreeuwen. . . . . —— 232

§. 1. Van de overeenkomst die er zijn moge tusſchen de poëtiſche Verdichtſels der Hebreeuwen en die van andere Volken. . . . . —— ——

§. 2. Over ſommige Geſchiedkundige verhalen der H. Schrift en ſoortgelijke poëtiſche Mythen van vreemde Volken, te onregt met elkanderen vergeleken. . . . —— 234

§. 3. Over zekere achtereenvolgende reeks van Mythen bij de Hebreeuwen niet te vinden. . . . . —— 236

§. 4. Over de zuiverder leere aangaande den éénen waren God in de H. Schriften voorgedragen, waar door de voorname bron der Mythologie, zoo naauw verwant met het bijgeloof des veelgodendoms, voor die Schriften ganſchelijk geſtopt is. . . . . —— 237

§. 5. Over de verſchijningen van God en Engelen geenszins voor Mythen te houden, uit hoofde van medegedeelde verſchijningen der Goden van andere Volken. —— 246

§. 6.

§. 6. Over het aanmerkelijk onderſcheid dat er is tusſchen de Hebreeuwſche en vreemde Mythen, met elkanderen vergeleken, ten aanziene van de veel grootere voortreffelijkheid van inhoud en doel, die men in de eerstgemelden opmerkt. . . . . Bladz. 252
§. 7. Over den aard der gelijkſoortige Mythen, die men den Hebreeuwen gelijk anderen Volken toeſchrijft, in het algemeen en van nader bij beſchouwd. . . —— 254

TWEEDE GEDEELTE

van de Verhandeling over de Mythiſche Verklaring der Heilige Schriften.

Over de bijkomende bewijzen welke bijgebragt worden ter regtvaardiging van de Mythiſche Schriftuurverklaring. . . . . —— 267
Hoofdſt. I. Over het bewijs daar voor ontleend uit het opteekenen der hiſtoriſche Verhalen langen tijd na dat de zaken daar in vervat gebeurd zijn. . . . . —— —
§. 1. Over de wijze waarop de beſchrijving der zaken in de Gewijde Schriften verhaald, gebragt wordt tot lateren leeftijd. . . . . —— 268
§. 2. Over de algemeene redenen welke verbieden om de geſchiedenisſen, in de Gewijde Schrifture vervat, afteleiden uit louter onzekere overleveringen. . . —— 270
§. 3. Over de hoogstvoldoende bewijzen voor de echtheid der vijf boeken van Mozes. . . . . —— 273
§. 4. Over het boek van Geneſis als opgemaakt uit de geloofwaardigſte geſchiedkundige oorkonden. . . —— 280
§. 5. Over de verdere hiſtoriſche boeken van het O. T. en derzelver hiſtorisch gezag. . . . . —— 285
§. 6. Over de hiſtoriſche Schriften van het N. T. geenszins geſchreven langen tijd na dat de zaken daar in verhaald gebeurd zijn. . . . . —— 292
Hoofdſt. II. Over het Bewijs voor de Mythiſche Schriftuurverklaring dat men zoekt, in eene overoude Mythiſche

ma-

tiglijk van het regte ſpoor dwalen, en, eer wij het denken, op verkeerde wegen geraken kunnen. Weshalve, gelijk wij andere oorſpronkelijke neigingen met wijs beleid behooren te regelen, zoo moeten wij voor al die, welke boven alle andere de voortreffelijkheid onzer nature aan den dag legt, ſteeds wel beſturen en vaak beteugelen. En hoe meer de dingen buiten onzen gezigtskring liggen, hoe zij belangrijker en hoogwaardiger zijn, zoo veel te meer betaamt het ons voorzigtig, behoedzaam en zedig voort te gaan, op dat wij geen gevaar loopen, om, het geen van welks beſtaan wij op goede gronden overtuigd mogen zijn in twijfel te trekken of te loochenen, alleen om dat wij de wijze hoe het beſtaat niet volkomen doorzien. Dat nu onze Gewijde Boeken in het algemeen van hooge oudheid zijn, wordt door ieder toegeſtemd; dat zij, ten deele, zoo oud zijn, dat zij, ten dien aanziene zeer ver overtreffen, alle andere hoogbejaarde ſchriften van andere volken die ter onzer kennisſe gekomen zijn, erkennen allen die geleerd hebben daar over, zoo niet met volledige zekerheid, het geen de aard der zake niet gehengt, ten minſten op gronden van hooge waarſchijnlijkheid en volkomen voldoende gronden, te oordeelen: dat die Boeken alle geſchreven zijn in eene vreemde tale die wij niet altijd en overal volkomen verſtaan, en door menſchen, die grootelijks van ons verſchillen in luchtſtreek, zeden, manier van denken en handelen, zal toch wel niemand loochenen. Verder, daar de aard van volk en eeuwe geene dan onvolmaakte en min naauwkeurige wijze van verhalen in de Gewijde Schriften gedoogde, was het natuurlijk, dat de ſchrijvers, wanneer zij zeer onlangs gebeurde zaken, of zaken, uit andere breedvoeriger verhalen, ten hunnen tijde genoeg bekend, getrokken, verhaalden, dikwerf ſommige dingen weglieten, waar van de opteekening, ten dage toen zij ſchreven, noodeloos voorkwam, doch het weglaten waar van te wege brengt, dat wij, zoo laat na dien tijd levende, voor vele dingen ſtilſtaan, en ons geen volledig en in allen deele duidelijk denkbeeld daar van maken kunnen; en alhoewel zij, zoo dikwerf zij den tijd waar op, of de plaats waar iets gebeurde, vermelden, altijd zoo te werke gaan, dat men niets zou kunnen uitdenken beter geſchikt om ons van de geſchiedkundige waarheid op het krachtigſte te overtuigen, is het echter ver van daar, dat zij overal de juiste tijdorde in acht nemen; waar door dan ook de ervarenſte Schriftuurverklarer zich niet zelden deerlijk belemmerd en verlegen vindt. Eindelijk, daar de Gewijde Schriften de geſchiedenis der bijzondere tusſchenkomſten der Godheid, en de leeringen zelven, langs dezen weg op onderſcheidene tijden geöpenbaard, op zulke eene wijze voordragen, dat wij, billijk willende handelen, die bijzondere tusſchenkomſten erkennen moeten, behelzen zij, juist daarom, een onderwerp geheel vreemd van

VERHANDELINGEN,

RAAKENDE DEN

NATUURLYKEN EN GEOPENBAARDEN

GODSDIENST,

UITGEGEEVEN DOOR

TEYLER'S

GODGELEERD GENOOTSCHAP.

XXVI. DEEL.

TE HAARLEM
by J. VAN WALRÉ en COMP.
MDCCCXV.

VERHANDELINGEN

OVER HET

GEVOELEN

VAN

J. A. EBERHARD

WEGENS DEN

OORSPRONG

VAN DEN

CHRISTELIJKEN GODSDIENST,

UITGEGEVEN DOOR

TEYLER'S

GODGELEERD GENOOTSCHAP.

TE HAARLEM,
BIJ J. VAN WALRÉ en COMP.
MDCCCXV.

VERHANDELING

VAN

J. A. BERENDS

OVER DEN

OORSPRONG

DER

PLAGEN

VERHANDELING

TER

BEANTWOORDING DER VRAAG,

WAARBIJ VERLANGD WORDT:

Een beknopt Onderzoek der Stellingen, voorkomende in het voor weinige jaren uitgegeven Werk van wijlen den Hoogl. J. A. EBERHARD, getiteld: *Der Geist des Urchristenthums*, en vooral of meer bepaaldelijk eene bondige wederlegging van het hoofdzakelijk in het derde of laatſte Deel van dit Werk beweerde: *Als of de oorſpronkelijke en zuivere leere des Christendoms, niet dan uit eene* vereeniging *van het* OOSTERSCH GEVOEL *met het* WESTERSCH *of* GRIEKSCH *verſtand of denkvermogen* (ſinn) *zoude ontſtaan zijn, en dus, volgens een natuurlijk beloop van zaken bij eene trapswijze beſchaving der beide Wereldeelen, van louter Menſchelijke afkomst wezen, als voornamelijk ontleend zijnde uit de begrippen der* JOODSCH-ALEXANDRIJNSCHE *Geleerden, en inzonderheid der zoogenaamde* MADRASCHITEN; *en als of, ingevolge hiervan, zoo wel de voorname of* HOOFD-LEERINGEN *des Evangelies, nopens den Perſoon, de Waardigheid en het Karakter van haren Stichter, als al het* WONDERBARE *en* RECHTSTREEKS GODDELIJKE, *waarmede de eerſte verkondiging van hetzelve, volgens de verhalen der Gewijde Schriften van het N. T. vergezeld ging, in* geenen eigenlijken, *maar enkel* ALLEGORISCHEN, *zin opgevat, en inzonderheid het laatſte, alles namelijk wat de verhalen der Wonderwerken betreft, ſlechts als* DICHTERLIJKE BIJSIERADEN, *aan den ſtijl der Geſchiedſchrijveren van dien tijd eigen, en overeenkomstig den toenmaligen heerſchenden ſmaak, beſchouwd zoude moeten worden.*

DOOR

ELIAS ANNES BORGER,

HOOGLEERAAR IN DE BYBELSCHE UITLEGKUNDE, TE LEYDEN.

ONDER DE ZINSPREUK:

Ἰησοῦς δεδύνηται σεῖσαι τὴν πᾶσαν ἀνθρώπων οἰκουμένην, οὐ μόνον ὑπὲρ Θεμιστοκλέα τὸν Ἀθηναῖον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα.

ORIGENES.

Aan welke Verhandeling door TEYLERS GODGELEERD GENOOTSCHAP de GOUDEN EERPENNING is toegewezen.

DISPUTATIO,

QUA CENSETUR SENTENTIA

JOANNIS AUGUSTI EBERHARDI,

DE

ORIGINE ET NATIVA INDOLE RELIGIONIS CHRISTIANAE,

AUCTORE

ELIA ANNEO BORGER,

THEOL. DOCT. ET PROF. IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

DISPUTATIO,

QUA CENSETUR SENTENTIA

JOANNIS AUGUSTI EBERHARDI,

QUA

ORIGINE ET NATIVA INDOLE RELIGIONIS
CHRISTIANAE,

AUCTORE

ELIA ANNEO BORG[illegible],

[illegible]

DISPUTATIO,

QUA CENSETUR SENTENTIA

JOANNIS AUGUSTI EBERHARDI,

DE

ORIGINE ET NATIVA INDOLE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

PROLEGOMENA.

Cum hoc tempore permagnus ſit, eruditiſſimi Viri, numerus eorum, qui ad Theologiam omnemque philoſophiam ſtudia ſua cogitationesque conferunt, tum nemo in hodierno literarum ſtatu tam hospes est, qui nesciat, quam praeclare de utraque disciplina meritus ſit *Joannes Augustus Eberhardus*. Equidem certe et alia excellentiſſimi Viri ſcripta et *Apologiam Socratis* magna cum voluptate me lectitare fateor, in qua ea quoque, quae minus probemus, ingenii elegantiam ubertatemque doctrinae testantur. Quamobrem, ſimul atque ab Eberhardo editum eſſe peculiarem librum acceperamus, quo Religionis Christianae nativam indolem explicaret, dici vix potest, quanta a nobis concepta ſit ejus ſcriptionis exſpectatio. Nam et argumentum graviſſimum erat, dignumque ſtudiis eorum, qui rerum divinarum cognitione delectantur, et is erat Auctor, qui multis doctrinae monumentis eſſet nominis claritatem nactus.

Hoc autem loco fere invitis nobis fatendum est, ſpem nostram, lecto libro, vehementer nos eſſe frustratam. Moleste tulimus, tantam cecidiſſe in ſapientem hominem, eundemque ſenem, inconſtantiam, ut, cujus Religionis per omnem vitam patrocinium

ſuscepisſet, in eadem labefactanda extremum ſpiritum conſumeret. Quod quamvis non ita ſit interpretandum, quaſi Eberhardus infesto animo esset religionem adortus: in errore enim magis, quam in odio culpa est: tamen ejus ſententia eo valet, ut, ſi vera ſit, Christi et Apostolorum doctrina de illustri quodam et excelſo divinitatis loco ad humanam mediocritatem dejiciatur. Tanta autem est, ut nobis quidem videtur, in ipſa rei tractatione confuſio, tanta argumentandi levitas, tanta concludendae rationis temeritas, ut lucidus ordo et philoſophi gravitas prorſus desideretur. Neque enim planum fecit, quod efficere voluit, neque, quod effecisſe ſibi videtur, ejusmodi est, ut ex iis, quae poſuisſet, necesſario conſequatur. Quis autem in tanta re non postulet, ut ſevera ſit ac gravis disputatio, nixa illa atque fundata rectae rationis atque hiſtoriae auctoritate?

Quamvis igitur non admodum probabile ſit fore, ut doctis hominibus Eberhardi ſententia magnopere placeat, tamen, cum aliis ſcriptis ſibi Auctor famam eruditionis magnamque laudem peperisſet, cumque verendum esſet, ne incautorum judicio nominis obesſet auctoritas, ſapienti conſilio a Vobis, Viri eruditisſimi, de Eberhardi libro propoſita quaestio est.

Ut autem cognoscatur, quale ſit illud, de quo omnis haec ſuscepta ſit disputatio, breviter de Auctoris conſilio ſcriptionisque argumento exponamus.

Eberhardus igitur eo libro, cujus titulum infra ſubſcripſimus (*a*), id praecipue egit, ut efficeret, *eam religionis doctrinam, quam Jeſus ejusque Apostoli humano generi tradiderint, quaeque Novi Foederis libris continetur, ex conjuncto humanitati cultu Orientalium et Occidentalium, tamquam ex fonte, fluxisse* (*b*). Ne autem id temere et ſine cauſa contendere videatur, utriusque gentis ſtudia eorumque copulationem longa oratione complectitur. Nos quidem, quo melius appareat, qua via et ratione Auctoris procedat disputatio, quinquepartitum libri argumentum exhibeamus.

I. Auctor, cum de nativa religionis Christianae indole ejusque per orbem terrarum propagatione nonnulla dixisſet (*c*), oſtendisſetque praeclare, quid earum, quas diximus, gentium quaeque proprium ſibi et peculiare habeat, quibusque cauſis earum *discrimen* maxime nitatur (*d*), tandem eo pervenit, ut de Orientalium populorum ſtudiis, doctrina, philoſophia, uberius exponat. Qua quidem disputatione Chaldaeos, Perſas, Indos, Aegyptios, ſatis docte et accurate complectitur. Praecipua autem, quae harum gentium propria ſit, nota in *vi ſentiendi* ponitur (*e*).

II. Explicata Orientalium philoſophia, ad Graecos ſe Auctor convertit, eorumque ſchoolas ac doctrinae converſiones ita perſequitur, ut eas inde a philoſophiae incunabulis repetat, atque per dimidiam Tomi Primi partem usque ad Socratem deducat (*f*): Tomum autem Secundum tribuat enarrandis philoſophiae viciſſitudinibus inde a Socrate usque ad Scepticos (*g*). Ut vero Orientales propriam habebant *vim ſentiendi*, ſic Graecis peculiaris erat *vis intelligendi* (*h*).

III. Cum armis victoriisque Alexandri Magni jam illud esset effectum, ut Graecis cum Orientalibus arctior quaedam, quam antea fuerat, necessitudo intercederet, in Aegypto inprimis facta est utriusque gentis memorabilis contagio. Doctis enim Graecis Alexandriam confluentibus, Judaei, quorum in hac humanitatis sede ingens numerus erat, ad eorum se philosophiam paulatim applicabant. Quae res eam vim habebat, ut *vis sentiendi* Orientalium cum Graecorum *vi intelligendi* coalesceret, utque Judaei, per allegoricam interpretandi rationem, multa Graecorum placita in Sacras suas Literas importarent. Quaenam autem illa placita fuerint, et quo artificio ex Sacro Codice exsculpta, e scriptis Philonis, Josephi et Cabbalistarum intelligi potest (*i*).

IV. Ex hac igitur studiorum conglutinatione profecta est ea religionis doctrina, quae libris N. Foederis continetur. Quod ut Auctor efficiat, paulo uberius de Jesu Christo Filio Dei, de Spiritu Sancto ejusque cum Patre et Filio necessitudine, de miraculis Jesu et Apostolorum, denique de Fide, disputationem instituit (*k*).

V. Postrema libri Parte hujus religionis depravationem publicam et privatam Auctor cum aliqua querela persequitur. Quo loco Neoplatonici, Mystici, Scholastici, in ejus reprehensionem incurrunt. Sacrorum quidem instauratione eo res adducta est, ut religio Christiana ad pristinam suam ac nativam simplicitatem revocaretur; nec tamen perpetuus is fructus fuit, cum nostro tempore obscura et mystica philosophia denuo principatum obtinere incipiat (*l*).

Hoc igitur est, nisi fallor, libri Eberhardiani argumentum. Et nos quidem minime ii sumus, qui de Auctoris laude quicquam detrahere velimus. Quamvis enim in historia philosophiae, in qua maxima libri pars consumitur, parum attulerit, quod non copiosius in scriptis *Bruckeri*, *Tennemanni*, *Tiedemanni*, *Buhlii*, *Degerandi*, *Cari*, aliorum, reperiatur, placet tamen Eberhardi cum brevitate juncta perspicuitas. Illud autem reprehendendum est, quod, cum Auctor inprimis id se acturum dixisset, ut tamquam fontem doctrinae Christianae recluderet, ita a proposito suo declinat, ut hanc causam primariam aliarum rerum mole obruat atque obscuret. Incredibile dictu est in quam angustum spatium summae res concludantur, dum per ea, quae ad caput rei nihil attinent, libere errat et vagatur oratio (*). Quamobrem nobis quidem aliquando in suspicionem venit, Eberhardum, cum vereretur, ne tantae rei patefactione non satis digna esset parvitas tenuitasque libelli, Jesum Christum magno circumfundere voluisse comitatu philosophorum. Atque hoc propterea dicimus, ne quis singulas Auctoris sententias, quae, per universum librum dispectae, nobis aut omnino falsae, aut non satis verae videantur, nos tractaturos existimet (*m*). Suis se terminis disputatio nostra continebit, sejunctis omissisque iis, quorum cum causa primaria aut nulla sit aut perlevis conjunctio.

Itaque cum ad unam religionem Christianam sit omnis revocanda oratio, de ea peculiariter videamus, quid Auctor statuat. Et supra jam a nobis animadversum est, in

Eberhardi libro ordinis curam ita esse neglectam, ut ejus sententia de nativa religionis Christianae indole atque origine non nisi difficulter ad capita quaedam et tamquam summas revocari queat. Nos quidem, repetita libri lectione, ejus opinionem his veluti punctis contineri putamus.

1. Religio Christiana popularis est.

2. Intelligibilis est, nec cadit in sensus.

3. In Religione Christiana vis sentiendi Orientalium cum Graecorum intelligendi vi conjuncta est.

4. Scriptorum N. F. allegorica interpretandi ratio ex hermeneutica Cabbalistarum fluxit.

5. Ipsum argumentum doctrinae Christianae ex conflatis Orientalium Graecorumque studiis manavit.

His igitur Capitibus cum universa Eberhardi de Religione Christiana disputatio contineatur, pauca de iis animadvertamus, ne quicquam dissimulare videamur.

Itaque, ne quis Jesum Christum in religionis doctrina tradenda prorsus alienum fuisse existimet, nec quicquam ab eo novi esse allatum, Eberhardus *popularitatem* doctrinae (liceat enim hoc vocabulo uti) magnis laudibus effert. Ita autem rem suam agit, ut Jesu Apostolorumque laudem et meritum in hac *una* popularitate ponat. Cum enim vult planum facere, Philonis et Cabbalistarum doctrinam minime eandem esse, ac Christianam, nullam aliam notam, qua haec ab illa discernatur, reperit, nisi quod Christi et Apostolorum doctrina *popularis* sit, Philonis vero et Cabbalistarum ad doctos tantum homines pertineat (*n*). Quandoquidem vero Auctor sibi efficere propositum fuerat, doctrinam N. F. ab Orientalium et Graecorum esse doctrina repetendam; ipse autem concedit, popularitatem esse religionis Christianae *propriam et peculiarem, nec aliunde petitam*, ista quidem quaestione supersedendum videtur. Nec tamen ab hoc loco alienum est monere, quam parum sibi constet Eberhardus. Primum religionem Christianam antiquorum philosophorum doctrinas complecti dicit. Cum autem deinde hanc sententiam pugnare videt cum religionis *popularitate*, ita illas philosophorum doctrinas extenuat, ut eorum *subtilitatem* excipiat, eamque a Christo ejusque Apostolis spretam et rejectam esse perhibeat (*o*). Ecqua vero ista philosophia est, quae subtilitate spolietur; qua demta, quid tandem sapientibus viris relinquatur? Atqui hanc Auctor inconstantiam evitasset, si, omissa Dogmatica, ad *unam morum doctrinam* disputationem suam retulisset: quae, quamvis subtilitate vacare non possit, tamen popularem magis rationem sectatur. Nunc autem contraria via rem aggressus est, et omissa morum doctrina, religionis Christianae placita ab Orientalium Graecorumque placitis repetere voluit, *excepta tamen horum subtilitate!* Illud vero philosophi gravitate prorsus indignum est, quod Auctor, cum jam de Jesu Apostolorumque doctrina subtilitatem sustulisset, deinde, ubi ad caput rei perventum est, quasi oblitus eorum, quae dixerat, in *Platonicis Ideis* moratur, ex iisque natam esse doctrinam de Jesu

Mes-

Mesſia et Filio Dei, contendit (*p*). Has igitur dapes Platonicas *populo* apponit. Quaſi vero haec de Ideis doctrina non ſit omnium abſtruſisſima et a populi captu maxime remota. Denique: cum ipſe Auctor, quam haec ſint repugnantia, animadvertit, eo confugit, ut ſcripta Apostolorum ad *doctos tantum eccleſiarum Antistites* misſa esſe, contendat (*q*). Itaque, quam popularitatem tam alta voce laudaverat, eandem, cum exitum oratio non reperiat, tacitus convellit.

Ut igitur popularitatis dos propria est Christianae religionis, ita reliqua, quae Auctor ponit, capita ex ſtudiis Graecorum et Orientalium profecta esſe, cenſet. Et illud quidem negari non debet, a ſapientisſimis utriusque gentis viris ſaepius ejusmodi cultum Dei esſe commendatum, *qui, a ſenſibus remotus, animo et mente contineretur* (*r*). Nec tamen illud continuo ſequitur, religionem Christianam, cum viſus tactusque ſenſus respuat, ad alienam esſe auctoritatem referendam. Nimis vulgare vitium est, a quo ne doctisſimos quidem homines ſibi ſemper caviſe videmus, ſimul atque in variarum doctrinis ſectarum aliquid ſimilitudinis arripueris, continuo alteram ex altera natam esſe, arbitrari (*s*). Si autem haec ſimulitudinum captatio improbanda est in *ſingularibus doctrinis*, quanto magis in *univerſalibus rerum adjunctis*, et, ut ita dicam, *proprietatibus*, qualis est illa, de qua loquimur. Ecqua enim, ut hoc utar, ista dialectica ſit, quae, cum omnes philoſophi vim cogitandi animo tribuerint, Kantianam philoſophiam ex eorum ſcriptis haustam esſe, concludat, cum Kantius quoque eandem menti facultatem tribuat? Istiusmodi quidem argumentationis ea est ratio, ut, niſi hiſtoriae vox auctoritasque accedat, leviſsima ſit judicanda. Est autem haec tanta disputandi perverſitas, ut me vereri fatear, ne Eberhardum non intelligam. Fortaſse igitur non haec est viri doctisſimi ſententia, religionem Christianam, *quatenus intelligibilis ſit*, ex conjunctis Graecorum et Orientalium ſtudiis *directe* (liceat enim ita dicere) esſe profectam: ſed potius hoc dicit, in eo cerni religionis Christianae praestantiam, quod, cum a ſenſibus mentem avocet, hoc nomine cum ſapientisſimorum doctrina virorum ex utraque gente conſpiret. Quod ſi ita vult intelligi, nos quidem non habebit pertinaces disputatores. Quotus enim quisque est, qui, quod a Veteribus vere et recte dictum ſit, id a religione Christiana alienum esſe, putet? Equidem ab ista invidioſa pietate tantum abſum, ut religioni Christi hanc conſenſionem in laudis parte ponam. Neque vero ea res nunc agitur. Quaestio est de illis doctrinis, in quibus poſitum est caput et arx religionis Christianae, in quarum numerum male ab Eberhardo relata est hujus religionis *intelligibilis indoles ſola per ſe*. Cardo rei in doctrinae Christianae *argumento* vertitur, quod ejusmodi est, ut ea indoles intelligibilis ab eo divelli nequeat. Non igitur hoc *univerſale adjunctum* ſolum per ſe est ſpectandum, ſed *nexum et aptum ex ipſo religionis argumento*. Apertius loquar. Jeſus ejusque Apostoli non poterant eam, quam tradiderunt, religionis doctrinam tradere, niſi ſimul eandem intelligibilem traderent, et a ſenſibus ſejunctam: at poterant omnino intelligibilem doctri-

nam commendare, nec tamen eam, quam commendarunt. Argumentum *materia* est, ut loquuntur philosophi, indoles autem intelligibilis, *forma*, quae materiam *sequitur*. Christiana religio sensus semovet; nec tamen, quae sensus semoveat, continuo Christiana est. Hoc Eberhardus adeo non animadvertit, ut, cum Philonis et Cabbalistarum doctrinam intelligibilem fuisse, ostendisset, quasi ipsius *argumenti* diversitatem nihil curans, statim ita rationem concludat, ut eam *eandem* futuram fuisse, ac Christianam, dicat, modo popularis fuisset (*t*). Atqui istud hercle nihil aliud est, quam contendere, annulum, quem in digito gesto, quia rotundus sit, parelion esse aut lunam.

Eorum, quae diximus, pleraque etiam accommodari possunt ad *tertiam* religionis Christianae notam, quam Eberhardus in eo ponit, quod in hac religione *vis intelligendi* Graecorum cum Orientalium *sentiendi vi* conjuncta sit. Qua de re pauca dicamus. Et primum quidem non placet ingeniis adeo terminos ponere, ut Orientalibus vis sentiendi, intelligendi autem, Graecis peculiariter tribuatur. Quis enim est, qui in libro Jobaeo, in scriptis Davidis, Salomonis, aliorumque, non magnam agnoscat vim ingenii? Aut quis adeo friget, qui, ne alios commemorem, Graecorum Tragicorum praestantiam ad unum ingenium referat, demta vi sentiendi (*u*). Deinde, illud quoque reprehendendum, quod Auctor, qui in hoc Graeci ingenii et sensus Orientalis concursu aliquam religionis Christianae notam posuisset, nullam N. F. partem speciminis loco attulit, in qua ea, de qua loquimur, conjunctio appareat. Quod eo magis facere debuerat, quod de doctrina Jesu Graecorum *subtilitatem* et Orientalium *phantasiam*, quibus ingenii sensusque vis maxime cernebatur, penitus fustulerat (*v*). Nunc autem declamatorio impetu ruit oratio, nec reperitur, ubi consistamus. Quid? quod Auctor magis in religionis Statore Jesu Christo, quam in ipsa religione, vim intelligendi cum sentiendi vi conjunctam fuisse, demonstrare videtur (*w*)? Quasi vero, inquit, in ipsa religione non insculpta esse debuerit effigies Auctoris! Concedo, doctissime Eberharde, sed primum, omissa rhetorica, subtiliter et dialectice disputasses: deinde, non unum Jesum Christum, sed Apostolos etiam, qui ejus doctrinam explanarunt, oratione tua complexus fuisses. — Porro, quid est, quod Auctor *ingenium* Jesu Christi *Graecum* appellet, ejus *vim sentiendi* ab *Orientalibus* repetat? Et populari quidem ratione sic fieri potest, ut, cum duo homines aliquam dotem communem habeant, alterius nomen ad alterum transferatur. Magna fuit, ut hoc utar, in Cartesio ingenii subtilitas, magna quoque in Kantio; itaque populariter dici potest, in Kantio fuisse *subtilitatem Cartesianam*: quis autem adeo hebes, qui popularem dictionem ita interpretetur, ut Kantii acumen ex Cartesiano *fluxisse* existimet? Quamobrem si populariter loqui voluisset Eberhardus, non fuisset reprehendendus. Nunc autem ita loquitur in eo libro, quo doctrinae Christianae originem persequitur, eamque a Graecia et Oriente repetendam esse, contendit. Quod ut efficiat, non dicit, Jesum Christum dotibus intelligendi et sentiendi ornatum fuisse: hoc enim damus omnes: sed has dotes *Graecas* et *Orientales*

appellat. Hoc vero ſi intelligi debet, ut ſupra diximus, *Kantium valuiſſe ſubtilitate Carteſiana;* non opus erat ista Graecorum et Orientalium commemoratione, quippe quae ad cauſam, quam Eberhardus ſuſceperat, nullam omnino vim haberet. Sin vero hoc ita est interpretandum, ingenii ſenſusque dotes, quibus ſervator polleret, non nativas fuiſſe, verum potius ab eo ex Graeciae et Orientis fontibus haustas; temeraria oratio est, nulla hiſtoriae auctoritate fundata. Denique, quod de intelligibili religionis indole diximus, idem de ista ingenii ſenſusque conjunctione dici potest. Haec enim *ſola per ſe* nulla est, neque pertinet ad religionem, niſi quatenus *in ipſo doctrinae argumento* cernitur. (*x*).

Quod denique Auctor dicit, (*y*) *allegoricam* interpretandi rationem, jam ante Christum uſurpatam, Alexandriae inprimis floruiſſe, deinde translatam in Palaestinam, ab Apostolis quoque probatam et adhibitam fuiſſe; illud quidem verisimum est, atque ſaepius a Viris doctis monitum (*z*). Neque vero eam nos doctrinae Christianae novitatem praedicamus, quae ex ſeculi, quo nata est, ratione nihil coloris traxerit; (*a*) ſed ipſum doctrinae *argumentum* e philoſophorum ſcholis manaviſſe, negamus. Allegoricam autem V. Foederis interpretationem non ad *ipſam doctrinam* pertinere, ſed ad ejus commendationem adhibitam fuiſſe, quisque intelligit.

De his igitur quatuor doctrinae Christianae *adjunctis* haec pauca monuiſſe, ſufficiat. Omnis res redit ad religionis *argumentum*, quod postremo loco poſuimus. Ne igitur levioris res momenti disputationis nostrae perpetuitati obeſſet, eas in unum locum concludendas existimavimus.

Cum autem, ut ſupra diximus, in immenſum eſſet producenda oratio, ſi omnia, quae temere nobis dicere Auctor videtur, diligenter pertractare vellemus, magnae ſunt vobis gratiae agendae, eruditiſſimi Viri, quod disputationi nostrae certos terminos poſuiſtis, atque aperte indicastis, de quibus maxime quaeri velletis. Satis autem fortaſſe fuiſſet ad refellendam Eberhardi opinionem, ſi efficeremus, inter doctrinam Christianam et Platonicam, Alexandrinam, Cabbalisticam, tantum discrimen intercedere, ut altera ex altera proficiſci non potuerit. Quo autem manifestior fiat Auctoris temeritas, non alienum fore videtur, peculiariter ipſius Novi Foederis testimoniis ostendere, doctrinam Christianam neque Alexandrino-Cabbalisticae, neque alii cuivis inſtitutioni humanae eſſe acceptam referendam. Hoc igitur praeſertim faciemus *Capite Primo*. Reliquae disputationis haec erit partitio, ut *Capite Secundo* complectamur eam philoſophiae Alexandrino-Cabbalisticae partem, ex qua Eberhardus doctrinam Christianam ductam eſſe, contendit. *Tertio* autem *Capite* efficiemus, tantum inter utramque doctrinam discrimen intercedere, ut non tantum nihil ſecum invicem commune habeant, verum etiam vehementer inter ſe pugnent. *Quartum* denique *Caput* quaestionem de miraculis continebit.

Cap.

Cap. I.

Cum aliis rationibus, tum N. Foederis testimoniis efficitur, Religionem Christianam neque ex philosophia Alexandrino-Cabbalistica, neque ex alia quacumqe institutione humana esse profectam.

Quandoquidem gloriae studio ducimur omnes, nec quicquam est, quod ad laudem sibi pariundam magis valeat, quam novarum rerum inventio, mirandum nequaquam est, si in libro Eberhardi, qui se inauditae sapientiae auctorem existimaret, haud pauca loca reperiantur, in quibus se jactet quodammodo et exsultet ejus oratio. Sive autem per ignorantiam, sive per nimiam festinationem hanc sibi novitatis gloriam arrogaverit, illud quidem certissimum est, in omni hac quaestione ab Eberhardo aut nihil omnino aut parum certe novi esse allatum. Et quamquam excusationem habet error eorum, qui, cum in alia doctrinae parte excellant, in alia labuntur: neque enim, ut ait Polydamas apud Homerum, cui a Diis immortalibus concessa sunt πολεμικὰ ἔργα, eidem continuo etiam data est ὀρχηστὺς, et κίθαρις et νοος: tamen ab acuto philologo major erat prudentia adhibenda, quam ut res obsoletas pro novis et inusitatis haberet. Quod cum dicimus, ne quid detrahere doctissimo viro videamur, paulo accuratius de omni hac re praecipiendum est.

Omni tempore haud pauci fuerunt, qui aut universam doctrinam Christianam, aut unam alteramve ejus partem jam scriptis Judaeorum Graecorumve contineri existimarent. Quorum duplex est ratio atque consilium. Alii enim ad commendationem religionis Christianae nihil efficacius ducebant, quam si [vetustae sapientiae voce auctoritateque eam munirent: alii vero hanc ipsam rem in Euangelii contemtum trahebant. Et illorum quidem, qui ad illustrandam doctrinam Christianam cum cetera Judaeorum scripta, tum, ut Eberhardus, Cabbalistica adhibuerunt, permagnus est numerus. Qui cum id agerent, ut non tantum ex his libris N. Foederi aliquid lucis affunderent (*a*), verum etiam efficerent, praecipua religionis Christianae placita a Cabbalistis jam ceterisque Judaicis doctoribus probata commendataque fuisse, eam rem magni momenti fore arbitrabantur ad commovendos Judaeos (*b*). Ut igitur horum consilium ad laudem approbationemque religionis spectabat, ita prioribus praesertim aerae nostrae seculis haud pauci fuerunt, qui doctrinam Christianam hoc nomine vituperarent, quod, quicquid boni verique in ea inesset, id omne jam in veterum libris philosophorum reperiretur (*c*). Quorsum haec? ut appareat, Eberhardum

ni-

nihil inauditi tentavisse. Quamvis enim a viris doctis *diverso consilio* facta est doctrinae Christianae cum Judaica Graecâque doctrina comparatio, nemo tamen est, qui non intelligat, consilii diversitatem ad ipsam rei tractationem nullam vim habere. Neque enim quaeritur, quo consilio, sed quo jure, et quam recte fiat comparatio (*d*). Quod vero dicit disputationem suam in eo esse versaturam, ut appareat, in religione Christiana conjunctam esse vim sentiendi Orientalium cum Graecorum vi intelligendi, est hoc quidem splendide et cum quadam granditate dictum, cave tamen verborum sono decipiare. Ipse enim Eberhardus, ubi proprietatem simplicitatemque orationis sequitur, ista verba commutat cum *Cabbala* et *doctrina Philonis*, in qua ista utriusque gentis vis et ingenium appareat. Quo efficitur, Auctorem, etsi aliis interdum verbis utitur, nihil tamen aliud egisse, quam *Meyerum*, *Vitringam*, ceterosque, quos supra laudavimus. Neque vero hoc ita intelligendum est, quasi a viro eruditissimo nihil omnino allatum sit, quod non alii jam occupaverint. Fatendum enim est, exitum et conclusionem disputationis ejusmodi esse, ut ea contineat, de quibus alii, qui similiter doctrinam Christianam cum Cabbala compararunt, ne per suspicionem quidem cogitaverint. Ea autem quam pauca sint, quamque a vero aliena, postea videbimus.

Ex iis, quae diximus, facile intelligitur, esse certos nobis terminos constituendos, ne disputationis meta migretur. De omnibus enim dicere, quae a *Reuchlino*, *Mirandulo*, *Buddeo*, *Meyero* aliisque allata sint, infinitum sit. Neque adversus hos, sed adversus Eberhardum suscepta est disputatio. Nec tamen illos prorsus silentio praeterire licet, quandoquidem iis cum Eberhardo haud uno nomine communis est sententia. Itaque hoc quidem Caput *universales quasdam rationes* complectetur, quibus refellatur cum Eberhardi, tum omnium eorum opinio, qui doctrinam Christi et Apostolorum sive ex Cabbala sive ex alio quovis fonte humano manavisse existiment, eamve jam *ante* Christum cognitam fuisse arbitrentur.

A. Et illud quidem verissime a viris doctis disseritur, ad Graecorum Judaeorumque conjunctionem nihil plus valuisse, quam victorias Alexandri Magni. Quae res quantam vim habuerit ad Judaicae doctrinae sive emendationem, sive corruptionem, sive omnino immutationem, neminem fugere potest, qui scripta Philonis et apocryphum Sapientiae librum cum Pythagorae atque Platonis doctrina contulerit. Quamquam autem Alexandriae praesertim, ubi degebat Philo, ista studiorum facta est copulatio, cavendum tamen, ne continuo ad plebem Judaeorum Alexandrinam trahatur, quod de Philone aliisque doctioribus constet. Nam Philonem doctrinam suam non populo, sed eruditioribus et μυσταῖς exposuisse, cum ex scribendi obscuritate intelligitur, tum omnibus iis locis ipse fatetur, quibus lectores suos hortatur, ne mysteria, quae ipsis tradat, ad vulgi cognitionem expromant (*e*). Quanto praeterea odio gens Judaica in ceteros homines eorumque literas ferretur, nemo est, qui ignoret (*f*). Quis autem est, qui vel Acta Apostolorum, vel unam

Pauli ad Romanos epistolam legerit, quin intelligat, etiam eos Judaeos, qui extra Palaestinam degerent, tenacissimos fuisse avitae religionis, iisque reliqui generis humani implacabile odium insedisse? Quod si ne Alexandriae quidem, iisque in regionibus, ubi Judaeis cum Graecis arctior quaedam intercedebat consuetudo, si igitur ne his quidem in locis plebs Judaica de legis Mosaicae studio quicquam remisit, aut philosophiam Graecam multi pependit, quid tandem de Palaestinensium vulgo statuendum, cujus ingenium, indolem, mores, vitaeque rationem Euangelistae retulerunt? Et nobis quidem, si in re inani orationem nostram consumere vellemus, facillimum esset multis N. F. locis efficere, qui Judaicae plebi philosophiae externe cognitionem tribuere velit, eum eadem ratione barbaras Americae gentes Fichtianas posse aut Schellingianas appellare.

Neque vero hoc a nobis dicitur, quasi ad refutandum Eberhardum: neque enim Vir eruditissimus, neque quisquam alius, quod sciam, eo insaniae progressus est: sed ne Auctori quicquam absurdi tribuatur. Cum enim se nescire dicat, ususne fuerit Servator Graeca institutione, nec ne? se quidem non credere, illud se vero scire, cujusque hominis sentiendi cogitandique rationem ad temporis, quo vivat, rationem esse accommodatam; itaque doctrinam Christianam, si minus directo, (*unmittelbar*), certe oblique, (*mittelbar*), ex Graecorum Orientaliumque fontibus fluxisse (*g*); haec ergo cum Auctor dicat, facile quis possit adduci, ut Eberhardum in ea versari sententia opinetur, religionis Christianae argumentum ita non novum et inauditum fuisse, ut *plerisque* jam ante Christum, certe eodem, quo hic vixerit, tempore cognitum atque probatum fuerit. Est enim procul dubio dictionis: *temporis ratio:* ea vis, ut ad populum non minus, quam ad doctos, referri queat: cumque Auctor doctrinam Christianam ex hac temporis ratione *oblique* haustam esse contendat, nemo est, qui, si verba per se spectet, non potius de magna populi parte, quam de paucis eruditis cogitet. Nos igitur doctissimi Viri orationem a perversa interpretatione vindicare voluimus, qui, cum saepius perspicue sententiam suam aperuerit, hoc quidem loco aliquantum ruisse in dicendo videtur.

Cum igitur Eberhardus ex temporis indole ac ratione repetitam esse Christianam doctrinam contendat, temperanda vis verborum est, et ad unum revocanda doctorum hominum coetum. Sic enim fert usus loquendi, ut, cum seculi rationem Wolfianam, Leibnitzianam, Kantianam dicamus, non ad quemvis ex populo, sed ad politiores tantum haec dictio trahatur. Quaeritur igitur, quos intelligat Eberhardus doctos? Et Pharisaeos quidem ac Sadducaeos, quorum sit frequens in N. F. mentio, si quis in eruditorum numerum referre velit, nos quidem non magnopere repugnantes habebit. Quod si autem longa oratione efficere vellemus, ex horum scholis religionem Christianam neque profectam esse, neque proficisci ullo pacto potuisse, nugatorium quiddam ac ridiculum susciperemus, nec quicquam hoc ad Eberhardum, quippe quo nihil ab hac opinione alienius esse potest. Ecquis enim aut in libris N. F. aut in historia philosophiae adeo hospes

est,

est, qui ignoret, istorum sapientiae tantam esse cum Christi doctrina pugnam ac conflictionem, ut nulla major et vehementior esse possit? (*h*)

Itaque haec est Eberhardi sententia: ex philosophia Alexandrina in Aegypto, exque Cabbalistica in Palaestina, tamquam ex parentibus, genitam esse eam religionis doctrinam, quam Christus ejusque Apostoli humano generi tradiderint. Et illud quidem facile conceditur, saepiusque a nobis postea dicetur, doctrinae Alexandrinae et Cabbalisticae tantam esse similitudinem et cognationem, ut haec ex illa ducta et propagata videatur. Neque hoc negandum est, magnam utriusque doctrinae partem a Graecis fontibus fluxisse. Illud non continuo damus, *ejusmodi Cabbalam, quae ex philosophia Alexandrina nata sit, jam eo tempore in Palaestina extitisse, quo vixit Servator mundi.*

Primum enim, nullum, ut postea videbimus, monumentum Cabbalisticum extat, quod tantam antiquitatem habeat, ut Christi seculum attingat: constatque inter omnes, eos etiam libros, quorum maxime fertur vetustas, haud paulo post Christum editos fuisse in lucem (*i*). Neque viri doctissimi, qui jam ante Servatorem Cabbalam quandam *puriorem* extitisse putant, aliud quicquam agunt, quam ut pro historiae veritate conjecturae simulacrum arripiant (*k*). Etiamsi vero purior ejusmodi Cabbala fuerit, quânam tandem machinâ ex ea doctrina, cujus nullum prorsus vestigium supersit, religio Christiana erui extundique possit (*l*)? *Deinde*, quod Alexandriae facile facta est Graecae philosophiae cum Judaicâ societas, ejus rei duae praesertim causae fuerunt; quarum altera posita est in ipsa rei natura. Cum enim in ea urbe doctrinarum veluti sedes ac domicilium esset constitutum, essetque incolarum ex utraque gente maxima frequentia et inter se familiaritas, non potuit profecto ex ista populorum coitione non insignis existere studiorum conjunctio. Altera causa haec est, quod gens Judaica neque a Graecorum se contemtu vindicare, neque ad aliquem apud Ptolomaeos honoris censum adspirare poterat, nisi doctiores certe Judaei ad eam se philosophandi rationem adplicarent, cujus amore ipsi reges principesque in civitate viri tenerentur (*m*). Harum autem causarum neutram ad Judaeos Palaestinenses transferri posse, et res ipsa loquitur, et statim apparebit. Si quis igitur Alexandrinorum exemplo adductus, Palaestinae quoque incolas aeque propensos fuisse ad Graecorum doctrinam putet, is quidem concludendi temeritate labatur. Animadvertendum enim *porro* est, quamdiu templum Hierosolymitanum integrum esset, tamdiu ob Graecarum praesertim literarum studium Judaeos Alexandrinos a Palaestinensibus maximo fuisse odio habitos. Quis enim ignorat, ex hoc odio profectam esse duram illam formulam, toties in *Gemara Babylonica* repetitam, Aristobuli jam et Hyrcani tempore constitutam, ארור אדם שילמד בנו חכמת יונית, *maledictus, qui filium suum Graecam sapientiam docet?* (*n*) Unum addamus locum *Josephi*, quo appareat quam invisa fuerint Judaeis eum Graeciae tum ceterarum gentium studia. Ille igitur sic ait: Λέγω δὲ θαρσήσας ἤδη διὰ τὴν τῶν προτεθέντων συντέλειαν, ὅτι μηδεὶς ἂν ἕτερος ἡδυνήθη, θελήσας, μήτε Ἰουδαῖος μήτε ἀλλόφυλος, τὴν πραγμα-

τείαν ταύτην οὕτως ἀκριβῶς εἰς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. ἐγὼ γὰρ ὡμολογούμην παρὰ τῶν ὀμεθνῶν, πλεῖστον αὐτῶν κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέρειν. καὶ τῶν Ἑλληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπούδασα μετασχεῖν, τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαβὼν, τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβειαν πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια. παρ' ἡμῖν γὰρ οὐκ ἐκείνους ἀποδέχονται τοὺς πολλῶν ἐθνῶν διάλεκτον ἐκμαθόντας, καὶ γλαφυρότητι λέξεων τὸν λόγον ἐπικομψεύοντας. διὰ τὸ κοινὸν εἶναι νομίζειν τὸ ἐπιτήδευμα τοῦτο οὐκ ἐλευθέρων μόνον τοῖς τυχοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκετῶν τοῖς θέλουσιν· μόνοις δὲ σοφίαν μαρτυροῦσι τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπισταμένοις, καὶ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις. διὰ τοῦτο πολλῶν πονησάντων περὶ τὴν ἄσκησιν ταύτην, μόλις τινὲς δύο ἢ τρεῖς κατώρθωσαν, καὶ τῶν πόνων τὴν ἐπικαρπίαν εὐθὺς ἔλαβον. (*o*). Ex hoc igitur loco, cui ex Disputatione Ernestina alia adjungi possunt, illud certe intelligitur, iis Judaeis, qui ante urbis templique direptionem in Palaestina viverent, Graecam sapientiam non ita cognitam ac probatam fuisse, ut isto jam tempore ea Cabbala, cujus magna pars de media Platonis philosophia sumta est, in hac regione existere potuerit. Quae *denique* mox de Pharisaeis dicturi sumus, magnam ea vim habent ad efficiendum, si qua Jesu Christi aetate Cabbala extiterit, eam prorsus *Judaicam* fuisse, neque ex philosophia Alexandrina ullo posse pacto propagatam esse.

B. *Ea Cabbala, quae tempore Jesu Apostolorumque in Palaestina usitata erat, ita fuit comparata, ut Christiana doctrina ex ea proficisci non potuerit.* Cum de re magis, quam de nomine rei quaestio sit, Cabbalam hic dicimus eo significatu, quo eam ipse dixit Eberhardus (*p*), ut sit summa earum doctrinarum, quae per artificiosam et allegoricam interpretandi rationem ex V. F. exsculpebantur. Itaque in hac de Cabbala quaestione duo distinguenda sunt, cum *ars interpretandi*, tum *ipsa doctrina*, quae per eam artem e Sacris libris eliciebatur. Et Sadducaei quidem, qui gravissimas religionis partes parvi pendebant, omnemque Traditionem contemnebant, quam alieni fuerint ab istis nugis Cabbalisticis, satis constat (*q*). Pharisaeorum vero alia fuit ratio, quippe qui in Sacrarum studio literarum maximam operam ponerent. Hi erant οἱ δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα. σύνταγμά τι Ἰουδαίων, δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι. οἱ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν. (*r*). Hi tantam erant auctoritatem consecuti (*s*), ut vel *Synedrii assessores* ex iis crearentur (*t*); a quibus id postulabatur, ut singulorum eruditio septuaginta linguarum cognitionem complecteretur (*u*). Qua quidem re nihil aliud significari videtur, nisi eos artificiosae interpretationis facultate debuisse valere (*v*). Quae igitur tempore Christi Cabbalistica, i. e. allegorica et artificiosa interpretandi ratio extitit, ea ad unam Pharisaeorum sectam pertinuisse videtur (*w*). Quamobrem mirandum etiam minime est, a Paulo Apostolo, Pharisaicâ disciplinâ imbuto, allegorias saepius usurpari (*x*). Jam vero, si quis ex nobis sciscitari velit, ecqua ex ista interpretandi arte doctrina Pharisaica extiterit, eum quidem rogatum volumus, ne nobis molestus sit. Quis enim ferat orationem nostram in eo versantem, ut religionem

nem Christianam omnibus fere partibus cum Phariſaica pugnare intelligatur, neque magis ex hujus fonte fluxiſſe, quam ex aquâ ignem? (*y*)

Et ea quidem Phariſaeorum doctrina, quam ex Joſepho inprimis et N. Foedere cognoscimus, quantopere cum Christiana pugnet, ne in disceptationem quidem cadere videtur. Quidni vero existimemus, *publicam* Phariſaeorum theologiam ab eorumdem *privata* esſe discernendam, eosque inter ſe coluiſſe disciplinam quandam *arcanam*, ductam illam ex philoſophia Alexandrina, et a Servatore tandem ad publicam notitiam proditam?

Nolumus ad convellendam istam opinionem repetere, quae ſupra (A) diximus, neque hoc loco praecipere, quae mox (C) allaturi ſumus. In praeſens ſufficiat tria notaviſſe. Primum: ejusmodi disciplinae arcanae et purioris, quam Phariſaei coluerint, non tantum in N. F. nulla fit mentio, verum etiam, quaecumque de iis commemorantur, ſatis ſuperque docent, omnem eorum ſapientiam rebus externis iisque nugatoriis fuiſſe contentam. Quo nomine cum a Servatore ſaepius acerrime reprehenderentur, et quidem populo audiente, cujus benevolentiam maxime Phariſaei captabant, hi acerbiſſimo in eum odio ferebantur (*z*). *Deinde*: cum Servatorem ſaepius videamus falſas Judaeorum opiniones ita in uſus ſuos convertiſſe, ut iis nixus ipſorum criminationes retunderet, (*a*) qui tandem factum est, ut, cum adverſus Phariſaeos disputaret, ad hos repellendos nusquam doctrinam istam puriorem et arcanam commemoraverit, atque hac ratione eos κατ' ἄνθρωπον refutaverit, praeſertim cum eam doctrinam non falſam ſed veram existimaret, quippe ab ipſo probatam? (*b*) Denique: quandoquidem Servator, ut mox videbimus, ea de ſe ſuaque doctrina, etiam coram ipſis Phariſaeis, praedicabat, quae plena vanae jactantiae, impudentiaeque fuiſſent, ſi ex horum ſcholis doctrinam ſuam duxiſſet, nihil quidem Phariſaeis facilius esſe poterat, quam discipuli ſui puerilem retundere ſuperbiam.

C. *Etiamſi vero ſumamus, Philoſophiam Alexandrinam jam tempore Jeſu Christi in Cabbalam Palaestinenſium Judaicam fuiſſe receptam, negamus tamen, doctrinam Christi et Apostolorum ex hac Cabbala esſe ortam.*

1. Doctrinae Cabbalisticae eum ſemper honorem esſe habitum, ut, a populi captu remota, doctioribus tantum et tamquam initiatis pateret, conſtat inter omnes, qui ſcripta *Reuchlini*, *Rittangelii*, *Pistorii*, *Knorrii*, aliorumque vel levi manu tractaverint (*c*). Cum igitur Eberhardus ſe nescire dicit, uſusne fuerit Servator erudita educatione nec ne, ſibi ſatis esſe ſcire, cujusque cogitandi rationem accommodatam esſe ad temporis, quo vivat, indolem; haec igitur cum dicit, repugnantia, nec ſatis ſibi conſentanea dicit. *Eruditam* enim *educationem* cum *temporis rationi* opponat, atque, ex hac Servatorem doctrinam ſuam repetere potuiſſe, contendat, dica ei ſcribenda est violatae Cabbalae. Alio enim loco religionem Christianam ex Cabbala, alio ex temporis ratione velle ducere, deinde hanc illi opponere, quid hoc aliud est, quam mysteria e doctorum umbraculis pellere, et ad leviſſimi vulgi cognitionem proferre? Itaque qualem dicat rationem temporis ipſe viderit. Illud quidem

ex iis, quae diximus, satis certum est, si doctrina Christiana ex philosophia Cabbalistica, sive Alexandrina, fluxerit, Jesum ejusque Apostolos hunc fontem ipsum adire debuisse, adeoque eos omnino erudita institutione usos fuisse. Ipse quoque Eberhardus, quasi oblitus eorum, quae dixerat, hoc satis aperte fatetur. Eam enim doctrinam, quae antea Philonis et Cabbalistarum *peculiaris* fuisset, et ad *doctos tantum homines* pertinuisset, a Jesu dicit primum fuisse factam *popularem* (*d*).

Jam vero quotusquisque est, qui, si Novi Foederis libros paulo accuratius tractaverit, non statim intelligat, Jesum Christum ejusque Apostolos neque ex Cabbalisticae, neque ex Alexandrinae fonte philosophiae doctrinam suam hausisse? (*e*). Et ad Jesum quidem quod attinet: etiamsi nulla in N. F. aperta indicia extarent, quibus appareret, eum eruditione Cabbalistica sive Alexandrina aequaquam fuisse imbutum, tenuis tamen, in qua versatus est, conditio satis esset ad istam refellendam opinionem (*f*). Cives ipsius Nazaretani, inter quos erat τεθραμμένος, (*Luc.* IV. 16.) mirantur, πόθεν τούτῳ ἡ σοφία ταύτη; (*g*). Quae civium admiratio argumento est, Jesum non tantum in urbe patria Cabbalistarum institutione minime usum fuisse, sed neque Hierosolymae, neque in alia quavis regione. Primum enim, cujus sumtibus, in hac rei mediocritate? Deinde: qui nescire in hoc oppidulo homines poterant, Jesum adolescentiam suam alibi in literis discendis consumsisse, aut si sciverint, quae erat causa mirandi? (*h*) Quid vero evidentius esse potest eo loco, ubi Judaei admiratione doctrinae Servatoris capti fuisse dicuntur, quaerentes, πῶς οὗτος γράμματα οἶδε, μὴ μεμαθηκώς?? (*i*) Ab iis hoc dicitur Judaeis, quibus ad convellendam auctoritatem divinam, quam sibi Servator suaeque doctrinae vindicabat, nihil antiquius esse poterat, quam istam divinitatem ad humanas scholas detrudere. Ita autem loquuntur, ut qui Jesu vivendi rationem, quam ante munera publici gestionem secutus fuerat, bene perspectam et cognitam habeant. Neque vero quicquam facilius esse poterat, quam ex civibus Nazaretanis sciscitari, undenam tantam fuisset vim doctrinae adeptus, cum praesertim, ut diximus, ea res multum valuisset ad labefactandam Jesu auctoritatem. Si quis autem locum ita interpretari velit, ut τὸ: μὴ μεμαθηκώς, ad Hierosolymitanam tantum, non item ad aliam quamvis academiam revocetur, (*k*) is quidem arbitraria ratione vim inferat verbis. Cumque Servator ad hanc Judaeorum admirationem ita respondet, vs. 16. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με· quid quaeso hoc aliud est, quam Judaeos hortari, ut mirari desinant, quandoquidem ipsius doctrina minime ex humanis scholis ducta sit, atque profecta? Verum hac de re postea uberius dicetur. Huc denique retulerim eum locum, ubi Jesus dicit, se gratias agere Deo immortali, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. (*l*) De quo loco recte dixerunt meliores interpretes, voculam ταῦτα non nisi ad sequentia, vs. 27. referri posse (*m*). Ibi autem sermo est de dignitate et potentia Jesu Messiana: quae quidem doctrina, ut infra videbimus, ab ipso Eberhardo primarium religionis caput habetur.

Hanc

Hanc igitur doctrinam, qua ſublata omnis claudicat Christiana religio, Judaici doctores ignorabant, (*n*) intelligebant νήπιοι, homines imperiti. Et tamen ex illorum inſtitutione Christus doctrinam ſuam repetiit! Quod ſi quis hanc argumentationem ita infringere velit, ut dicat, hunc eſſe ſenſum verborum, *Judaicos quidem doctores eandem ſibi Meſſiae ſpeciem animo informaſſe, atque eam, quam Servator vs. 27. veluti depingit, hanc autem fuiſſe eorum ignorantiam, quod nescirent, ipſum Jeſum hunc Meſſiam eſſe;* ille quidem nihil dicat. Primum enim novimus, Judaeos hoc tempore eam Meſſiae ſpeciem, (ideam), concepiſſe, quae a perſona Jeſu maxime discreparet: deinde, ſi talem Meſſiam cogitarunt, qualis Jeſus Nazaretanus fuit, qui factum est, ut Jeſum nescirent eum eſſe Meſſiam, quem ſibi mente et cogitatione finxiſſent? Neque quis dicat, doctiorum ſententiam a plebeja eſſe distinguendam. Quid enim? Cum Servator vs. 27. dicit, neminem ſe poſſe Meſſiam agnoscere, niſi ei ἀποκαλύπτηται, quomodo quaeſo hoc intelligi potest, niſi ſtatuamus, illos σοφοὺς et συνετοὺς longe allum, quam Jeſus fuit, Meſſiam cogitaſſe? (*o*) Neque eorum me moveat oratio, qui fortaſſe dicant, vocibus σοφῶν et συνετῶν intelligendos eſſe Judaicos doctores *univerſe*, non item *ſingulare* genus Cabbaliſtarum. Primum enim, ſi gregarii Rabbini hoc nomine ornantur, quanto magis Cabbaliſtae: deinde, νήπιοι quibusvis doctiorum generibus contrarii opponuntur. Quamobrem concludendum eſſe videtur, Jeſu Apostolorumque de Meſſia doctrinam, quae primaria ab ipſo Eberhardo habetur, ex Cabbalae fontibus nullo pacto hauriri potuiſſe. Quicquid autem hujus rei ſit, illud certe nemo dubitaverit, Jeſum, (collata formula: σὰρξ καὶ αἷμα, *Matth.* XVI. 17.) de istis σοφοῖς et συνετοῖς *per contemtum* loqui, coll. vs. 28. quod aut ingrati aut ſuperbi fuiſſet, ſi eorum inſtitutioni ſuam debuiſſet ſapientiam referre acceptam. Ceterum, quid ipſe Jeſus de doctrinae ſuae origine praedicet, infra videbimus. Discipuli autem Servatoris, (qui ab ipſo Jeſu νήπιοι *l. c.* a doctis Judaeis ἀγράμματοι et ἰδιῶται habentur *Act.* IV. 13.), quantopere ab eruditione Cabbaliſtica ſive Alexandrina alieni fuerint, non operae pretium est multis demonſtrare. Neque enim Eberhardus, neque alius quisquam ſanioris mentis hanc iis eruditionem tribuit. Etiamſi vero ſumamus, (nam interdum abſurda paulisper ſumenda ſunt,) istos piscatores, antequam in Jeſu notitiam venirent, ſtudio Cabbaliſtico operam dediſſe, ecquid tandem commendationis hinc poſſit ſententiae Eberhardi accedere? Quin etiam, cum eos in earum rerum, quae ad βασιλείαν τῶν οὐρανῶν pertinerent, maxima ignoratione verſatos fuiſſe conſtet (*p*), nihil ad refutandam Eberhardi ſententiam magis valeret, quam ſi eos ex ſchola Cabbaliſtarum errores ſuos traxiſſe ſtatueremus. Verum haec hactenus (*q*).

Neque vero in *Pauli* ſive historia ſive epistolis quicquam reperitur, quod vel leviſſimam ſuſpicionem moveat, eum ex Cabbaliſtica, Alexandrina, aliâve quacunque philoſophia doctrinam ſuam Christianam repetiiſſe. Nobis quidem, cum angustis limitibus circumſcripta ſit nostra disputatio, non niſi pingui Minerva agendum est. Neminem autem fo-

fore arbitramur, modo animum afferat praejudicatis opinionibus vacantem, quin, vitam Pauli ejusque scripta legens, quavis fere parte in ea incidat, quae cum Eberhardi sententia nullo pacto conciliari possint. Infinitum sit tam ex *Actis Apostolorum*, quam ex ipsius epistolis omnia loca commemorare, quibus luce clarius appareat, eam doctrinam, quam ipse annunciaret, et Graecis et Judaeis, doctis etiam, plane incognitam et inauditam fuisse. Hinc illa vitae pericula, hinc insidiae, hinc dirissimae cujusvis generis calamitates. Quid doctrinae Pauli et Jesu Christi consensionem commemorem, qui, ut supra dictum est, et postea dicetur, ex Cabbalistarum fontibus minime hortulos suos irrigavit? Caveamus vero ne vagetur oratio, eamque ad brevia quaedam capita revocemus.

α. Gamalielis, magna viri auctoritate, (*r*) Paulum discipulum fuisse constat. Qui cum esset Pharisaeus et legis peritus, ipse quoque magistri exemplo huic se sectae addixit, institutus κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου (*s*). Quamvis autem Tarsi natus erat, omnem tamen aetatem, antequam Christianam doctrinam susciperet, in hac Gamalielis institutione consumserat Hierosolymae, (*t*) quod ipsi Judaei minime ignorabant (*u*). Quicquid igitur eruditionis in Paulo fuit, id omne ex Gamalielis eum schola duxisse necesse est. Hanc eruditionem fac Cabbalisticam fuisse, id est, eam, quae philosophiam Alexandrinam sibi tamquam sociam adjunxisset. O rem mirabilem et quovis monstro majorem! Paulus in Paulum saeviit, et qua doctrinâ a teneris unguiculis imbutus fuerat, quaeque cunctam in se religionem Christianam continebat, ea hominem incredibili furore in hanc ipsam religionem armavit, et ad caedem perniciemque Christianorum impulit; (*v*) simul atque vero eandem doctrinam deseruit, in Christi se castra alacri animo contulit! Quicquid autem de mentis Paulinae mutatione judicandum sit, quam Lucas narrat (*w*), illud quidem nemo negaverit, illam mutationem *repentinam* fuisse, nec diu praemeditatam. Si igitur religionis Christianae argumentum doctrinâ Cabbalisticâ contineretur, quam Paulus a Gamaliele acceperat, ecqua tandem saeviendi, ecqua subitae causa poenitentiae fuit? Tolle illam vocem coelestem, et cum *Ammone* fulgura substitue ac tempestatem, quid ergo? Qui sedate cogitateque Gamalielis auctoritatem hac religione infringi existimet, is *in itinere*, in maxima mentis perturbatione, tonitruum circumsonante fragore, eam de repente subtilitatem arripiat, ut utriusque doctrinae tamquam conspirationem perspiciat! Nolumus esse longi, ubi brevibus esse licet. Praetermittimus eorum omnium locorum interpretationem, quibus ipse doceat, omne suum in religionem Christianam odium ex ea fuisse doctrina profectum, qua in Pharisaeorum scholis inde a pueris fuisset imbutus. Una legatur ipsius de se narratio, *Gal.* I. 11-17., quae, nisi omnem evertere vim verborum velis, omnesque migrare leges interpretandi, omnino sufficere debet ad opinionis, quam impugnamus, vanitatem aperiundam.

β. Paulus religionem Christianam doctrinae Judaicae ac Graecae ita opponere solet, ut, si quidem illi fides habenda, ex hujus stirpe nullo modo illa nasci potuerit. Et ad Judaicam

eam doctrinam quod attinet: cum hoc loco non de lege Mosaica, aut de universo V. F. sed de Cabbalistico-Alexandrina philosophia, ejusque usu in S. Scripturae interpretatione sermo sit, non operae pretium fuerit, ea hic loca congerere, quibus Paulus, ceteriique Apostoli legem Mosaicam abrogatam esse perhibeant, (x) nec δικαιοσύνην ullo alio ex fonte hauriri posse, nisi ex religione Christiana (y). Neque tamen existimandum est, eorum locorum non maximam vim esse ad refutandum Eberhardum. Cum enim in allegorica legis interpretatione, tamquam in fundamento, sapientia Cabbalistarum maxime niteretur, nonne ea res argumento esse debet, magnam huic legi auctoritatem ab iis tributam fuisse? Homerum accepimus multos antiquitus allegorice fuisse interpretatos, (z) ne auctoritati, qua apud Graecos Romanosque valeret, (a) fabularum obesset impietas. Eâdem licentiâ, ut ipse Eberhardus fatetur, Alexandrini et Cabbalistae versati sunt in iis legis partibus interpretandis, quibus rituum ac jurium civilium descriptio continetur (*). Itaque et philosophiam Pythagorico-Platonicam in legem Mosaicam ceterosque V. F. libros importabant, et rursus, quae ex his libris artificiosa interpretatione exsculpserant, in eam philosophiam transferebant. Unde facta doctrinarum mixtura est. Neutrum autem fecissent, nisi legis cunctique Veteris Foederis agnita fuisset auctoritas (†). Cum autem Paulus eam praesertim legum Mosaicarum partem abrogatam esse contendat, in qua se maxime istorum philosophorum jactare solebat sapientia, quid tandem hoc aliud est, quam Cabbalae subruere fundamenta, ut novis jactis nova superstrui doctrina possit? Didicerit Apostolus in Gamalielis schola istam Cabbalistico-Alexandrinam philosophiam: ita certe eam didicit, ut quae a legis auctoritate disjungi divelliique non posset (b); hac vero ab ipso auctoritate sublata, quomodo tandem non omnem debuit Cabbalam contemnere?

Quid vero ad infringendam Eberhardi sententiam efficacius esse potest iis locis, quibus Apostolus de eruditione cum Ethnica, tum Judaica *per contemtum loquitur* (c), quibus suam se doctrinam minime ex *humana institutione* hausisse perhibet, (d) quibus denique hanc doctrinam *Judaeorum et Graecorum eruditioni diserte opponit.* Et singula quidem loca accurata interpretatione persequi nunc non vacat. Quotus autem quisque est, qui vel duo priora Capita I ad Cor. epistolae legerit, quin intelligat, Paulum de religione Christiana, deque Judaeorum ac Graecorum sapientia loqui, tamquam de doctrinis contrariis et pugnantibus inter se? (e) „ Judaei quidem σημεῖα αἰτοῦσι, καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν· ἡμεῖς „ δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ μωρίαν. (I. 22, 23.). „ Etenim τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ (25.). Quandoquidem igitur ὁ „ κόσμος διὰ τῆς σοφίας οὐκ ἔγνω τὸν θεὸν, Deus ἐμώρανεν τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου (20, 21), „ et εὐδόκησεν ὁ θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας, (21) elegitque „ Deus τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ (27.). Quodsi ἄρχοντες τοῦ κόσμου „ novissent θεοῦ σοφίαν, non in crucem egissent Jesum Christum (II. 8.). Nemo autem „ mortalium hanc σοφίαν novit, καθὼς γέγραπται· ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ

„ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. (II. 9.)
„ Quae cum ita sint, ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου;
„ (I. 20.) Atque haec omnia ita sunt a Deo constituta, ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ. Piget plura congerere. Quod si, ut Eberhardi fert sententia, religio Christiana ex Judaica Graecaque doctrina tamquam ex stirpe quadam pullulaverit, mendax fuisset Paulus, etiamsi Scythis aliisve barbaris hominibus ista scripsisset: nunc vero, cum scripserit Corinthiis, politissimis hominibus, Judaeis aeque ac Graecis, qui omnium optime de convenientia pugnave doctrinae Pauli cum sua ipsorum doctrina judicare poterant, aut prorsus caecutio, aut intelligi nequit, quo pacto Apostolus impudentiae posit notam effugere.

γ. Cum iis, quae diximus, arctissime conjunctum est, quod Paulus doctrinam Christianam saepius μυστήριον appellat, qua voce significatur id, *quod latebat, ac plane incognitum erat hominibus.* (*f*) Dicit, illud μυστήριον fuisse χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, *Rom.* XVI. 25. ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, *Eph.* III. 9. σοφίαν ἀποκεκρυμμένην, 1 *Cor.* II. 7. Ejus autem patefactionem non a doctorum hominum scholis, sed ab *ipso Deo* repetit. Illam enim sapientiam occultam fuisse dicit ἐν θεῷ, *Eph.* III. 9. Deum illud μυστήριον ipsi γνωρίσαι, *Eph.* I. 9. Seque illud cognoscere κατὰ ἀποκάλυψιν, *Rom.* XVI. 25. quam vocem *patefactionis divinae* vim habere, supra vidimus. Ne quis autem existimet, Paulum doctrinam Christianam μυστήριον appellare, quoniam *populo* tantum lateret, *doctis* autem hominibus satis cognita esset, diserte dicit, se non annunciare σοφίαν τοῦ αἰῶνος τούτου, οὐδὲ τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου, ἀλλὰ σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν, ἢ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη. 1 *Cor.* II. 6-9. Potestne quicquam dici apertius? Ne autem in unius Pauli auctoritate causae nostrae praesidium ponere videamur, alteram quoque partem audiamus, videamusque, quid Ethnici: nam de Judaeis satis ex libris N. T. constat: de Christiana doctrina senserint. Hi vero tantum abest ut hanc doctrinam jam antea cognitam existimarent, ut eam potius hoc nomine contemnerent, quod *nova* esset et *inaudita.* Cum enim Eberhardus religionem Christianam ex conjunctis Orientalium et Graecorum studiis fluxisse contendat, *Tertullianus* diserte refert, Christianos ab adversariis appellatos fuisse *tertios* et *tertium hominum genus*, quoniam *novam* religionem profiterentur, nec *Judaicam* nec *Graecam* (*g*). *Isidorus* autem *Pelusiota* docet, quid respondendum sit ei, qui *Graecorum dogmata venerans* eam ob causam doctrinam Christi reprehendat, ὅτι καινήν τινα, καὶ παρὰ τὴν ἀρχαίαν συνήθειαν, εἰσηγήσατο πολιτείαν (*h*). Qui autem melius de doctrinae Christianae et Alexandrinae similitudine existimare poterant, quam ipsi Alexandrini et Neoplatonici? Hi vero quanta odii acerbitate Christianos eorumque religionem prosecuti sint, satis constat (*i*). Itane fecissent, si doctrinae Christianae eam, quam dicit Eberhardus, cum philosophia sua cognationem animadvertissent? Aut si animadvertissent, et tamen, quacunque demum de causa, chris-

Christianorum sectam probare noluissent, nonne hoc praesertim nomine eorum religionem reprehendissent, quod nihil novi haberet, atque tota ex ipsorum esset philosophia hausta? Ne autem rogando et conjiciendo rem conficere velle videamur, possunt omnino ex antiquorum ecclesiae doctorum scriptis satis multa loca afferri, quibus constet, illos adversarios in impugnanda hac religione ea ratione usos fuisse, ut eam ex antiqua philosophia manasse, dicerent. Hoc vero non perhibebant de *illis placitis* doctrinae Christianae, in quibus praecipuum ejus argumentum ab ipso Eberhardo ponitur; sed tantum de *praeceptis quibusdam moralibus*, quae ab antiquis jam philosophis tradita fuisse, contendebant (*k*). Si igitur vel somniando cogitassent, doctrinam N. T. de Jesu Messia: hoc enim est, ut putat Eberhardus, religionis Christianae caput: eam igitur doctrinam a Platonicis fontibus fluxisse, eosne tacituros fuisse, arbitrare?

δ. Cum denique Paulus doctrinae suae *divinam* auctoritatem tribuit, non solet ludicram illam divinitatem inducere, qua ad Deum referatur, quicquid bonum, verum, praestans, salubre, sit, undecumque tandem ejus notitia venerit (*l*), sed *proprio sensu* eam divinam auctoritatem accipit, id est, doctrinam suam ita ad *Deum* refert, ut ab ea *humanam* sapientiam *diserte* arceat. Doctrinam enim, quam commendet, adeo esse *humano* captu superiorem, ut non tantum *nemo mortalium* eam umquam mente et cogitatione complexus *fuerit*, sed ne complecti quidem *potuerit*, aut *possit*, nisi eam ab *ipso Deo* acceperit, quippe qui *unus* eam capiat, 1 *Cor.* II. 9-11. Itaque gratias se agere Deo, quod Thessalonicenses hanc doctrinam acceperint, non ut λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον θεοῦ, 1 *Thess.* II. 13. Qui igitur admonitiones suas parvi faciat, illum οὐκ ἀθετεῖν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸν θεὸν, 1 *Thessal.* IV. 8. Neque enim se aut ab *homine* quocunque, aut etiam ab *Apostolo* esse hac doctrina imbutum, sed ab *ipso Deo* δι ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Gal.* I. 1, 11, 12, 15, 16, 17, 19. II. 6. Cum igitur Paulus doceat, se *neque ab hominibus* didicisse, neque *suo ipsum ingenio* hanc sapientiam fuisse assecutum, sed *divina* institutione accepisse, quomodo tandem hanc doctrinam e scholis Alexandrinorum Cabbalistarumque petere potuit? Aut si petierit, quomodo mendacii poterit absolvi?

Ut ergo Paulum videmus eam doctrinae suae divinam originem praedicare, quae ab humana sapientia sejuncta sit, ita Christus quoque docrinam suam ad Deum refert auctorem, eo quidem sensu, ut quicquid sit humanae institutionis, sapientiae, ingenii, id omne ab ea diserte separatum esse velit. Qua de re paulo accuratius exponendum videtur (*m*). Et quandoquidem Vos, Viri eruditissimi, de ea re velle vos quaeri dixistis, hoc loco cum ipsius Jesu, tum Apostolorum testimoniis declarare constituimus, quae vis illis verbis subjicienda sit, *Jesum esse legatum et doctorem divinum*.

Atque illud jam omnium primum facile intelligitur, Eberhardo, cum e philosophia Alexandrino-Cabbalistica natam esse doctrinam Christianam contendat, mirifice displicere eam auctoritatem divinam, quae *proprie* sumatur. Itaque aliam quandam comminiscitur,

quae cauſae ſuae ſit accommodatior. Cives Jeſu atque ipſos Apostolos in eum locum detrudit, ut nulla gens tam barbara ſit, tamque extra omnes humanitatis terminos projecta, quae eos non animi ingeniique cultu vincat. Tantum enim eorum fuisſe ſtuporem, dicit, ut vel nesciverint, *homines aliquid cogitando et meditando ſcire poſſe: itaque, ſi quis aliquid doceret antea non cognitum, eum continuo ab iis habitum fuisſe legatum divinum, atque ab ipſo Deo edoctum (n)!* Talia cum dicit Eberhardus, quis non miretur doctisſimi viri inauditam temeritatem? Atqui vix infans, in cunis vagiens, ignorat, quod gentem Judaicam ignorasſe contendit. Nos quidem mox videbimus, ad cauſam, quam tractamus, nihil omnino attinere, quid ſciverint Judaei, quid nesciverint. Nec quemquam esſe arbitramur, qui Eberhardo, talia *nullo prorſus argumento* ebullienti, adſentiatur. Hoc unum quaerimus, ſi tanta fuerit Judaeorum inſcitia, ut, quicquid novum et inauditum esſet, id ſtatim a Deo auctore repeterent, qui factum ſit, ut maxima populi pars Jeſu doctrinam, novam illam et inauditam, aspernaretur, atque aegre ferret, eum divinam ſibi auctoritatem vindicare? *Matth.* IX. 3. *Joann.* V. 18. VI. 41, 42. VIII. 13. X. 31. Atqui plane me non intelligere fateor, quid commendationis a rudi et inculto Judaeorum ingenio ad cauſam Eberhardi poſſit accedere. Non enim Judaeorum opinione, ſed ipſius Jeſu testimoniis, ejus legationis doctrinaeque divinam auctoritatem cenſemus. Cumque Eberhardus duodecim Jeſu discipulos, Euangelistas certe, eodem, quo ceteros Judaeos, loco habere videatur, ne illorum quidem, ad eam auctoritatem confirmandam, testimonia adhibebimus. Quominus autem *Paulum* conſulamus, Eberhardus recuſare non poterit, quippe quem ipſe fateatur *Graece fuisſe eruditum*, adeoque non tam puerilem, ut nesciverit, *homines cogitando et meditando aliquid poſſe ſcire (o)*.

1. Cum Jeſum ſaepius doctrinam ſuam a *divina* disciplina atque auctoritate repetere videamus, *Joann.* VIII. 26, 28, 40. XII. 49. XV. 15. XVII. 8. quamquam ea loca ſatis perſpicua ſunt ad refellendum Eberhardum, nolumus tamen iis aliud quid efficere, niſi hoc unum: quod nec Eberhardus, nec quisquam Graece mediocriter doctus negaverit: *verborum* certe eam vim esſe, Jeſum doctrinam ſuam a Deo accepisſe; quamvis, ſi per ſe ſpectentur, eorum *ſenſus* fortasſe attemperandus ſit ad civium Jeſu rude et inultum ingenium. Est autem *triplex* ad rerum ſcientiam via, ut ea vel *ab aliis hominibus proficiscatur*, vel *nostro ipſorum ingenio comparetur*, vel denique *extraordinaria quadam, et humana inſtitutione majori ratione ad hominem perveniat*. Jam ſi quaeritur, *quo ſenſu* Jeſu verba ſint interpretanda, ita rationem concludimus: Si conſtat, Jeſum *aut* ab aliis hominibus doctrinam ſuam accepisſe, *aut* ſuo ingenio eam excogitavisſe, ſequitur, ejus verba *proprie* intelligi non debere. Si vero hoc *non* conſtat, non magis libet ejus verba *improprie* ſumere, quam quae ſunt in vulgari ſermone, *ſol lucet*, *coelum est ſerenum*. Nam quod cives Jeſu tam facile ad divinitatem referrent, quod esſet ab humanitate repetendum, id quidem, ut ſupra diximus, nihil valet ad alium ſenſum Jeſu verbis tribuendum,

dum, quam illa per ſe ſonant. Itaque efficere debuerat Eberhardus, Servatorem ex eorum, quos commemoravimus, fontium aut utroque aut certe alterutro ſapientiam ſuam hauſiſſe. Pergamus vero! Si diſertis testimoniis conſtat, Jeſum *neque* ex humana disciplina eſſe profectum, *neque* ſuo ipſum ingenio doctrinam ſuam ſibi comparaſſe, ſequitur, Jeſu verba, non niſi *proprie*, id est, *de divina veri nominis inſtitutione*, intelligi poſſe, aut debere. Et Jeſum quidem non uſum fuiſſe *aliorum hominum* inſtitutione, ſupra a nobis cum loco *Joann.* VII. 15. tum aliis etiam rationibus effectum est. Neque etiam eum *ſuo ingenio* hanc fuiſſe doctrinae praeſtantiam adeptum, ipſe testatur. Dicit enim aperte: ἡ ἐμὴ διδαχὴ ουκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. *Joann.* VII. 16. Si quis igitur morem vult gerere Deo, is inquirat, πότερον ἡ διδαχὴ ἐμὴ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν, ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ. ibid. vs. 17. Etenim ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ ουδὲν, ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ. VIII. 28. ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ ουκ ἐλάλησα· ἀλλ' ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε τί εἴπω καὶ τί λαλήσω· ἃ οὖν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ πατὴρ, οὕτω λαλῶ. XII. 49, 50. καὶ ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, ουκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. XIV. 24. (*p*) Jam, ſi recte ſupra diximus triplicem eſſe viam ac rationem, qua ad rerum cognitionem perveniri poſſit, Servator, *etiamſi id numquam diſerte contendiſſet*, tamen judicandus fuiſſet doctrinam ſuam ad Deum retuliſſe, quoniam, cum ſe a ceteris eam duobus fontibus hauſiſſe *neget*, tertium illum divinum relinqui, neceſſe est. Cum autem inſuper perſpicua oratione ſaepius doceat, eſſe uni Deo doctrinam ſuam acceptam referendam, non potest profecto precaria illa divinitas intelligi, quam Eberhardus, aliique inducunt.

2. Est *legationis* Jeſu Christi ejusque *doctrinae* eadem auctoritas, ut, quo ſenſu ſe *legatum divinum* dicat, eodem ſenſu ejus *doctrina divina* ſit appellanda (*q*). Jam vero, ſi Jeſus ſimpliciter ſe diceret a Deo eſſe miſſum generis humani doctorem, poſſent fortaſſe haec verba eo, quo vult Eberhardus, ſenſu explicari. Atqui eum videmus *ordinariam* hanc (mediatam) legationem ab *extraordinaria* accurate distinguere, cum diſerte dicat, *ſe non ſua ipſius impulſione*, ſed *divina auctoritate*, hanc doctrinam hominibus tradere. Ego, inquit ἀπ' ἐμαυτοῦ ουκ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με. *Joann.* VII. 28. Ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου; καὶ ου λαμβάνετέ με· ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψεσθε, V. 43. Hic igitur Jeſus dicit, ſe non veniſſe ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ſed *Dei;* quae verba intelligi plane nequeunt, niſi eum de extraordinaria legatione, non propria auctoritate ſuscepta, loqui ſtatuas. Si enim dicas, verbis τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς ſignificari ordinariam, impropriе dictam, legationem divinam, quid tandem ſignificabit τὸ ὄνομα τὸ ἴδιον? Jeſus certe ostendit, ſe probe tenere, quid discriminis intercedat, atque ſe eum, qui ἐν τῷ ἰδίῳ ὀνόματι veniat, minime exiſtimare legatum divinum. Aliis autem locis *ſuam* perſonam a *Patris* perſona *discernit*, atque ſingulis ſuas veluti partes tribuit. Μόνος, inquit, ουκ εἰμὶ, ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. — ἐγὼ

et explicatius civibus suis tradiderit, quam aut Paulus, aut alius quisque religionis doctor, ut ipse Eberhardus in illius quaestionis tractatione, quid sit doctrina Christiana? ex unius Pauli auctoritate pendeat, atque ne minimam quidem particulam ex ipsius Jesu doctrina afferat, qua causam, quam suscepit, tueatur (*v*). Si igitur id, in quo Eberhardus ponit praecipuum doctrinae Christianae argumentum, non ab ipso Jesu, sed a Paulo fuit expositum, sique personae dignitas doctrinae praestantiâ ubertateque judicatur, non Jesus Paulo, sed Paulus Jesu anteponendus; neque intelligi potest, quare Paulo non potius, quam Jesu, munus dignitasque *Messiae* tribuatur. Quod autem Jesus vel angelis superior dicitur, id quidem, ex Eberhardi sententia, cuique perabsurdum videri debet (*w*).

Ut igitur redeat tandem, unde progressa fuerat oratio: *cum* ex temporis rerumque conditione, *tum* ex ipsius Jesu Apostolorumque et de sua et de illius praesertim auctoritate divina et doctrinae origine, testimoniis, intelligi arbitramur, doctrinam Christianam neque a Philosophia Alexandrino-Cabbalistica, neque a quacumque disciplinâ humana ductam ac propagatam esse. Nunc autem eam ipsam philosophiam cum doctrina Novi Foederis comparemus, videamusque an talis filia tali matre nasci potuerit.

CAP.

CAP. II.

De Philoſophia Alexandrino-Cabbaliſtica.

Ad eam igitur disputationis nostrae partem veniamus, quae illam doctrinam complectatur, ex qua, ut Eberhardus exiſtimat, tamquam ex matre, Christiana religio nata ſit. Antequam vero de re ipſa, pauca de hujus Capitis conſilio ac ratione.

1. Philoſophiae Alexandrino-Cabbaliſticae ſi univerſum argumentum ſingulasque partes hic accurate perſequi vellemus, migrandi eſſent termini, qui ſunt nobis ad disputandum conſtituti. Neque vero totius doctrinae hujus explicatio aliquam vim habitura erat ad refutandum Eberhardum, quippe cujus omnis argumentatio, tamquam fundamento, nitatur eo loco, qui est de *Ideis*. Itaque haec doctrina praeſertim nobis illuſtranda erit, ceterarum autem partium ita quamque accuratius tractabimus, ut aut per ſe gravior ſit majorisque ponderis, aut cum primaria de *Ideis* doctrina arctius propiusque conjuncta.

2. Alexandrinorum Cabbaliſtarumque ſententias ita inter ſe connectemus, ut ex hac copulatione una quaedam ſumma, ac veluti corpus doctrinae probabiliter exiſtat. Sicubi autem aliquid discriminis intercesſerit, digni quod animadvertatur, ea de re, quoad ejus fieri a nobis poterit, accurate monebimus.

3. Librum Apocryphum, cui titulus: *Sapientia Salomonis*, (*a*) et ſcripta *Philonis* pro praecipuis veluti fontibus habebimus, e quibus philoſophiae Alexandrinae haurienda ſit cognitio. Neoplatonicorum vero, id est eorum, qui *post* Christum, Platonis doctrinam mire corruperunt, eamque ad religionem Christianam componere ſtuduerunt, nulla ratio habebitur. Neque enim ipſe Eberhardus alio conſilio eorum mentionem fecit, niſi ut ostenderet, quantum detrimenti eorum philoſophia doctrinae Christianae attulerit (*b*). Cabbaliſticae autem ſapientiae cognitionem cum e libro *Sohar*, aliisque paucis, qui aut antiquiſimi habentur, aut vetustae doctrinae explicationem continent, repetituri ſimus, ea hoc lege faciemus, ut ne quis idcirco continuo exiſtimet, nos his libris tantam et auctoritatem et antiquitatem tribuere, ut ex iis nullo errandi periculo effici queat, quae fuerit *tempore Jeſu Christi* philoſophiae Cabbaliſticae conditio. Conſtat enim inter omnes, hos libros ſatis longo *post Christum* tempore esſe conſcriptos. Niſi autem doctrinam Cabbaliſtarum ſilentio praeterire omnino placeat, hoc loco parendum necesſitati est, paulisperque *ſumenda* horum ſcriptorum auctoritas (*c*).

Haec praemonenda duximus: nunc veniamus in rem praeſentem.

Et illud quidem omnium primum conſtat, nec opus habet longa demonſtratione, Judaeos, qui e patria aliorſum, inprimis Alexandriam habitatum concesſiſſent, juncta cum Graecis conſuetudine, non diu puram conſervaſſe et intemeratam avitam religionem.

Neque enim legum tantummodo ac civitatis communio societatem quandam doctrinae peperit, verum etiam, cum Graeci eruditi, ut supra dictum, magna apud Ptolomaeos gratia valerent, Judaei, si quidem aliquo vellent numero haberi, ad Graecorum se philosophiam necesario applicare debebant (*d*).

De *Cabbala* autem difficilior est quaestio (*e*). Variae sunt variorum de ejus origine et antiquitate sententiae, quas hoc loco dinumerare infinitum sit (*f*). Illud universe notamus, omnino probabilem nobis videri eorum sententiam, qui, cum Judaeos Palaestinenses multo magis, quam ceteros, ab extera quavis philosophia alienos fuisse constet (*g*), philosophiam Cabbalae partem in Aegypto natam, atque hinc in Palaestinam perlatam fuisse, existiment (*h*). Quamquam inane illud apicum ac syllabarum aucupium, in quo, tamquam in mustaceo, laureolam Judaei quaerebant, ex umbraculis Palaestinensium potius, quam ex Aegypto profectum esse videtur.

Age igitur, pro nomine et honore religionis Christianae, conjiciamus nos *in spinas* ac dumeta, sive potius aperiamus illius valvas sacratas, quo tamquam carcere inclusa jacuerit illa doctrina, quam cum Christus ad hominum cognitionem expromsisset, a Paulo vitae immortalitatisque stator ac vindex appellatus sit. In qua quidem disputatione si rerum perspicuitati plus, quam sermonis castitati tribuerimus, rogatos volumus Lectores, ne nobis succenseant.

Duabus rationibus de *Deo* immortali institui potest disputatio, cum ut est *ipse per se*, tum ut sui cognitionem *extrinsecus* generi humano exhibuit.

Et Deus quidem, ut est *per se*, omnium mortalium cognitionem fugit (*i*), neque oculis humanis cerni potest (*k*); est enim Deus, quatenus τὸ Ὄν est (*l*), in altera parte coeli (*m*). Quamobrem sufficit tenuisse, *esse* Deum, *quale* sit, non est perscrutandum (*n*). Cum hoc autem Philonis Deo convenit Or *Ensoph* Cabbalistarum (*o*): quippe quod etiam, cum per se plane incognitum sit, appellari solet *Senior Seniorum*, *Occultus occultorum* (*p*).

Haec Alexandrinorum et Cabbalistarum de Deo doctrina adeo similis est *Platonicae*, ut ex hac ducta et expressa videatur (*q*).

Itaque ipsum Deum (τὸ Ὄν) non cognoscimus, sed tantum *proprietates divinas*, quatenus hae intelligi possunt per hujus universitatis contemplationem (*r*). (Quae etiam Platonis fuisse sententia videtur (*s*)). Cum enim Deus, *infinitus lucis oceanus* (*t*), perfectionem suam sive *bonitatem* manifestare vellet, ad mundum gignendum animum induxit (*u*). Cujus sententiae eundem Platonem habuerunt auctorem (*v*). Mundus igitur non fuit ab omni aeternitate, sed aliquando a Deo conditus est (*w*). Et de *materia* quidem quid Philo senserit, non satis convenit inter eruditos. Illud negari non posse videtur, illum, Platonis auctoritatem secutum, materiam existimavisse aeternam (*x*). Quaeritur autem, utrum, ut Neoplatonici et Cabbalistae, hanc aeternitatem ita intellexerit, ut per

Ema-

Emanationem ex ipso Deo explicata sit materia, utque haec eodem sensu aeterna dici possit, quo fons, ex quo fluxerit, id est Deus, aeternus sit; an vero ita eam interpretatus sit, ut materia ab aeterno a Deo discreta atque seorsum extiterit, (*y*) ut Platonem statuisse constat. Nobis quidem neque a *Bruckero*, neque a quoquam alio, quicquam adductum videtur, quo Philonem constet *Emanationis* doctrinam probasse, eumve ex Philosophiae, nescio cujus, Orientalis fontibus hortulos suos irrigasse (*z*). Ut in ceteris, sic etiam in doctrina de mundi origine, unum sequitur praecipue Platonem (*a*). Quicquid hujus rei sit, Plato et Philo cum *mundum a Deo conditum* dicunt, hoc sibi volunt, Deum materiae dedisse formam, motum, vitam, cetera, quibus illa antea caruisset (*b*).

Sicut urbs, antequam conditur, est in idea conditoris, aut opificium in idea opificis, sic Deus intellectu suo sibi finxit mundum intelligibilem, antequam se ad hunc mundum sensibilem condendum conferret (*c*). Quod ut intelligatur, tenendum est, Philonem in Deo *duplicem* statuisse λόγον (*d*), sive potius, eum *unum eundemque λόγον duplici ratione* considerasse, eum ut intellectum divinum, in quo, tanquam in receptaculo quodam, sint ideae divinae, ad quarum exemplar mundus conditus sit, tum ut hic intellectus se *extrinsecus* exhibeat per *proprietatum* et *idearum* manifestationem in mundo sensibili, quae duplex ratio λόγου comparatur cum hominis λόγῳ ἐνδιαθέτῳ et προφορικῷ (*e*). Cum hoc Dei λόγῳ ἐνδιαθέτῳ conferri debet Cabbalistarum *Adam Kadmon*, cum λόγῳ προφορικῷ, eorumdem *mundus Aziluthicus*. De quibus breviter praecipiendum est.

Antequam mundus conditus esset, nullum erat *spatium vacuum*, mundo recipiendo aptum, quandoquidem Or Ensoph, lux infinita, omnia implebat (*f*). Itaque ut vacuus esset locus, in quo mundus posset existere, Or Ensoph radios suos contraxit (*g*); reliquit autem in spatio vacuo *vasa* quaedam, tanquam mundorum receptacula (*h*). Cum vero Deus, quamvis omnino posset, tamen nollet, absque instrumento (immediate) mundos condere (*i*), tamquam instrumento usus est *Adam Kadmon* (*k*), qui est magnus lucis radius, ex Or Ensoph emanans (*l*). Nimirum haec constans Cabbalistarum doctrina est, ex Deo non nisi unum *Principiatum*, ut barbare vocant, fluxisse, qui sit *Adam Kadmon* (*m*). Hunc autem Adam Kadmon si capillis, naso, barba, mento, ceterisque membris spoliemus, quibus eum nugatoria instruxit Judaeorum sapientia, nihil relinquitur nisi *intellectus divinus*, sive λόγος ἐνδιαθετὸς, de quo loquitur Philo. Ecce tibi locum perspicuum *Irirae* (*n*): „ Sciendum autem, hoc ens perfectum (*Adam Kadmon*), quod immediate dependet a Causa prima, secundum Platonem et Philosophos antiquiores vocari Intellectum „ mundi formalis et intellectualis: quod sic exponunt: quod ab uno, id est, primo omnium entium principio non emanaverit immediate nisi Unum, quod sit Intellectus primus et mundus intellectualis, in quo sint multae formae divinae, quae ab illo sint „ distinctae ut forma et exemplar: et quae sint causa multitudinis rerum sensibilium." Cumque Philo hunc λόγον divinum appellet Dei *primogenitum filium*, idem nomen suo

Adam Kadmon tribuunt Cabbalistae (*o*). Deinde, ut Philo λόγον hunc dicit esse condendi mundi *instrumentum*, idem de Adam Kadmon Cabbalistae praedicant (*p*). Denique eum intellectus divinus, sibi rerum creandarum ideas informans, quiddam veluti medium sit inter Deum et mundum, factum est, ut et Philo λόγον suum, et Cabbalistae Adam Kadmon appellarent *Mediatorem* (*q*). Haec igitur doctrinae summa est, Deum, antequam mundum condidisset, mente et cogitatione concepisse *ideas*, ad quarum exemplar hanc rerum universitatem fabricaretur. Hic autem intellectus divinus, in quo illae ideae insint, a Philone λόγος (ἐνδιάθετος), a Cabbalistis *Adam Kadmon* appellatur. – Hic est νοῦς Platonis.

Itaque, Philone auctore, in Dei λόγῳ ἐνδιαθέτῳ insunt ideae, quas cum materia veluti communicaverit eique impresserit (*r*). Quamobrem ideas *sigilla* appellat, quorum impressione formam mundus acceperit (*s*). Haec autem impressio est λόγος προφορικός; cujus rei explicatio est ex ipsis Philonis fontibus haurienda. Cum enim duplicem λόγον constituisset, alterum περὶ τῶν ἀσωμάτων καὶ παραδειγματικῶν ἰδέων, alterum περὶ τῶν ὁρατῶν, hunc confert cum hominis λόγῳ προφορικῷ, cujus sedes sit γλῶττα. καὶ στόμα καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα φωνῆς ὀργανοποιία (*t*). Itaque λόγος hominis προφορικὸς est *sermo* ejus. Quod si ad Deum transtulerimus, minime ambigi poterit, quid sit divinus λόγος ὁ περὶ τῶν ὁρατῶν. Philo enim, cum, ut in ceteris, sic etiam in iis S. S. locis, ubi de *Deo loquente* sermo est, quicquid concreti esset et humanae imbecillitatis, longissime a Summo Numine arcere vellet, ea loca ita interpretari solet, ut *verba* Dei sint ejus *actiones*, et *loqui* sit *facere* (*u*). Ut igitur hominis oratio est ejus veluti foras prolata cogitatio, sic λόγος Dei προφορικὸς sunt ejus *ideae virtutesque accommodatae et impressae materiae* (*v*).

Sicut e sententia Philonis in Dei λόγῳ ἐνδιαθέτῳ insunt ideae et proprietates divinae, sic in Cabbalistarum *Adam Kadmon* insunt *Sephirae* (*w*), quae dici nequit quantas doctorum turbas excitaverint. Nos quidem instituti nostri brevitatisque memores, quid nobis probabile videatur, paucis videamus.

Decem sunt Sephirae, quarum tres priores appellantur *Superiores*, septem reliquae *Inferiores*. Has decem Sephiras ita Cabbalistae solent disponere, ut arboris quandam figuram referant, quae propterea dici consuevit *Arbor Cabbalistica*, hunc in modum:

כתר
Corona.

בינה
Intelligentia.

חכמה
Sapientia.

גבורה
Fortitudo.

חסד
Gratia.

תפארת
Pulcritudo.

הוד
Gloria.

נצח
Victoria.

יסוד
Fundamentum.

מלכות
Regnum.

Quo

Quae fuerit cauſa, cur *decem* potiſſimum Sephiras ſtatuerint, non est facile dictu. Nonnullis videri video propterea hoc eſſe factum, quod numerus denarius eſſet maxime perfectus, atque propterea penes multas gentes ſingulari quadam veneratione cultus (*x*): alii aliter. Illud quidem certiſſimum est, Judaeos jam antiquitus *Septem* Deo *Spiritus* tribuere ſolitos fuiſſe (*u*); cujus opinionis apertiſſima vestigia multi ſibi in *Apocalypſi* deprehendiſſe viſi ſunt (*v*). Ad has ſeptem Sephiras postea tres ſive Spiritus, ſive Sephirae, ſive quocunque alio nomine appellare velis, accesſerunt, quas artificioſa ratione ex nomine Tetragrammato extuderunt (*w*). Harum autem Sephirarum cum Inferiorum tum Superiorum nomina pleraque deſumta ſunt ex V. F. De *Corona* quidem et *Fundamento* non ſatis conſtat: ceterarum Sephirarum בִּינָה et חָכְמָה ex *Jeſ.* XI. 2. reliquae ex 1 *Chron.* XXIX. 11. ſunt petitae (*x*).

Superiorum et inferiorum hoc est discrimen, ut illae ad ipſam τοῦ Adam Kadmon *naturam* (Eſſentiam), hae ad ejus *proprietates* referantur (*y*).

Supra diximus (not. *e*) Philonis λόγον προφορικὸν complecti et *Idearum* et *Proprietatum* divinarum manifestationem, qui λόγος προφορικὸς cum ex λόγῳ ἐνδιαθετῷ tamquam ex fonte fluxerit, intelligitur, in λόγῳ ἐνδιαθετῷ reſidere et Ideas divinas et Proprietates (*z*). Quamobrem, cum λόγῳ ἐνδιαθετῷ respondeat Cabbalistarum Adam Kadmon, Sephirae, quae in Adam Kadmon inſunt, Ideae ſint Proprietatesque neceſſe est (*a*). Et re vera ex *Ideis* Philonianis, ſive, ut rectius dicam, Platonicis Cabbalistae (recentiores certe) multa videntur in doctrinam Sephirarum transtuliſſe (*b*). Quod ut intelligatur, temperare mihi non poſſum, quin afferam locum Irirae, (*c*) longiorem quidem illum, maxime vero ad rem nostram pertinentem. „ De pulcritudine (Sephira תִּפְאֶרֶת), per quam in uno con„ veniant multa pulcra, dicitur, quod ſit natura quaedam generalis, emanans ab uno, „ quod per ſe ſubſiſtit: quodque ista non ſit ipſae res pulcrae, ſed natura quaedam pecu„ liaris, una ſimplex et prima in ſuo genere, invariabilis, indiviſibilis, incompoſita, in„ corporea, non temporalis, ſed omnibus corporibus, animabus et intelligentiis ſuperior, „ nempe formalis, vel idealis et perfecta: quaeque in cauſa prima ſit eminenter, in Se„ phiris autem emanantibus formaliter, et realiter, et cauſa formalis, et efficiens omnium „ pulcrorum inferiorum (*d*). Eodem plane modo, ſicut ſupra omnia multa datur unitas, „ per quam illa ſunt una; (*e*) et ſupra omnia corpora univerſale quoddam, quod illa „ continet et movet: et ſupra omnes animas ſingulares, anima univerſalis Divina, quae „ ipſarum caput est et princeps, illasque unit et ordinat: et ſuper omnes intelligentias „ una generalis et formalis, quae omnes illuminat; et ſuper omnes monades et omnia „ bona unum ſimplex et bonum perfectum, nempe Enſoph." Jam pergit Auctor: „ om„ nes entitates analogice et improprie tales respicere, veluti unitatem et menſuram ſuam, „ et principium primum formale, ſeu ideale, Coronam ſummam (כתר) quae in ſe con„ tineat omnia entia reliqua: ſed per nomen Ehjeh characterem habeat dictae entitatis.

„ Et omnes vitas et omnia manifestata converti, velut ad unitatem et principium ſuum „ reale, ad vitam formalem et primam et lucem intelligibilem, quae est חכמה. Deinde, „ omnes intelligentias converti ad intellectum primum et intellectualem, qui est בינה; „ tamquam ad unitatem et principium ſuum generale, formamque omnis cognitionis intel„ lectualis et rationalis et vitalis. Et omnia gratioſa ad חסד, ſeu gratiam perfectam et „ formalem. Et omnia distribuentia praemium et poenam ad גבורה." Atque hac ratione reliquas Sephiras *Irira* perſequitur. Ne ipſum quidem Platonem, ſi Cabbaliſta fuiſſet, iſtas Sephiras aliter explicaturum fuiſſe arbitror. Et tamen haec Cabbaliſtarum doctrina aliquantum discrepat a ſententia Philonis, qua de re breviter monendum est. Philo enim vocabulo λόγος ſignificat et *ideas divinas*, ſeu potius earum *ſedem*, et *proprietates*, eas vero proprietates, quae tantummodo ad *intellectum divinum* pertineant (vid. not. *s*.); Cabbaliſtae autem Adam ſuo Kadmon tribuunt et ideas, et *omnes* proprietates divinas, non eas tantum, quae *intellectûs* peculiares ſint, verum etiam δύναμεις Philonis (*f*): ſive, ut rectius loquar, Sephirae Cabbaliſtarum proprie non ſunt *ideae* divinae, ſed *attributa*, ad quae ab *Irira* l. c. Platonica de ideis doctrina ita accommodatur, ut, ſicut Plato *ideas*, ſic illae attributa Dei, pro exemplaribus habeat, ad quae omnia Deus fabricatus ſit (*g*). Sicuti, ut ſupra dictum est, ex Philoniano Dei λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, ſive ſede idearum et intellectûs proprietatum, fluxit λόγος προφορικὸς, ſic e Cabbaliſtarum *Adam Kadmon*, ſive ſede Sephirarum, manavit mundus Aziluthicus. Quod ut intelligatur, quale ſit, de Cabbaliſtico mundorum ſyſtemate aliquid dicendum eſſe, video.

Cum Platonem et Philonem in ea fuiſſe viderimus ſententia verſatos, materiam mundi aeternam esſe, magnopere hoc displicuit Cabbaliſtis (*h*). Omnia enim ex Deo *emanaviſſe* ſtatuebant, ne materiâ quidem exceptâ. Quod ne pugnare videretur cum Dei natura, in qua nihil mixti et concreti ſit, eam Emanationis rationem excogitarunt, ut, cum quidque ſui ſimile gignat, ex Or Enſoph primum fluxerit Adam Kadmon (*i*), ex Adam Kadmon manaverint quatuor deinceps mundi, *Aziluthicus* (emanationis) *Briahticus* (creationis) *Jezirahticus* (formationis) et *Aſiahticus* (fabricationis) (*k*); ita vero *ut ſinguli* mundi alter ex altero proxime ſuperiori profecti ſint (*l*). Et cum quaeque res eo perfectior ſit, quo propius cum Or Enſoph, quae ſit omnium veluti radix, ſit conjuncta, eoque minus perfecta, quo ab hoc omnium rerum fonte ſit remotior (*m*), factum est, ut mundus Aſiahticus, utpote omnium ab Enſoph remotiſſimus, ex materiae faece concresceret (*n*). Qua de re perſpicuus est locus *Moſis Corduero* (*o*): „ Nihil est in mundo, cui „ non affluat e ſupernis influentia et lux quaedam, quamvis illa differat pro diverſitate „ deſcenſus a poſterioribus, ſeu Malcuth, quae ſunt anteriora reſpectu ceterorum gra„ duum inferiorum. Sic ergo haec increaſcunt, et manifeſtiora atque quaſi corporea „ fiunt, de gradu in gradum, prout congruit materiae illi turbidae, ita ut nihil penitus „ inveniatur in hoc mundo, in quo non ſit aliquid ſpirituale et vitale, ſecundum pro-

„ por-

„ portionem corporeitatis et materialitatis ſuae, et pro gradu diſtantiae ſuae a fonte et „ latomia rerum omnium. Et quando craſſa iſta materia ſic elevatur, ut propinqua fiat „ tenuiori ſuae materiae, tum allucet ipſi lux aliqua materiae elevatioris. Quemadmo- „ dum ſi magna quaedam lucerna accenſa ſit in media baſilica, illa certe ob baſilicae „ magnitudinem non illustrabit omnes angulos baſilicae, niſi modico quodam lumine, ita „ ut alter alterum ibi videre nequeat: qui vero accedet ad lucernam, majore atque copi- „ oſiore lumine collustrabitur, ita ut ſi propius ad vasculum ejus accesſerit, caligare inci- „ piant oculi ejus nimio praestricti fulgore. Ita et hic ſe res habet."

Omnium igitur primus ex Adam Kadmon ejusque Sephiris fluxit mundus Aziluthicus, cujus ea praeſtantia ſit, ut cauſae ſuae ſit ſimillimus, nec quicquam habeat eorum vitiorum (imperfectionum), quae ceteris mundis adhaerescant. „ Quod ut intelligatur, ait „ *Corduero* (*p*), conſideretur ſimile ab aurifice deſumtum, qui ſingulas argenti ſpecies „ in quatuor ſubdividit genera: quorum primum est argentum purum omnibus carens „ ſcoriis; alterum, argentum est uno gradu puriſſimo vilius; tertium tale est, cujus medi- „ etas ſcoriae ſunt; quartum, cujus maximam partem ſcoriae conſtituunt (*q*)." Quamobrem in hos mundos transferri quodammodo potest, quod in eodem argumento cecinit *Ovidius*, *Metam.* I. 26. ſqq.

Ignea convexi vis et ſine pondere coeli
Emicuit, ſummâque locum ſibi legit in arce.
Proximus est aër illi levitate, locoque:
Denſior his tellus: elementaque grandia traxit;
Et preſſa est gravitate ſui. Circumfluus humor
Ultima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.

Cum igitur, qui a Philone dicitur Dei λόγος ἐνδιαθετὸς, idem ſit Cabbalistarum Adam Kadmon, atque ex eo λόγῳ fluxerit λόγος προφορικὸς, ſicut ex Adam Kadmon mundus Aziluthicus, ſatis intelligitur, quo jure hunc mundum cum λόγῳ προφορικῷ comparaverimus (*r*).

Philonis λόγος ἐνδιαθετὸς et Cabbalistarum Adam Kadmon est Platonis νοῦς divinus; eorum λόγος προφορικὸς et mundus Aziluthicus est Platonica *Anima mundi*.

Et νοῦς quidem divinus, cujus tam frequens fit a Platone mentio, quanto jure cum λόγῳ Philonis ἐνδιαθετῷ cumque Adam Kadmon comparetur, non opus est, ut longa oratione efficiatur, quandoquidem harum ſententiarum tanta est ſimilitudo, ut Philonis & Cabbalistarum doctrina procul dubio ex Platonica prōpagata ſit (*s*). De Anima mundi paulo abſtruſior quaestio est (*t*). Cujus obſcuritatis praecipua cauſa in poetica Platonis oratione est poſita, quam ille cum in reliquis philoſophiae ſuae partibus, tum in hac praeſertim, quae est de Anima mundi, uſurpare ſolet. Neque vero ipſius argumenti ratio no multum obſcuritatis habet (*u*). Materia, auctore Platone, antequam a Deo formam accepis-

pisset, motu quodam confuso turbabatur, omnibus elementis pugnantibus et conflictantibus inter se (*v*). Hanc inordinatam rerum agitationem Deus ordinavit, certisque adstrinxit legibus naturae (*w*). Cujus rei quae fuerit ratio, referemus verbis Ciceronis, qui insignem Timaei partem Latine convertit, atque locum de Anima mundi sic vertendo expressit: „ Animum autem ut in medio mundo collocavit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore et vestivit extrinsecus. Sic Deus ille aeternus hunc perfecte beatum Deum procreavit (*x*). Sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, tum demum, quum corpus ei effecisset, inchoavit; neque enim esset rectum, minori parere majorem. Sed nos multa inconsiderate ac temere dicimus. Deus autem et ortu et virtute antiquiorem genuit animum, eumque ut dominum atque imperantem obedienti praefecit corpori: idque molitus tali quodam est modo. Ex materia (*y*), quae individua est, et quae semper unius modi suique similis, et ex ea, quae corporibus dividua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset Ejusdem naturae et quod Alterius, idque interjecit inter individuum atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea quum tria sumsisset, unam in speciem temperavit: naturamque illam, quam Alterius diximus, cum *Eodem* conjunxit, fugientem et ejus copulationis alienam. Permiscens cum materia quum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. Jam partes singulas ex Eodem et ex Altero et ex Materia temperavit. — Animum igitur quum ille procreator mundi Deus ex sua mente et divinitate genuisset; tum denique omne, quod erat concretum atque corporeum, substernebat animo." Hac doctrina nihil obscurius abstrusiusque esse potest, nec quicquam facile reperitur, quod tantam ipsorum Platonicorum inter se dissensionem pepererit. Ad nostrum quidem consilium satis est animadvertisse, optimorum Platonis interpretum hanc esse sententiam, illud *Alterum* (τὸ ἕτερον) esse confusum illum motum materiae, de quo supra diximus; de *Eodem* (ταὐτῷ) vero eam esse sententiarum diversitatem, ut alii illud significare existiment ipsam *Essentiam* divinam, cujus veluti particeps facta sit materia, alii vero nihil aliud esse putent, quam κόσμον νοητὸν, quem Deus ad materiam veluti accommodaverit (*z*). Quicquid hujus rei sit, illud quidem a Tennemanno (*a*), ne alios commemorem, luce clarius demonstratum est, Platonem, cum materiae a Deo datam esse Animam dicat, nihil aliud dicere, nisi Deum inordinatum illum ac turbae plenum motum compescuisse, eumque ad justi ordinis leges necesitatemque rexisse. Quae igitur sit Animae mundi cum λόγῳ προφορικῷ et Mundo Aziluthico similitudo, facile cuique, etiam nemine monente, apparet, atque magis etiam apparebit, si eorum, quae diximus, hanc veluti summam constituerimus.

Deus (Ensoph, τὸ ὄν, ὁ ὤν) cognosci non potest, nisi quatenus sua se virtute extrinsecus cognoscendum praebuit. Antequam vero hanc Deus virtutem exseruisset, seque ad condendum mundum accinxisset, intellectu suo (νῷ, λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, *Adam Kadmon*) rerum condendarum sibi ideas (ἰδέας, παραδείγματα, *Sephiras*) informavit, quas materiae, ut figil-

ſigilla cerae, impreſſit. Qui autem per hanc impreſſionem a Deo profectus est *rerum ordo*, aut, ſi mavis, ipſa *vis* divina, quae hunc ordinem conſtituit, appellatur *Anima mundi*, λόγος προφορικὸς, *Mundus Aziluthicus*.

Ecce igitur arcem illam, in qua ſententiae ſuae praeſidium Eberhardus collocavit. Et nobis quidem, cum hoc Caput ſcribere exordiremur, propoſitum erat Platonis auctoritatem frequentius etiam adhibere, quam factum est. Cujus rei cauſa est, quod in ſcribendo intelleximus medendum eſſe ſatietati legentium, cum praeſertim *Capite ſequenti* ſatis multa ex Platonis doctrina expromturi ſimus, quorum facile quisque perſpiciat eam eſſe rationem, ut ſententiam Philonianam et Cabbalisticam, quam explicuimus, ex media Platonis philoſophia ſumtam eſſe appareat. Quod magis etiam declarari potuiſſet, ſi ceteras utriusque doctrinae partes hic exponere et inter ſe comparare voluiſſemus, pſychologiam praeſertim et pneumatologiam. Quod vero cum non licebat per hujus terminos libelli facere, tum nihil conferre ad Eberhardi ſententiam, aut intelligendam aut repellendam poterat, quippe cujus omnis disputatio in eo loco verſetur, qui est hoc capite copioſe a nobis et accurate, niſi fallimur, explicatus.

Illud autem tenendum est, quae de philoſophia Cabbalistico-Alexandrina diſſeruimus, duabus potiſſimum de cauſis a nobis disputata eſſe, quarum altera est, quod cum Eberhardus ex ea religionem Christianam ductam eſſe contendat, omnino, ne quid diſſimulare videremur, ad rem nostram pertinere arbitrabamur, ejus ſententiae judicandae ipſis lectoribus copiam facere: altera, eaque praecipua, quod veluti viam munire voluimus ad intelligentiam eorum, quae *Cap.* III. ad infringendam Eberhardi opinionem ſumus allaturi. Quo conſilio cum praeſertim omnis haec ſuscepta ſit disputatio, age pergamus ad caput tertium.

Cap. III.

Exponitur et refutatur Eberhardi sententia de Persona ac Dignitate Jesu Christi.

Cum id suscepisset doctissimus Eberhardus, ut doctrinam Christianam ex ea natam philosophia esse efficeret, quae est a nobis superiori Capite exposita, nihil ei magis necesse poterat esse, quam ut, qualem intelligeret Christianam doctrinam, explicaret. Cujus rei tractationem quatuor locis complexus est, quorum primus est de *Jesu Christo*, *Filio Dei*; secundus de *Spiritu Sancto* et *Trinitate*, quam appellat; tertius de *miraculis Jesu et Apostolorum*, quartus denique de *Fide* (*a*). Et locorum quidem Secundi ac Quarti ea est ratio, ut difficile dictu sit, quare eos in librum suum Eberhardus intulerit. Cum enim Spiritum Sanctum *Personam* esse neget, *Trinitatis* autem placitum ex conciliorum decretis repetat; illud argumentis exegeticis, hoc historiae auctoritate, efficere conatur, ex philosophia vero Cabbalistico-Alexandrina ne unum quidem verbum addit, quod sententiam suam possit stabilire. De *Fide* eadem est ratio. Neque enim ad hunc locum illustrandum quicquam ex ea, quam diximus, philosophia attulit; verum de voce *Fides* ita philosophatur, ut ne exegeticas quidem rationes adhibeat, atque nihil pensi habens, quae sit Novi Foederis de Fide constans ac perpetua doctrina, ipsius vocabuli vim subtiliter persequatur. Itaque me non intelligere fateor, quomodo istiusmodi harum rerum tractatio conjuncta esse cum consilio ejus libri possit, quo Auctor efficere voluerit, eam doctrinam, quae libris N. Foederis contineatur, ab Orientalium Graecorumque esse philosophia profectam. Si enim placitum Trinitatis, ut ipse contendit, ab argumento N. Foederis alienum est, quid est, quod de eo loquatur, cum de pura et germana horum librorum doctrina omnis disputatio sit? Si opinioni suae de Fide ex philosophia Cabbalistico-Alexandrina nihil firmamenti petere potuit, non erat de ea disserendum, cum ea res praesertim ageretur, ut religionis Christianae ex ea philosophia perspiceretur origo. Quod cum Vos, Viri eruditissimi, probe intelligeretis, sapienter fecistis, quod de duobus reliquis locis, qui sunt de *Persona et dignitate Jesu Christi*, et de *Miraculis*, quaestionem proposuistis, omissis amputatisque iis, quae cum summa rei nihil conjunctionis haberent.

Quandoquidem igitur hoc Capite de Persona ac Dignitate Jesu Christi disserere constituimus, omnium primum illud nobis agendum est, ut Eberhardi de hoc loco sententiam exponamus.

Postquam ergo Auctor dixisset (*b*), Judaeos calamitatum pondere pressos, tandem in spem et exspectationem illustris alicujus Regis fuisse adductos, a quo maxima beneficia ad gen-

tem

tem Judaicam esſent manatura, quique eam ab hostium dominatione liberaturus esſet (*c*), porro ſententiam ſuam explicat, quam nos ita referemus, ut neque nimis longi ſimus, neque perſpicuitati obesſe brevitas videatur. Cum igitur, ut ait Auctor, Judaei in ea ſpe frustra fuisſent, atque Resp. magis magisque in pejus rueret, factum est, ut homines probi ac ſapientes in longe aliam Mesſiae exſpectationem pervenirent, atque eam, quam antea habuisſent. Omnium enim rerum ea erat ratio, ut facile perſpicerent, vanam esſe ſpem, quam in *terrestri* quodam rege ac vindice poſuisſent: quamobrem omnem ſuam cogitationem a terris avocabant, et ad *coeleste* quoddam regnum, *coelestemque Mesſiam* convertebant, cujus ſtabile esſet atque aeternum imperium. Ita jam antiqui vates ſibi reip. Judaicae inſtaurationem mente et cogitatione informaverant, quamquam tum demum haec ſententia auctoritatem nacta est, cum philoſophia Graeca et Orientalis doctrinae Judaicae admisceretur (*d*). Itaque ſapientes illi viri ſentiebant, esſe in coelo aliquid aeternum et omnis mutationis expers, cui id, quod in terris esſet mutabile atque caducum, responderet. Hanc ſententiam, ex Platonica de *Ideis* doctrina arreptam, ad quarum exemplar omnia quae in his terris cernantur, ficta atque condita ſint, ita in rem ſuam converterunt, ut *omnium rerum ac perſonarum notabilium ideas* et *imagines originales* (*Urbilder*) in coelo esſe dicerent; unde intelligitur quid ſit in N. T. *Hieroſolyma coelestis*. Quamquam igitur res in his terris pereunt, earum tamen *imagines* in coelo ſunt aeternae, atque hoc ipſum ſibi voluit Plato, cum in Phaedone puram terram in coelo esſe diceret (†). Ipſius quoque Servatoris menti haec doctrina in cruce obverſabatur, cum latroni *coelestis Paradiſi* amoenitatem polliceretur. Inprimis autem hac aeternarum imaginum cogitatione Judaei ſolabantur jacturam rerum ſacrarum, Hieroſolymae, templi, Zionis, cet., quae, etſi de his terris esſent ſublata, aeternas tamen in coelo imagines ſui habebant. Haec doctrina quam late pateat, ostendit inprimis Paulus in *Epistola ad Hebraeos*, in qua Christianos non tantum de carum, quas diximus, rerum amisſione conſolatur eo modo, quem commemoravimus, verum etiam ita ſingulas res perſequitur, ut ſententiam de imaginum aeternitate vel ad ſacrificiorum ſanguinem transferat, cum ita dicit, *Cap.* XII. 22-24. προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων, πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν ὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, καὶ κριτῇ θεῷ πάντων, καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, καὶ διαθήκης νέας μεσίτῃ Ἰησοῦ, καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ, κρεῖττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ. Nemo est qui non intelligat, esſe hoc loco ſermonem de aeternis rerum imaginibus in coelo.

Ut igitur res Judaeorum ſacrae in coelo extabant, ita etiam *memorabiles perſonae*, inprimis vero *Pontifex Maximus*, qui idem erat Christus, Novi Foederis auctor. Quam quidem rem Paulus in eadem epistola ita tractat, ut ſatis appareat, omnem ejus disputationem ex Platonica de Ideis doctrina pendere. Ita enim ſcribit, *Cap.* IX. 11, 12. Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκη-

νῆς, ἐν χειροποιήτου, τουτέστιν, ἐν ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. Quis adeo caecus, qui in hoc loco non ideas Platonicas deprehendat? Cujusque enim, ut Plato ait, rerum generis tantum *una* Idea est; hic est *unus* Pontifex, eum in terris fuerit multorum successio. Pontifex ille coelestis *semel* tantum in sanctuarium ingressus est, quod terrestres facere *quotannis* solebant. Expiatio illius coelestis aeterna est, ut *idea*, terrestrium *non* aeterna est, sed quotannis repeti debebat.

Cum igitur in coelo sit idea Pontificis Judaeorum, quidni etiam idea ipsorum Messiae in coelo reperiatur? (*e*) Si enim rerum personarumque sacrarum jactura hoc solatio veluti compensabatur, quod earum ideae essent in coelo, quanto magis Messiae amissio, qui dignitate sanctitateque reliquis omnibus antecelleret! Fatendum quidem est, nullum hac de re disertum testimonium reperiri, locorum vero inter se collatione satis apparet, quod de Pontifice coelesti dicatur, idem esse de Messia dicendum. Cum enim Paulus *Hebr.* V. 6. Jesum esse sacerdotem dicit κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ, satis significat ejusmodi esse sacerdotem intelligendum, qui simul *Rex* (Messias) esset, sicut Melchizedecus: quod mirum est, non jam dudum ab interpretibus esse animadversum (*f*). Quod si quis hanc argumentandi rationem nimis artificiosam existimet, populari quoque modo idem edoceri potest ex eadem epistola ad Hebraeos, in qua, praeter ceteras res sacras in coelo quoque esse dicitur Ἰησοῦς διαθήκης νέας μεσίτης. *Cap.* XII. 24. Itaque Jesus *Messias* referendus quoque est ad mundi intelligibilis imagines sive Ideas aeternas.

Huic sententiae proxime consequens erat, ut Messiae in his terris obitus nihil obesset ejus imaginis in coelo aeternitati. Idea Messiae sempiterna erat, quamvis ipse jaceret sepultus; sicut aeterna dici templi idea poterat, quamvis ipsius templi in his terris nil nisi rudera ac spolia superessent.

Cum igitur Paulus totics dicit, Jesum in vitam rediisse, atque in coelum sublatum, ad dextram Dei considere, nihil aliud sibi voluit nisi Messiae ideam, quamvis ipse in his terris perierit, in omnem aeternitatem in coelo perdurare; quandoquidem *hoc* erat proprium Messiae, ut, postquam hinc avolasset, (mortuus esset), in coelo esset sempiternus, id est, ut ejus idea esset aeterna.

Haec est Eberhardi de dignitate ac persona Jesu Christi sententia, quam ipsis fere Auctoris verbis retulimus, ne quid pervertere, aut male intelligere videremur. Quae quidem sententia ejusmodi est, ut, quamvis satis facilis esse mihi videar, tamen eam quoties legi, legi autem saepius, toties mihi stomachus moveri soleat. Nullam esse Novi Boederis particulam existimo, ne iis quidem locis exceptis, quae ab ipso Eberhardo allata sunt, quā non Auctoris opinio frangi ac debilitari queat. Atque nonnullarum sententiarum ea est ratio, ut, etiamsi eas non probes, tamen libenter cognoscas, modo ingenii quandam laudem commendationemque habeant. Eberhardi vero ita mihi obtusa atque hebea videtur sen-

ten-

tentia, ut vel minima ingenii laude careat, utque difficile mihi perſuadeam, haec ſerio atque ex animo ab acuto et doctiſſimo viro contendi. Si igitur omnia congerere vellemus, quae contra Auctorem dici poſſint, eſſent termini hujus disputationis longe longeque migrandi. Itaque non copiam in diſſerendo ſed modum quaeremus, omnemque cauſam tribus Capitibus conficiemus, quorum *Primum* continebit *miscellaneas quasdam Admonitiones, quae ad refellendum Eberhardum vim habere videantur; Secundo* oſtendemus *tantam eſſe doctrinae N. T. de Jeſu Christo cum Platonica ſive Philoniana (ff), atque Judaica doctrina pugnam, tantumque inter eas intercedere discrimen, ut nihil omnino commune habeant. Tertio* denique *Capite partes nonnullas ſive historiae Jeſu Christi, ſive doctrinae N. T. recenſebimus, quae temeraria et contorta interpretatione penitus pervertendae ſint, ſi vera ſit Eberhardi ſententia.*

I

1. Neminem eſſe arbitror, quin rem agi gravisſimam existimet, ubi de religionis Christianae origine ac veluti fonte diſſeratur. Quotus enim quisque est, qui non intelligat, de ea re ut judicatum fuerit, ita hujus religionis auctoritatem vel minui vehementer atque labefactari, vel augeri ac corroborari? Quamobrem ab eo, qui de omni hac cauſa recte, atque ut par est, disputare velit, illud ſummo jure postulamus, ut pro tanto rei pondere prudenter, graviter, modeste disputet, utque omni temeritate ac levitate vacet ejus oratio. Cum igitur Eberhardus id ſe effecturum profiteatur, ut doctrinam Christianam ex Platonica et Judaica philoſophia ductam et propagatam eſſe, appareat, quis non ad tantae rei patefactionem a philoſopho ſummam diſſerendi ſeveritatem exſpectet? Quis ad tantae rei demonſtrationem ſimilitudinis quandam umbram, et ne umbram quidem, ſatis eſſe putet? Et tamen ita existimaviſſe Eberhardus videtur, quippe qui non magis probaverit, doctrinam Christi et Apostolorum ab ea, quam dixi, philoſophia eſſe profectam, quam ego me probare poſſe profiteor, Eberhardi *Apologiam Socratis* ex *Codice Pſeudepigrapho Fabricii* fluxiſſe.

Duae praeſertim ſunt rationes ac veluti viae, quibus auctor ad id, quod volebat, pervenire deberet; *vel* ut Jeſu Apostolorumve *diſertum testimonium* commemoraret, quo ipſi faterentur, ſuam ſe doctrinam ex Platonis Judaeorumque disciplina duxiſſe; *vel* ut efficeret, tantam eſſe utriusque doctrinae *ſimilitudinem*, ut *minime probabile* ſit, duos pluresve homines in eandem ſententiam incidiſſe, niſi alter alteri veluti facem praetuliſſet. Et *priorem* quidem viam, facillimam illam atque planiſſimam, minime mirum est, non ingreſſum fuiſſe Eberhardum, cum nullum ejusmodi testimonium in Novo Foedere reperiatur; quod ipſum non levis momenti eſſe ad Auctoris opinionem redarguendam ex iis, quae *Cap.* I. attulimus, intelligitur. *Posterioris* autem viae ea est ratio, ut non ulterius

nos, quam ad *probabilitatem* quandam, perducere possit. Quae probabilitas: alterum ab altero doctrinam suam accepisse: eo major est, quo *plura* sint, in quibus consentiant. Quin etiam duorum pluriumve hominum in *una tantum re* consensio hanc saepe probabilitatem affert, modo ea res adeo *singularis* et *inaudita* sit, ut ea consensio, nisi alter ab altero didicerit, miraculi cujusdam sit instar habenda. Alii autem quid sentiant nescio, equidem, cum de *Religione* agitur, in summa vix probabilitate acquiesco. Et tamen non recusabimus, quominus de hac severitate remittamus, assentiamurque Eberhardo, modo ea, quae diximus, ratione hanc probabilitatem ostenderit. Itaque utriusque doctrinae inter se comparatione Auctor efficere voluit, religionem Christianam ex Platonicis Judaicisque fontibus manavisse. Quae quidem comparatio quam perversa sit, postea videbimus. Nunc hoc unum animadvertimus, Auctorem eam rem, quam planam facere voluit, ne *probabilem* quidem fecisse. Neque enim *plures* utriusque doctrinae partes, sed *unam* tantum particulam commemoravit, quae est de Messia in coelo; cum tamen paulo ante dixerimus, tum demum eam, quam Eberhardus voluit, probabilitatem effici, si *plurium* partium ostendatur consspiratio. Atqui, inquit, nonne tu idem fassus es, duorum pluriumve in *una* tantum *re* consensionem saepius satis esse ad demonstrandum, alterum ab altero didicisse? Fateor: verum addidi: *si ea res admodum singularis et prope inaudita sit.* Atqui hoc ipsum in Eberhardi argumentatione desideramus. Non enim *singularem* quandam et *inusitatam* rem, sed *vulgarem*, nec *quicquam peculiare* habentem, intulit: ut facile plurasi in eandem sententiam incidere potuerint, absque eo, ut alter ab altero didicisse existimandus sit. Sumamus enim, hanc fuisse Platonis sententiam, *ideas esse in coelo*; ecqua igitur ista oratio est: *Ideas sunt in coelo e sententia Platonis; Messias etiam in coelo est; ergo doctrina Christiana fluxit a Platonica?* Quidni potius religionem Christianam ex Iliade Homerica ortam esse statuamus, qua Jovem quoque ceterosque Deos immortales *in coelo esse*, docetur? Atqui Dii quidem *personae* sunt, ut Messias, Ideae non sunt. Vide vero, quam liberales simus disputatores. Etiamsi haec fuisset Platonis sententia, *ideas esse in coelo*, nil tamen profecisset Eberhardus. Quid vero, si contendamus, omnia ea loca, quibus Plato dicat, *ideas esse in mundo intelligibili*, *improprie* et, ut ita dicam, *poetice* esse interpretanda (*g*)? Quid, si Eberhardo persuadeam, Platonem diserte docere, *ideas nusquam esse*, *ne in coelo quidem* (*h*). Atqui fortasse quis dixerit. „ Auctorem hic Messiam Christianorum non cum Ideis Platonicis, sed cum Messia Judaeorum comparare, de quo cum Christianorum et Judaeorum eadem sit sententia, quandoquidem utrique Messiam suum in coelo collocant, eam rem nimis *memorabilem* et *singularem* esse, quam ut illi non existimandi sint, sententiam suam a Judaeis accepisse." Ad hoc autem ut breviter respondeatur, hic sumendum est, quod postea demonstrabimus, miram esse disputationis Eberhardianae confusionem, cum res dissimillimas pro similibus habeat, atque Platonicam de mundo intelligibili sententiam eam-

dem

dem esse putet Judaicam, cum utriusque maxima sit diversitas. Difficile est asequi, quid sibi Auctor velit. Mox Platonicas ideas arripit, quibus rursus relictis, continuo, quasi eadem doctrina sit, Judaeorum somnia amplectitur. Fac vero, Eberhardum non cum ideis Platonicis sed cum Messia Judaeorum conferre Christianorum Messiam: primum quaero, quid sit, quod Platonem crepet ceterosque philosophos Graecos? Cum enim ex horum sapientia, copulata cum doctrina Judaeorum, religionem Christianam profectam esse dixisset, atque ejus rei demonstrandae gratia in eorum philosophia exponenda maximam operis sui partem consumsisset, quid est, quod, cum jam ad ipsam rem perventum est, illos sapientes, tamquam inutiles ac seditiosos milites, dimittat, et una Judaeorum armatura utatur? Deinde, quamvis concedamus, Judaeos in ea fuisse sententia versatos, ipsorum Messiam esse in mundo intelligibili, semperque fuisse (*i*), quis tandem adeo levis, qui hac una re eo se rapi patiatur, ut continuo existimet, Christianorum et Judaeorum de Messia sententiam unam esse atque eandem? Cum praesertim et ea sententia, *Messiam esse in coelo*, adeo *universalis* sit, adeoque *nihil peculiare* habeat, ut eodem jure Christianorum Judaeorumque Messias appellari possit ille, quem supra nominavi, Jupiter Homeri; et Christianorum de persona Messiae adeo diversam esse sententiam ab opinione Judaeorum constet, ut, si quis propter unam illam causam, quam adduxit Eberhardus, existimet Christianorum doctrinam de Messia ex Judaicis fontibus fluxisse, haud difficile sit, commemorandis utriusque Messiae diversitatibus, eundem ab hac sententiae temeritate avocare. Ne autem in vanam velitationem abeat disputatio, illud facile ex iis, quae supra posuimus, cum Eberhardi sententiam explicaremus, et ex ipsa Auctoris professione intelligitur, eum Christianam de Messia doctrinam non comparare cum Judaeorum de eodem sententia, sed cum *Judaico-Platonica*, adeoque Christianorum Messiam esse ideam Platonicam, ad quam, tamquam ad exemplar quoddam, expressus fuerit Jesus; qui quamvis mortuus sit in his terris, aeternus tamen dicendus sit, cum ejus idea in coelo sit aeterna. Quae cum sit Eberhardi opinio, efficitur ne eam quidem similitudinem remanere, quae per *coelestis* domicilii necessitudinem inter utrumque Messiam intercederet, quandoquidem, ut supra vidimus, Platonicae ideae nusquam sunt, ne in coelo quidem.

Hoc autem loco doctissimi Eberhardi exemplo animadvertatur, quanta soleat menti humanae offundi caligo, simul atque cupiditate quadam et praejudicatis opinionibus ducatur. Hoc sibi propositerat Auctor efficere, doctrinam N. F. de Messia esse Platonico-Judaicam. Itaque nihil ei prius, nihilque antiquius esse debebat, quam ex libris Cabbalisticis testimoniorum auctoritatem afferre, quibus constaret, Judaeos sibi Messiam informasse, tamquam ideam quandam Platonicam. Quid autem fecit? Ne unum quidem verbum attulit. Comperiens vero Judaeos in ea sententia versari, Hierosolymam, templum, sacerdotem in coelo esse, analogia quadam nixus, *rogat* an non eodem sensu Messias quoque in coelo esse existimandus sit? qua rogatiuncula se doctissimos Theologos perturbavisse gloriatur.

Pol,

Pol, inquam, quorſum ruit vana conjectandi libido! Nolumus de ista analogia contendere, quam facile erat infringere. Nunc hoc unum animadvertimus, non quaeri, quid fortaſſe analogia *patiatur*, ſed quae *fuerit* Judaeorum de Meſſia ſententia. Et Cabbaliſtarum quidem ſcripta ſi omnem illam doctrinam de Meſſia ſilentio praeterirent, aliquam fortaſſe veri ſpeciem Eberhardi ex analogia argumentum haberet, quamquam perexiguam, minime certe talem, quae ſufficeret ad tantam rem demonſtrandam, quantam Eberhardus demonſtrare voluit, aut quae ſatis eſſet ad ea convellenda, quae nos in contrariam partem *Cap.* I. disputavimus, et postea diſſeremus. Nunc autem et ſaepius de Meſſia *loquuntur*, et ita loquuntur, ut cuique apertum eſſe debeat, Cabbaliſtas in hac doctrina, ne ſomniando quidem de ideis Platonicis cogitaviſſe (*k*). Vide ergo, quam praeclare rem ſuam Eberhardus agat. Omnia illa loca, quibus ipſi Cabbaliſtae ſententiam ſuam de Meſſia explicant, minime curat; apertisque testimoniis contemtis, una quadam rogatiuncula vult eam rem conficere, quae inſigni quadam nec vulgari testimoniorum auctoritate conficienda erat. Diſſentiunt ab Eberhardo ipſi Cabbaliſtae, repugnant Jeſus et Apostoli, non patiur res ipſa, ut postea videbimus, nihil auctor habet, quo cauſam tueatur, non parvam illam, non vulgarem, ſed tam magnam, tamque gravem, ut ad eam defendendam infinita fere argumentorum vis afferri deberet. Quo autem magis etiam appareat, quanta fuerit in Eberhardo cupiditas, quidque ſit ejus opinioni tribuendum, illud etiam animadvertendum est. Cum multi fuerint, qui doctrinae Christianae placita Cabbaliſticorum ope ſcriptorum illustrare ac probare vellent, hi tanta probabilitate rem ſuam geſſerunt, ut multi *R. Simeonem Jochai*, *Soharis* auctorem, in quo omnem ſuam ſpem Eberhardus poſuit, Christianum fuiſſe existimarent (*l*). Quaenam igitur illa placita, quae hac ratione probare vellent, fuiſſe arbitremur? Non profecto illa Eberhardiana, ſed ea, quae ſi a Cabbaliſtis traduntur, ut viri doctiſſimi affirmant, prorſus corruere debeat Auctoris opinio (*m*). Et quamquam plurimas ob cauſas his rebus non multum tribuendum cenſemus, est tamen horum virorum longe probabilior, quam Eberhardi, ratio. Cum enim e Cabbalistarum ſcriptis *nihil* omnino auctoritatis, *nihil* testimonii afferre potuerit, *quo* efficeret Meſſiam ex eorum ſententia eſſe ideam quandam Platonicam, illi ad cauſam ſuam tuendam ex iisdem illis libris infinitam locorum vim copiamque congeſſerunt, adeo perſpicuorum, ut Patres Nicaenos fere Cabbaliſtas fuiſſe, dicas. Et apud nos quidem, ut diximus, non multum valet eorum oratio: illud autem quaerimus, primum quomodo Eberhardus ejusmodi loca interpretanda cenſeat, quomodoque ad opinionem ſuam accommodanda? deinde, quid responderet, ſi cum eo κατ' ἄνθρωπον, ut dicitur, diſſerere vellemus, atque contendere, ſi ipſe tantum ſibi ſumat, ut, *nullo allato testimonio* e ſcriptis Cabbaliſticis probare ſe poſſe putet, Meſſiam Christianorum eſſe tantum ideam quandam Platonicam, multo magis, niſi ſe ipſe deserere velit, eum oportere *magna diſſertorum testimoniorum multitudine* moveri, rem non ita, ut opinetur, ſe habere?

2. Ve-

2. Veniamus ad alteram Animadverſionem noſtram, quam magni momenti eſſe ad Eberhardi debilitandam ſententiam exiſtimo. Prudentiſſimis Theologis ea ſemper uſurpata conſuetudo fuit, ut, cum ad doctrinae Christianae corpus aliquod conficiendum ſe darent, ad hanc rem *totius* S. Scripturae auctoritatem ita adhiberent, ut diſperſas cujusque loci particulas diligenter colligerent, inter ſe conferrent, quid omnium earum partium *commune* eſſet, animadverterent, earumque prudenti conglutinatione tandem oſtenderent, quae eſſet univerſa doctrina Christiana. Quam conſuetudinem cur Eberhardus non teneret, nulla omnino cauſa erat, niſi quod eam ad conſilium ſuum non ſatis accommodatam judicaviſſe videtur. Quaſi enim *una ad Hebraeos epistola* omnem Christi et Apoſtolorum Theologiam contineat, eam *unam* amplectitur, reliquorum N. F. librorum nullam rationem habet. Quae res quantopere vituperanda ſit, facile intelligitur. Quis enim ignorat Jeſum ejusque Apoſtolos hunc morem conſtanter tenuiſſe, ut ſuam docendi rationem accommodarent ad ingenium conditionemque eorum, quos edocerent? Alia profecto Pauli in Areopago, alia apud Agrippam eſt oratio. Alio ad Romanos, alio ad Corinthios, ſcribendi genere utitur. Quamobrem ſi cognoscere velimus, quae ſit Novi Foederis *conſtans* ac *perpetua* doctrina, illud faciamus neceſſe eſt, quod paulo ante diximus a ſapientiſſimis Theologis ſemper uſurpatum fuiſſe. Reprehendendus igitur Eberhardus, qui nihil penſi habens, quid ceteris N. F. libris de Meſſia tradatur, unius tantum epiſtolae auctoritate nitatur, ipſe fatens, ſententiam ſuam cum epiſtola ad Corinthios difficile conciliari poſſe.

Quod autem ad rem ſuam tuendam, de tot libris N. F. potiſſimum epiſtolam *ad Hebraeos* delegit, magis etiam reprehendendus eſt. Quid, ſi contendimus doctrinam hujus epiſtolae *non eandem eſſe*, quae ceterorum N. F. ſcriptorum? (*n*) Nonne igitur noſtro jure totius N. F. auctoritatem unius poſſumus epiſtolae auctoritati opponere; cum praeſertim ejus epiſtolae neſciamus quis ſit auctor? Atque hac de re mox plura monebuntur. Neque volumus pertinaces eſſe in eorum, quos commemoravimus, opinione defendenda, epiſtolam ad Hebraeos, in hac de Meſſia doctrina, a reliquis N. F. libris diſcrepare. Illud vero teneatur velim; ſi verum eſt, quod paulo ante diximus, Apoſtolos pro eorum, quos edocerent, ingenii conditionisque varietate, varia uſos fuiſſe docendi ratione, temerarium eſſe Eberhardum, qui, ad cauſam ſuam tuendam, *hanc* potiſſimum epiſtolam adhibeat, quam eo conſilio ſcriptam eſſe conſtat, ut Hebraeorum, quos avitae religionis magnum et inexſpectatum deſiderium cepiſſet, conſtantia animique firmitas adjuvaretur. Quod deſiderium cum propterea in iis eſſet excitatum, quod religionem Christianam praè pompa Moſaica exilem atque jejunam exiſtimarent, nihil ad illud exſtirpandum aptius eſſe poterat, quam *allegorica* quadam et *impropria* ſcribendi ratione res Judaicas ad Christianorum doctrinam accommodare. Qui ſtilus cum hujus epiſtolae peculiaris ac perpetuus ſit, quid tandem de Eberhardi ratione exiſtimandum, qui, reliquorum N. F. *propria* dictione

neglecta, verborum improprietate, allegoriisque, ad Hebraeorum ingenium accommodatis, unice nitatur? Aut quis adeo artis interpretandi imperitus, qui ejusmodi orationis intelligentiam ad perspicuorum locorum simplicitatem exigendam esse, nesciat?

Quae diximus eo valent, ut Eberhardum duplici nomine vituperandum esse, intelligatur, quod et *unius tantum epistolae* auctoritatem ad causae defensionem adhibuerit, et vero *ejus* potissimum, quae sit conscripta *ad Hebraeos*. Nos autem tanta volumus disputandi facilitate uti, ut ne Eberhardus quidem, si adhuc in vivis esset, majorem a nobis postulaturus fuisse videatur. Esto igitur: non est reprehendendus: fecit, ut subtilem disputatorem decet. Demus etiam: quamquam postea hujus ipsius epistolae testimonium Eberhardo opponemus: demus igitur, doctrinam hujus epistolae Platonico-Judaicam, id est, Cabbalisticam esse. Quid, *si nec Paulum, nec alium quemdam Apostolum habeat Auctorem?* Nota satis res est, quanta de ejus scriptore inde ab *Origene* inter doctos viros fuerit dissensio, quorum in utramque partem disputationes hic referre, non patitur instituti nostri ratio. Illud autem verissime mihi affirmare videor, si Eberhardo licuit, reliqua N. Foederis auctoritate neglecta, una niti epistola ad Hebraeos, multo majore jure iis, qui ab eo dissentiant, licere, neglecta ad Hebraeos epistola, reliquorum N. F. scriptorum auctoritatem sequi. Neque dubito, quin ita ipse Eberhardus egisset, si hoc ejus tulisset ratio. Ad tales enim res dijudicandas si quid stili genus, si quid disserendi ratio, si quid testimoniorum valet gravitas, ea omnia Pauli auctoritatem respuunt (o). Sit autem in utramque partem aeque probabilis oratio. Itaque illud certe concedendum, *incertam esse epistolae auctoritatem*. Ecqua igitur, per Deum immortalem, ista disputatio est, non tantum, ut supra vidimus, *uni* cuidam epistolae *allegoriisque*, sed et *incertis* adhaerescere, *plura*, *propria*, *certa* contemnere? Est omnino elegantissima lectuque suavissima epistola: si autem *non* sit a Paulo conscripta, ut nobis quidem videtur, equidem in ejus quaestionis tractatione, quae est de vera indole religionis Christianae, cur ejus testimonio plus tribuamus, quam auctoritati *Barnabae*, *Clementis*, *Ignatii* aliorumque, prorsus me non videre fateor. Eberhardus igitur si efficere non potuit, Paulum esse ejus auctorem, quod neminem mortalium aut effecisse umquam, aut effecturum arbitror, illud certe planum facere debuerat, tantam esse ejus epistolae praestantiam, ut, etiamsi sit obscurae auctoritatis, tamen *una* nos satis *certo* edocere possit, quae sit Christi et Apostolorum doctrina. Hic Rhodus, hic salta!

Itaque putat Eberhardus, *religionem Christianam* ex philosophia Cabbalistico-Alexandrina fluxisse, *quoniam Auctor epistolae ad Hebraeos eam philosophiam amplexatus sit*. Atqui ignoramus Auctorem! Quid respondeas, doctissime Eberharde! si illam philosophiam, propterea in hac epistola reperiri contendam, quod ejus scriptor non Paulus sit, sed *Judaeus quidam Alexandrinus*, qui Christi Apostolorumque doctrinam aut non intellexerit, aut male ad suas ipse opiniones contorserit. Quod si ita est, videsne omnem

dis-

disputationis tuae mucronem hebetatum? Conjicientis, inquit, haec levitas est, non argumentantis gravitas? Quid vero? Theologos illos cum *rogares*, *an non Messias Christianorum esset Idea Platonica*, quid aliud faciebas, quam conjectari? Eberhardone liceat gravissimam quaestionem de religione Christiana una quadam conjecturâ conficere, mihi hanc unam, quae est de epistola ad Hebraeos, non liceat? Et ille quidem nullo argumento, nulla auctoritate: ego certe causae meae patronum laudare doctum quendam virum possum, qui, non quidem ob rationes Eberhardianas, sed propter hujus epistolae cum Philoniano scribendi genere similitudinem, *minime improbabile existimat*, *esse eam ab erudito quodam Judaeo Alexandrino conscriptam* (*p*). Quae si vera sit sententia, facile quisque intelligat, *in orbem* redire omnem Eberhardi argumentationem.

Quae attulimus, illud, nisi fallimur, efficiunt, *etiamsi epistolae ad Hebr. de Messia doctrina ex Cabbalistico-Alexandrina philosophia esset ducta*, ad opinionem tamen Eberhardi nihil hinc commendationis proficisci posse. Postea autem sententiam Auctoris hujus ipsius epistolae auctoritate saepius oppugnabimus. Nunc ad *tertiam* Animadversionem veniamus.

3. Supra jam questi sumus, maximam Eberhardiani libri partem in iis rebus consumi, quae et satis cognitae sint, et cum causa primaria nullam prorsus conjunctionem habeant; tantam autem quaestionem, quae sit de religionis Christianae origine, cujusque causâ omnis esset instituta disputatio, paucarum spatio paginarum absolvi. Quam rem si qui sint, qui mirentur, illi ut mirari desinant, animadvertant velim, arctissimos ab Eberhardo religionis Christianae terminos constitui. Neminem enim esse arbitror, qui non ex iis, quae diximus, intelligat, mirum in modum ab Auctore doctrinam Christianam adtenuari, cum eam praecipue ad *unam* revocet *personam* Messiae in coelo. Quamobrem, ut Epicurum reprehendit Cicero, quod aliter loquatur, quam

Omnes Danai, *atque Mycenenses*,
Attica pubes —

reliquique, qui hoc anapaesto citantur; sic vituperandus Eberhardus, quod aliam constituit religionem Christianam, quam omnes Christiani solent. Ne illud quidem omnibus persuadebit, doctrinam de *persona Messiae* esse ad primarios religionis locos referendam (*q*), nedum *hac una doctrina* omnem religionis tamquam ambitum contineri. Et tamen Eberhardus, quasi ne in disceptatione quidem ea res versari possit, hoc temere et nullo rursus argumento sumit. Quamquam autem *Eichhornio* nullo pacto assentior, cum doctrinam de Messiae persona non tanti faciendam esse, existimet (*r*), tamen illud omnes, quibus N. F. argumentum vel mediocriter perspectum sit, daturos opinor, doctrinae Christianae caput magis in *consilio adventus Messiae*, quam in ejus *persona*, esse positum (*s*). Eberhardus igitur, cum de *universa religione Christiana* quaestio esset, universam quoque religionem tractare debebat, non aliquam *particulam* arripere, quae ne quidem omnium reliquarum

partium potisſima eſſet, atque maxime tenenda! Nolumus de praecipuis Fidei Christianae locis quaerere, de quibus acris ſolet inter Theologos eſſe disputatio (*t*). Ab Eberhardo autem hoc jure postulari poterat, ut non membrum aliquod, ſed integrum nobis doctrinae corpus exhiberet. Cum vero antea eum reprehenderimus, quod ex omnibus N. F. libris unam tantum particulam delegit, unde opinioni ſuae commendationem aliquam colligeret, ita nunc multo etiam magis reprehendendus, quod ex ea particula aliam rurſus doctrinae Christianae particulam exſculpit, atque ne ea quidem curat, quae praeter illam de Meſſia ſententiam, in epistola ad Hebraeos reperiuntur. O bellam religionem, quae tamquam minutal ita ſe contundi patiatur! Non hercle corporis humani propterea eadem est, quae ceterorum animantium, compages, quod fibras nonnullas cum tauro habemus communes. Quid est Eberharde, quod in *una* parte acquiescas, non reliquas etiam perſequare? Atque ne nimis molesti ſimus, quid est, quod *mortem Jeſu Christi* taceas? Quae ſit hujus mortis vis, quodnam conſilium, hoc loco non quaerimus; quotus autem quisque est, qui, cum hoc Eberhardus ſuscepiſſet, ut religionis Christianae doctrinam ex Graeca Judaicaque philoſophia fluxiſſe ostenderet, non magnopere miretur, ab Auctore eum eſſe locum praetermiſſum, qui ab Apostolis ita pro primario haberetur, ut in eum unum omnem ſuam ſapientiam Paulus coarctaret (*u*). Quod ſi quis dixerit, propterea fortaſſe hunc locum ab Eberhardo fuiſſe neglectum, quod totus eſſet ad illius temporis, quo Jeſus Apostolique viverent, rationem accommodatus, nec amplius ad nos pertineat; nihil dixerit. Primum enim nulla cauſa est, cur haec doctrina ad illud tantum tempus pertineat, quae autem de *Jeſu Pontifice atque Meſſia in coelo* est, omnium temporum ſit, omniumque hominum. Deinde non quaeritur, quae doctrina *temporariam*, quae *ſempiternam vim* habeat, ſed quaeritur, quid Jeſus ejusque Apostoli docuerint. Si igitur ea doctrina ad illud tantum tempus fuerit accommodata, Eberhardus demonſtrare debuerat, illam ex philoſophia Cabbalistico-Alexandrina eſſe propagatam (*x*).

Quicquid in Auctoris disputatione tetigeris, ulcus est. Cum enim in omnium reprehenſionem incurrere debeat, quod, cum tantam rem moliretur, graviſſima religionis placita praetereat, illud praecipue, quod est de *morte Meſſiae*, quanto acrior fiat ea reprehenſio neceſſe est, ſi memineris, *ipſius ad Hebraeos epistolae*, qua una Eberhardus confidit, *praecipuum argumentum in morte Jeſu Christi verſari* (*y*). Quid est quod epistolam ex epistola tollat, atque in una parte ejus auctoritatem agnoscat, in altera ſpernat, eâque graviſſimâ? Atqui ne haec quidem extrema disputandi libido est. Divellit Auctor ea, quae ita ſunt conjuncta, ut nec divelli nec distrahi poſſint. Conſtat enim, Christum a ſcriptore hujus epistolae *propterea* Pontificem appellari, quod *pro peccatis mortem oppetierit, ſeque tamquam ſacrificium obtulerit* (*z*). Itaque facile intelligitur, Jeſu Pontificis dignitatem ita cum doctrina de ejus morte eſſe conjunctam, ut, qui alteram ab altera disrumpat, corporis et animi discidium inducere videatur. Et tamen Eberhardus in hoc uno Pontificis

ficis *nomine* omnem disputationem consumit, de *re ipsa*, hoc est, de *salutari mortis Jesu Christi consilio*, ne verbum quidem. Si quid autem de hac morte dicit, ita dicit, quasi Jesus ejusque Apostoli de eo consilio nihil quicquam fuerint locuti. *Messiae*, inquit, *obitus in his terris nihil oberat ejus ideae in coelo aeternitati.* Ecce tibi omnia, quae de Christi morte Eberhardus docet! Et tamen hoc est, *demonstrare, religionis Christianae doctrinam, quae libris N. F. contineatur, ex philosophia Cabbalistico-Alexandrina fluxisse!* Reliqua etiam religionis loca commemorare poteram, quae ab Auctore sint praetermissa; queri poteram, *omnem morum doctrinam* ab eo prorsus fuisse neglectam: sed finem reprehendendi hoc quidem loco!

Quae attulimus, ejusmodi sunt, ut, si eorum summarium quoddam conficeretur, satis esse viderentur ad repellendam Eberhardi sententiam. Nos vero, ad *Alteram Partem* pergimus, qua efficiamus, *tantam esse doctrinae N. F. de Jesu Christo in coelo cum Platonico-Judaica, sive Cabbalistico-Alexandrina philosophia pugnam, tantumque inter utramque intercedere discrimen, ut nihil omnino commune habeant.*

II.

Quamquam superiori Parte satis ostensum esse arbitramur, vituperandum magnopere esse Eberhardum, quod tam tenuem tamque exilem *religionem Christianam* constituat, ut, gravissimis placitis amputatis, unum *Jesu Pontificis* non tam *munus*, quam *nomen*, relinquatur, tamen, cum in refutanda Auctoris sententia omnis nostra disputatio versetur, par esse ducimus, *religionis Christianae* vocem eo sensu accipere, quo eam acceperit Eberhardus. Itaque dicendum est de *Jesu Christo in coelo*, efficiendumque hanc N. F. doctrinam a Platonicis Judaicisque opinionibus adeo esse diversam, adeoque discrepantem, ut duarum rerum haud facile major pugna atque discrimen esse possit.

Atque hoc loco omnium primum animadvertendus Eberhardi error est, cum res diversissimas ita confundat, ut pro iisdem habuisse videatur. Quae quidem insciti cum improbanda sit in iis, qui in doctorum Theologorum numero censeri cupiant, tum turpis etiam ei, cui ad tantam rem, quantam aggrebat, ea diversitas penitus perspecta atque cognita esse deberet. Cum enim Eberhardus, in exponenda de *Jesu in coelo Pontifice et Messia* doctrina, ita dicit: *Quis hoc loco non reperiat Ideam Platonicam?* et rursus de eadem re: *Quis non videat hanc doctrinam ductam esse ex opinione Judaeorum, qui res suas sacras in coelo esse existimabant?* ita igitur cum dicit, facile apparet, ab Auctore Platonis doctrinam de Ideis, et doctrinam Judaeorum de rebus suis sacris in coelo, mirifice confundi, cum tamen earum permagna sit diversitas. Supra enim (*Cap.* II.) ipsos Cabbalistas, vidimus, *non sacras suas res in coelo*, sed *Sephiras*, cum Ideis Platonicis comparare. Quale autem quantumque discrimen intercedat, ita optime declarari posse existimamus, si de

ſingulis peculiariter dicamus, atque Novi Foederis doctrinam *primum* cum *Platonica* ſeu *Philoniana*, *deinde* cum *Judaica* ſeu *Cabbalistica* ſententia comparemus.

Antequam vero ad Platonis rationem perveniamus, illud monendum est, nos *hac* quoque in parte disputationem nostram ad Eberhardi voluntatem compoſituros eſſe. Sicut enim Auctori eam veniam dedimus, ut *unum unius epiſtolae ad Hebraeos de Jeſu in coelo argumentum* haberet pro *univerſa doctrina Christiana*, *quae cunctis N. Foederis libris contineatur*, ita illud etiam ei permittemus, ut discerpat Platonem, ex media ejus philoſophia *unam de Ideis ſententiam* ſeligat, eam accommodet ad illam, ſi Diis placet, *doctrinam Christianam*, ac denique glorietur, ſe effeciſſe, *religionis Christianae parentem eſſe philoſophiam Platonis*. Etiamſi vero concedere cogeremur, in N. Foedere nihil de Jeſu Christo in coelo doceri, quod non ex Platonica de Ideis doctrina, *ſeparatim ſpectata*, manare potuerit, haud tamen difficile eſſet planum facere, eam eſſe hujus doctrinae cum *reliqua Platonis philoſophia conjunctionem*, ut utraque doctrina *verborum* tantum, non *rerum*, ſimilitudinem habeat. Et de illa quidem conjunctione tantum dicemus, quantum deſiderabit perſpicuitas: in ceteris, quoad ejus fieri poterit, et brevitati ſtudebimus, et Eberhardo obtemperabimus, omnemque nostram disputationem ad unum *de Ideis* locum revocabimus. Tribus igitur Animadverſionibus omnem rem complectamur.

A. Cum perobſcura ſit Platonis de mundo intelligibili ſententia, mirum profecto nemini videri debet, ſi de ea multae ſemper fuerunt atque discrepantes opiniones. Est autem magni inprimis momenti quaestio, collocaverintne philoſophus illas *ideas in mente tantum divina*, an vero illas *ſeorſum*, *extra intellectum divinum*, et *per ſe existere*, contenderit? Qua de re cum ſaepius ambigua ſit Platonis oratio, ita optime haec lis dirimi poſſe videtur, ſi doctrinam de Ideis cum reliquis ejus philoſophiae locis paulo diligentius comparare placeat. Quo facto, neminem fore arbitramur, quin intelligat, a Platonis doctrina nihil magis alienum eſſe poſſe, quam eorum ſententiam, qui eum Ideas pro *ſubſtantiis*, *per ſe exiſtentibus*, habuiſſe exiſtimant.

Et primum quidem, quis acutiſſimum philoſophum rem tam futilem, tamque *commenticiam* attuliſſe credat, ut non tantum rerum ſenſibilium, verum etiam virtutum, proprietatum, ut pulcri, ut boni, cet. exemplar quoddam per ſe, et ab intellectu divino ſejunctum existere putaverit. Quotus enim quisque est, qui vel aliquam istiusmodi exemplaris formam ſibi mente et cogitatione fingere poſſit? Neque dicere juvat, Platonem poeticam fuiſſe philoſophandi rationem ſecutum, poetarum autem magnam eſſe, nec facile coercendam ludendi licentiam. Cum enim, ut postea videbimus, Ideis tantum tribuerit, *ut ea* doctrina per omnem ejus philoſophiam pertineat atque diffuſa ſit, quippe absque quibus nulla eſſe rerum ſcientia, nulla evidentia, poſſit, ſtatuendum est, ſi Plato in illa de Ideis doctrina explicanda, poetam magis ludentem, quam ſeverum philoſophum agat, cum gravisſimam omnis philoſophiae partem, quae est de evidenti rerum ſcientia, commenti ali-

alicujus vanitati, tamquam fundamento, ſuperſtruxiſſe! Bonum vero factum, quod in eam dementiam non est delapſus princeps philoſophorum.

Attulimus ſupra perſpicuum locum Platonis, quo docet, *Ideas neque in coelo eſſe, neque in terra, neque in alio quocunque loco.* Idem vero docet, *omnem ſubſtantiam locum aliquem occupare neceſſe eſſe; quod autem neque in coelo neque in terra ſit, id nihil eſſe.* *Vol.* IX. *pag.* 349. φαμὲν ἀναγκαῖον εἶναί που, τὸ ὂν ἅπαν, ἔν τίνι τόπῳ, καὶ κατέχον χώραν τινά· τὸ δὲ μήτε ἐν γῇ, μήτέ που κατ' ὀυρανὸν, ὀυδὲν εἶναι. Ecqua igitur ratione Ideae ſubſtantiae eſſe poſſunt?

Cum Plato, ut postea apparebit, ab *Heraclito* didiciſſet, *omnia eſſe in fluxu atque in motu;* facile intelligebat, omnem ſcientiam, quae rebus ſingulis niteretur, firmam eſſe atque ſtabilem non poſſe. Itaque ad illam ſcientiae ſtabilitatem comparandam neceſſarium eſſe ducebat, quaeque rerum genera ad univerſales easdemque immutabiles Ideas referri, quarum ſingulae unum alterumve genus, ſejunctis veluti iis, quae cujusque rei propria ſint, complecterentur. Has ille Ideas animo humano inſitas eſſe a Deo existimabat, atque easdem eſſe, ad quarum exemplar hunc mundum Deus condidiſſet (*a*). Ut igitur nemo est, qui Ideas nostras *ſubſtantias* eſſe existimet, ab animo nostro ſeparatas, ita de Ideis divinis idem ſtatuatur neceſſe est.

Ideam mundi non eſſe ſubſtantiam, ab intellectu divino diverſam, ex eo etiam intelligi poſſe videtur, quod Deus, auctore Platone, ad *ſui ipſius* exemplar hanc rerum univerſitatem condiderit. *Vol.* IX. *pag.* 305. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ ὐδεὶς περὶ ὐδενὸς ὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. τούτου δ' ἐκτὸς ὢν, πάντα ὁτιμάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια ἀυτῷ. (*b*).

Docet Plato, nullum eſſe intellectum (νοῦν) poſſe niſi *in animo* (ψυχῇ). *Vol.* IV. *p.* 248. σοφία μὴν καὶ νοῦς ἄνευ ψυχῆς ὐκ ἄν ποτε γενοίσθην. — ὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς Φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχὴν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν. *Vol.* IX. *p.* 337. τῶν γὰρ ὄντων ᾧ νοῦν μόνῳ κτᾶσθαι προσήκει, λεκτέον ψυχήν. Cum autem una ſubſtantia altera contineri nequeat, efficitur, νοῦν non eſſe ſubſtantiam, ſed vim et facultatem animi. Cumque, ut *Cap.* II. dictum est, νοῦς ſit *ſedes idearum*, hae, propter eandem illam cauſam, quod una ſubſtantia in altera ineſſe non potest, ne tum quidem ſubſtantiae eſſent dicendae, etiamſi νοῦς ſubſtantia eſſet; quanto minus vero, cum νοῦς tantum ſit facultas animi, in animi *praedicato*, quod appellant, ineſſe poſſunt *ſubſtantiae.*

Doctrinam de Ideis multis rationibus oppugnat Parmenides in eo dialogo, qui ejus nomine inſcriptus est, *Opp. Plat. Vol.* X. Quae disputatio non adverſus ipſius Platonis doctrinam, ſed adverſus opinionem eorum ſuscepta est, qui ideas eſſe *ſubſtantias* existimarent (*c*). Quamobrem cum Socrates hanc opinionem tueri fingatur, eo tandem a Parmenide adducitur, ut ideas nihil aliud eſſe fateatur praeter *notiones animi* tantum, quo ſumto, omnem de hac doctrina difficultatem facile depelli: *pag.* 83. ἀλλὰ φέναι, ὦ Παρμενίδη, τὸν Σωκράτην, μὴ τῶν εἰδῶν (*d*) ἕκαστον τούτων ᾖ νόημα, καὶ ὐδαμοῦ ἀυτῷ προσ-

ήκῃ

ψυχῇ ἐγγίγνεσθαι ἄλλοθι ἢ ἐν ψυχῇ. οὕτω γὰρ ἂν ἓν τε ἕκαστον εἴη, καὶ οὐκ ἂν ἔτι πάσχοι ἃ νῦν δὴ ἐλέγετο (e).

Ipſe Cicero, quem in libris Platonicis accurate eſſe verſatum, conſtat, de Ideis loquitur, non ut ſubſtantiis, ſed ut animi *notionibus* (f). „ Phidias, inquit, quum faceret „ Jovis formam aut Minervae, non contemplabatur aliquem, e quo ſimilitudinem duceret; „ ſed *ipſius in mente inſidebat ſpecies pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in* „ *eaque defixus, ad illius ſimilitudinem artem et manum dirigebat.* Ut igitur in formis „ et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad *cogitatam ſpeciem imitando refe-* „ *runtur ea, quae ſub oculos ipſa cadunt:* ſic perfectae eloquentiae ſpeciem *animo vide-* „ *mus, effigiem auribus quaerimus.* Has rerum *formas appellat Ideas* ille non intelligendi „ ſolum ſed etiam dicendi gravisſimus auctor et magister Plato: easque gigni negat, et „ ait ſemper eſſe, *ac ratione et intelligentia contineri:* cetera nasci, occidere, fluere, „ labi, nec diutius eſſe uno et eodem ſtatu." Cui Ciceronis loco, quo nihil evidentius eſſe potest, alios duos adjungemus, a *Tennemanno*, *Syst. Phil. Plat. Tom.* III. p. 12, 13. jam allatos. Alter est *Galeni*, *Hist. Phil. Cap.* VI. Ἰδέα ἐστὶν ὑσία ἀσώματος, ἀπιάτων, ἥτις ἐστὶν αὐτὴ, καὶ παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν ἐχόντων ἀισθητῶν ὑποστάσεων, αὐτὴ μὲν οὐχ ὑφεστῶσα καθ' ἑαυτὴν, ἐνεικονιζούσα δὲ τὰς ἀμόρφους ὕλας καὶ αἰτία γινομένη τῆς τούτων διατάξεως. Πλάτων δὲ συγχωρεῖ, ὅσον δυνατὸν, ὅτι ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις δεῖ ζητεῖν ἰδέας τοῦ θεοῦ. Alter *Alcinoi Iſag. Cap.* IX. ἐστὶ δὲ καὶ ἡ ἰδέα, ὡς μὲν πρὸς θεὸν νοήσις αὐτοῦ· ὡς δὲ πρὸς ἡμᾶς, νοητὸν πρῶτον· ὡς δὲ πρὸς τὴν ὕλην, μέτρον· ὡς δὲ πρὸς τὸν αἰσθητὸν κόσμον, παράδειγμα· ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ἐξεταζομένη, ὑσία. Vid. et *Wolfius* ad *Pſeudorigen. Philoſoph.* p. 895. *Kurt Sprengel*, *Geſch. der Arzneikunde*, *Tom.* I. p. 438. ſqq. *Philonis* denique eadem doctrina est, vid. *Tom.* I. p. 4.

Plura afferre nec placet, nec neceſſe est; quae enim allata ſunt, ſatis, quod volumus, efficiunt, *Platonicas Ideas non eſſe ſubſtantias, ſed notiones in mente divina inſidentes, quas Deus intuens ac ſecum animo et cogitatione volvens, ad earum ſimilitudinem atque exemplar hanc rerum univerſitatem fabricatus ſit.*

Jam ſi longa oratione efficere velim, non magis lucem a tenebris differre, quam doctrinam N. F. a ſententia Platonica, ludere videar atque otio abuti. Quis enim hic magnam locorum vim exſpectet, quibus conſtet Sacros Scriptores *Jeſum Chriſtum in coelo* cogitaſſe, *non ut notionem quandam animi divini*, ſed *ut ſubſtantiam, a Deo diverſam* atque *ſejunctam?* (g) Hoc unum animadvertimus; etiamſi Eberhardus demonſtrare potuiſſet, Ideas Platonicas ſubſtantias eſſe, atque a mente divina ſeparatas, nihil tamen eum profecturum fuiſſe, cum, ad cauſam ſuam obtinendam, planum facere debuiſſet, illas Ideas non tantum ſubſtantias, verum etiam *perſonas* a Platone ſuiſſe habitas, ſicut Jeſus Chriſtus, quod vel e commemoratis locis apparere debet, non tantum ſubſtantia in coelo, ſed *perſona* quoque, et est et habetur.

B.

B. Heracliti cum haec fuerit ſententia, *omnia fluere*, nec *quicquam in ſtatu ſuo permanere* (*h*), hanc doctrinam Plato probavit, eamque cum philoſophia intellectuali Pythagorae, ac morali Socratis ita conjunxit, ut ex omnibus unum et quaſi proprii partus corpus efficeret (*i*). Quae Heracliti ſententia parens habenda est doctrinae Platonicae de Ideis. Cum enim ex magistri opinione Plato ſtatueret, omnia, quae videamus, nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esſe uno et eodem ſtatu, probe intelligebat, nullam posſe firmam atque ſtabilem rerum ſcientiam esſe, niſi quid esſet conſtans, immutabile, ortus interitusque expers, ad quod res fluxae referri atque exigi posſent. Illud autem conſtans et immutabile appellabat *Ideam*, ſine qua nulla esſe rerum ſcientia queat. *Vol.* X. *p.* 89. Ἀλλὰ μέντοι, ἔιπεν ὁ Παρμενίδης, ἐι δή γέ τις, ὦ Σώκρατες, ἄυ μὴ ἐάσει ἔιδη τῶν ὄντων ἔιναι, ἐις πάντα τὰ δὴ νῦν καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἀποβλέψας, μηδὲ ὁριεῖται ἔιδος ἑνὸς ἑκάστου, ὐδὲ ὅποι τρέψει τὴν διάνοιαν ἕξει, μὴ ἐῶν ἰδέαν τῶν ὄντων ἑκάστου τὴν αὐτὴν ἀεὶ ἔιναι καὶ ὄυτω τὴν τοῦ διαλέγεσθαι ὐναμιν πάντάπασι διαφθερεῖ. — Ἀληθῆ λέγεις, φάναι. Idea enim propterea ſtabilitatem ſcientiae affert, quod, cum res ſingulae ſua ſibi peculiaria (*accidentia*) habeant, quae nec in iisdem rebus ſemper eadem ſint, nec in ſingulis ejusdem generis reperiantur, illa (idea), abſtractis ſeparatisque accidentibus, complectatur *univerſalia*, quaeque ſingula inter ſe communia habeant. Si igitur, ut hoc utar, quaeritur, quid ſit *pulcrum*? ejus definitio non petenda est a pulcritudine equi, pavonis, foeminae, cet. verum omnia, quae pulcra appellantur, mente et cogitatione complecti oportet, quorum inter ſe comparatione, ſejunctis iis, quae equi, pavonis, foeminae propria ſint, pulcri ideam aſſequimur. Quod tamen non ita interpretandum, quaſi idea pulcri pendeat a rebus pulcris, quae exiſtant atque cernantur: ut enim reliquae ideae, (vid. Vol. IV. p. 216.) ſic etiam *Idea*, id est *Eſſentia*, pulcri aeterna est atque immutabilis, etiamſi res ipſae, quae pulcrae dicuntur, pereant atque mutentur. Quam in rem perſpicuus est locus in *Phaedone*, *Vol.* I. *p.* 178, 179. Ἴωμεν δὴ, ἔφη, ἐπὶ ταῦτα, ἐφ' ἅπερ ἐν τῷ ἔμπροσθεν λόγῳ. ἀυτὴ ἡ ὐσία — πότερον ὡσαὐτως ἀεὶ ἔχει κατὰ ταυτὰ, ἢ ἄλλοτ' ἄλλως; ἀυτὸ τὸ ἴσον, ἀυτὸ τὸ καλὸν, ἀυτὸ ἕκαστον, ὅ ἐστι τὸ ὄν, μήποτε μεταβολὴν καὶ ἠντινοῦν ἐνδέχεται; ἢ ἀεὶ ἀυτῶν ἕκαστον, ὅ ἐστι μονοειδὲς ὄν, ἀυτὸ καθ' ἀυτὸ ὡσαύτως κατὰ ταυτὰ ἔχει, καὶ ὐδέποτε ὐδαμῆ ὐδαμῶς ἀλλοίωσιν ὐδεμίαν ἐνδέχεται; Ὡσαύτως, ἔφη, ἀνάγκη, ὁ Κέβης, καὶ κατὰ τὰ ἀυτὰ ἔχειν; ὦ Σώκρατες. Τί δὲ τῶν πολλῶν καλῶν, ὅιον ἀνθρώπων, ἵππων, ἢ ἱματίων, ἢ ἄλλων ὠντινωνοῦν τοιούτων, ἴσων ἢ καλῶν, ἢ πάντων τῶν ἐκείνοις ὁμωνύμων, ἆρα κατὰ τὰ ἀυτὰ ἔχει, ἢ πᾶν τοὐναντίον ἐκείνοις, ὐτε ἀυτὰ ἀυτοῖς, ὐτε ἀλλήλοις ὐδέποτε, ὡς ἔπος ἐιπεῖν, ὐδαμῶς κατὰ ταυτά ἐστιν. Οὕτως ἄυ, ἔφη, ταῦτα, ὁ Κέβης, ὐδέποτε ὡσαύτως ἔχει. Οὐκοῦν τούτων μὲν κἂν ἅψαιο, κἂν ἴδοις, κἂν ταῖς ἄλλαις ἀισθήσεσιν ἄισθοιο· τῶν δὲ κατὰ ταυτὰ ἐχόντων ὐκ ἔστιν ὅτῳ ποτ' ἂν ἄλλῳ ἐπιλάβοιο, ἢ τῷ τῆς διανοίας λογισμῷ· ἀλλ' ἔστιν ἀειδῆ τὰ τοιαῦτα καὶ ὐχ ὁρᾶται. Nolumus esſe longiores, cum brevitatis ſtudio, tum quod res notisſima est, eorum, quae cernamus, tangamus, ceterisque ſenſibus percipiamus, cum in continua

mutatione versentur, nullam esse ex Platonis mente scientiam posse, nisi referantur ad Ideas, quae singula complectantur, quaeque aeternae, immutabiles sint, omni *contingentia* vacent, atque *abstractis iis, quae singulorum peculiaria* sint, *omnium communia* contineant (*k*).

Cum igitur Eberhardus existimet, Jesum, cum in coelo *Pontificis* atque *Messiae* munere fungatur, esse ideam Platonicam, vide quantum erret. Muneris enim dignitas, qua quis ornatus sit, quid aliud, quaeso, est, quam *accidens*, quod ab ideis suis longissime Plato arcebat? Philosophus, ut mox videbimus, res omnes ad sua quasque *genera* referebat: igitur alia erat idea hominis, alia quadrupedis, alia volucris cet. Cum autem hominum alii sint principes, alii subditi, alii strabones, alii proceri, pumiliones alii, non ille horum rursus singulares ideas esse statuebat, ut alia esset idea principum, alia subditorum, strabonum, cet. Sed, sejunctis *accidentibus*, omnes in unam *hominis* universalem ideam concludebat. Pugnat igitur cum Platone Eberhardus, si Jesum in coelo Pontificem ideam esse Platonicam arbitratur, qua omnes, qui in his terris sint, pontifices comprehendantur. Non enim pontificum magis, quam pumilionum, ex sententia Platonis, idea esse potest. Est autem hac in re mirus et incredibilis Eberhardi error. Cum enim Plato *accidentium* ac fortuitorum varietate et inconstantia perturbaretur, atque *propterea* ad ideas, in quibus nil nisi stabile esset, confugeret, Eberhardus, ad hoc Platonis consilium caecutiens, omnem rem pervertit, atque ideas, quas Plato nudas reliquerat, *accidentium* tamquam habitu vestit, atque exornat.

C. Quandoquidem Plato, ut jam diximus, in singulis cujusque generis rebus tantam esse *accidentium* varietatem animadvertebat, ut nulla earum firma et evidens scientia esse posset, nisi singula genera ad suas quaeque ideas referrentur, quae singulorum, quae ad aliquod genus pertineant, communia atque generalia *praedicata* (essentialia) complectantur, facile intelligitur, hanc esse Platonis sententiam, *omnium cujusque generis rerum tantum unam Ideam esse, atque quamque Ideam continere in seque concludere plura* (*individua*). Quam in rem affert Plato exemplum *lectorum*, qui etsi plures sint, alii a pictore, alii a fabro confecti, omnes tamen referendi sint ad unam lecti ideam, quam Deus genuerit. *Vol.* VII. *p.* 287. Τρίτταί τινες κλίναι γίγνονται, μία μὲν, ἡ ἐν τῇ φύσει οὖσα, ἣν φαῖμεν ἂν, ὡς ἐγῷμαι, θεὸν ἐργάσασθαι, ἢ τίνα ἄλλον; Οὐδένα, οἶμαι. Μία δὲ γε, ἣν ὁ τέκτων. Ναὶ, ἔφη. Μία δὲ, ἣν ὁ ζωγράφος. ἦ γάρ; Ἔστω. Ζωγράφος δὴ, κλινοποιὸς, θεὸς, τρεῖς οὗτοι ἐπιστάται τρισὶν εἴδεσι κλινῶν. Ναὶ τρεῖς. Ὁ μὲν δὴ θεὸς, εἴτε οὐκ ἐβούλετο, εἴτέ τις ἀναγκὴ ἐπῆν, μὴ πλέον ἢ μίαν ἐν τῇ φύσει ἀπεργάσασθαι αὐτὸν κλίνην, οὕτως ἐποίησε μίαν μόνην αὐτὴν ἐκείνην, ὅ ἐστι κλίνη. δύο δὲ τοιαῦται, ἢ πλείους, οὔτε ἐφυτεύθησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, οὔτε μὴ φυῶσι. Πῶς δὴ; ἔφη. Ὅτι, ἦν δ' ἐγὼ, εἰ δύο μόνας ποιήσειε, πάλιν ἂν μία ἀναφανείη, ἧς ἐκεῖναι ἂν αὖ ἀμφότεραι τὸ εἶδος ἔχοιεν· καὶ εἴη ἂν ὅ ἐστι κλίνη, ἐκείνη, ἀλλ' οὐχ αἱ δύο. Ὀρθῶς ἔφη. Ταῦτα δὴ, οἶμαι, εἰδὼς ὁ θεὸς, βουλόμενος εἶναι ὄντως κλίνης ποιητὴς, ὄντως οὔσης, ἀλλὰ μὴ κλίνης τινὸς.

μη-

μηδὲ κλινοποιός τις, μίαν φύσει αὐτὴν ἔφυσεν. Ibid. *pag.* 57. Ἐπειδή ἐστιν ἐναντίον καλὸν αἰσχρῷ, δύο αὐτὰ εἶναι. Πῶς δ' δύ; Οὐκοῦν ἐπειδὴ δύο, καὶ ἓν ἑκάτερον. Καὶ τοῦτο. Καὶ περὶ δικαίου καὶ ἀδίκου, καὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ πάντων τῶν ἰδεῶν πέρι ὁ αὐτὸς λόγος. Αὐτὸ μὲν, ἓν ἕκαστον εἶναι, τῇ δὲ τῶν πράξεων καὶ σωμάτων καὶ ἀλλήλων κοινωνίᾳ πανταχοῦ φανταζόμενα, πολλὰ φαίνεσθαι ἕκαστον. Atque hoc ſenſu Plato eandem rem *unum* eſſe atque *plura* dicebat: *unum*, quod cum ceteris ejusdem generis (individuis) particeps ſit *ejusdem* naturae (eſſentiae), atque ad *unam eandemque Ideam* referatur: *plura*, quod eadem natura, quae *ſingulorum* ſit, in *pluribus* (*individuis*) appareat, vid. *Vol.* IV. *p.* 215 ſqq. et *Didymum* apud *Euſeb. Praeparat. Euangel. Lib.* XI. *p.* 545. *Eliam Cretenſem* ad *Gregor. Nazianzen. Opp. Tom.* II. *p.* 578 ſq. Adde *Philonis* locum *Tom.* I. *p.* 4. et *Irirae*, *pag.* 85. ſq.

Jam quis non videat, quantopere hallucinetur Eberhardus, cum Jeſum in coelo Pontificem et Meſſiam, ideam quandam Platonicam eſſe exiſtimet? Quod ut intelligatur, tenendum est, quod ſupra diximus, primariam cauſam non in munere Jeſu *ſacerdotali*, ſed in dignitate *Meſſiae* verſari, atque Eberhardi ſententiam de Meſſia, idea Platonica, tantummodo analogiâ quadam niti, quae a dignitate Jeſu Pontificis ducta atque petita est. Itaque etiamſi Auctor effecisſet, doctrinam N. F. de Jeſu coelesti *Pontifice* ex philoſophia Platonis eſſe hauſtam, parum tamen effecisſet, niſi idem de Jeſu *Meſſia* demonſtrasſet, quandoquidem in hac Jeſu dignitate cardo rei vertitur. Primum igitur videamus de Jeſu *Meſſia*, tum de eodem *Pontifice*.

Et illud quidem ex iis, quae disputavimus, perſpicuum eſſe cuique debet, Platonem non *ſingulis rebus*, ſed earum *generibus* ſuas tribuiſſe ideas, cum omnis ejus hac de re doctrina eâ potiſſimum cauſâ nitatur, quod ſingula tantopere alterum ab altero differant, eorum ut nulla firma ſcientia eſſe poſſit, niſi ad *genera*, id est, ad *ideas*, referantur. Itaque idea ſemper complecti debet *plura* (*individua*), ut eadem res, quod paulo ante diximus, et *unum* et *plura* ſit. Quo fit, ut Jeſus in coelo *Meſſias* idea Platonica eſſe nullo pacto poſſit, quandoquidem, ſi ita ſe res haberet, *plures eſſe Meſſiae* deberent, qui omnes *hac una coelestis Meſſiae ideâ* continerentur. Quod quomodo pugnet cum ſententia et Judaeorum et Christianorum, quippe qui *unum* tantum Meſſiam agnoscant, facile intelligitur.

Pervertamus vero in gratiam Eberhardi omnem Platonis philoſophiam, ſtatuamusque et *ideas eſſe ſubſtantias* et *ſingulis rebus ſingulas ideas respondere*. Ecquid tandem proficiet? Si enim Meſſias idea Platonica est, de duobus alterutrum ſtatui debet, *aut* illum Jeſum Meſſiam, qui in his terris vixerit, expreſſum fuiſſe ad ideam Meſſiae coelestis, adeoque exemplar illud, et id, quod ex eo expreſſum ac propagatum ſit, *duo eſſe a ſe invicem diverſa*: atqui hoc pugnat cum N. F. doctrina, quippe quâ, ut postea intelligetur, Meſſias, qui in coelo ſit, *idem* ſit atque ille, qui in his terris vixerit: *aut* Meſſiam Jeſum fuiſſe *ipſam illam ideam*, de coelo veluti delapſam: atqui hoc rurſus Platonis ſententiae repug-

nat, quippe qui ab ideis fecernat quicquid sit corporei, concretionis, mutationisque, easque oriri, interire, videri posse, neget (*l*). Quae quomodo a Jesu, et homine, et humana omnia passo, sejungi possint, Eberhardus viderit.

Quomodocunque igitur res torqueatur, Jesus, *Messias* coelestis, idea Platonica esse non potest. Atqui, inquit, doctrina de eodem *Pontifice* fortasse e philosophia Platonis hausta est. Nihilo magis! Et primum quidem, quae nos ratio paulo ante impediebat, quo minus statueremus, Messiam Jesum, qui in his terris vixerit, non fuisse *ipsam ideam*, eadem ratio ad eundem Pontificem transferri potest: cumque postea effecturi simus, *eundem* illum Jesum, qui in his terris Pontificis munere functus fuerit, etiam in coelo hac dignitate esse ornatum, altera quoque difficultas, quam Eberhardi de *Messia* sententiae opponebamus, ejusdem de *Pontifice* opinionem labefactat. Fateor quidem, quod diximus, *Messiam* propterea non posse ideam Platonicam esse, quod tantum *unus* sit, cum ad ideam *plura* (individua) requirantur; fateor igitur hac difficultate vacare sententiam de *Pontifice*, idea Platonica, quandoquidem *plures* fuisse Pontifices constat; atqui haec unius difficultatis sublatio plures alias, easque gravissimas, adfert. Rursus enim de duobus alterutrum *verum* esse debebit: *aut* Jesum ceterosque Pontifices *ad unam eandemque coelestis Pontificis ideam fuisse expressos*, sicuti omnes homines ex una eademque hominis idea ducti ac propagati sunt: *aut* Jesum ad *peculiarem* quandam ideam fuisse Pontificem constitutum, ut *duae* sint Pontificis ideae, altera, ad quam Jesus, altera, ad quam reliqui sint Pontifices expressi. Quicquid statueris, error nascatur necesse est. Si enim Jesus ceterique Pontifices ad *unam eandemque ideam* referendi sint, equidem prorsus *non* intelligo, quid sit, quod et reliqui N. F. Scriptores, et inprimis is, in quo omnem suam fiduciam Eberhardus collocat, Epistolae *ad Hebraeos* Auctor, praestantiam Jesu Christi prae ceteris Pontificibus adeo praedicent, ut cum hi tantum in terris sint, munusque suum humana imbecillitate obeant, in illo omnia coelestia, perfecta, aeterna sint, atque nihil eorum, quae hominibus, *fruges consumere natis*, adhaereant (*m*). Nam cum omnes Pontifices ad *eandem*, atque Jesus, *ideam* conditi sint; cumque *Jesum in coelo esse* nihil *aliud* sit, quam ejus *ideam ibi reperiri*, reliqui quoque Pontifices, qui ejusdem cum Jesu ideae participes sint, eodem, atque ille, jure *in coelo esse*, dicendi sunt. Neque illud quis dixerit, Jesu propterea fortasse prae ceteris coeleste domicilium tribui, quod, cum illi humanitatis vitiis laboraverint, hujus tanta fuerit praestantia, ut ideae, ad quam conditus sit, perfecte responderet, eamque omnibus partibus referret. Nam ne dicamus, illam esse Platonis sententiam, nihil esse in his terris, quod ideam, ad quam expressum sit, perfecte referat (*n*), ea hinc difficultas oriretur, quod aliquid plus esset in *re expressa*, quam in *exemplari*, ex quo ducta sit. Si enim Jesus solus ideam coelestis Pontificis perfecte retulisset, non potuisset reliquorum virtus Pontificum ex ea idea duci, quippe quae jam, ut ita dicam, ab uno Jesu consumta atque exhausta esset. Fateor quidem hanc difficul-

ficultatem ita facile tolli, ut dicas, ideam esse tamquam exemplar quoddam, ex quo *multae* possint imagines duci, sive perfectae sive imperfectae, nec tamen recte dici posse, in expressis imaginibus, etsi *multae sint*, plus esse, quam in uno exemplari. Hac igitur ratione cuivis alii eam, quam commemoravi, difficultatem tollere licet, Eberhardo non licet, quandoquidem, si ita diceret, promtum paratumque esset responsum, si omnes Pontifices unius ejusdemque ideae sint participes, sicut omnes illae imagines ex uno eodemque exemplari, tamquam e fonte communi, haustae sint, necessario sequi, non tantum Jesum, sed reliquos etiam Pontifices, cum ad eandem illam ideam coelestem ficti sint, in coelo esse, atque sacerdotii munere fungi debere.

Atqui, inquit, ita fortasse Eberhardi interpretanda est sententia, ut dicamus, Jesum Pontificem ad *peculiarem* quandam ideam esse constitutum, ut *duae* sint ideae, altera Jesu, altera reliquorum Pontificum! Nullo hercle pacto! Primum enim in hanc quoque partem convenit eadem, quam paulo ante posuimus, animadversio. Nam rursus ceteri Pontifices eodem, quo Jesus, jure *in coelo esse* dicendi essent, cum non minus, quam ille, peculiarem sui ideam in coelo haberent: deinde repugnat Plato, diserte negans posse ejusdem generis *duas* esse ideas. *Vol.* VII. *p.* 287. Ὁ μὲν δὴ θεὸς, εἴτε δυκ ἐβούλετο, εἴτέ τις ἀνάγκη ἐπῆν, μὴ πλέον ἢ μίαν ἐν τῇ Φύσει ἀπεργάσασθαι αὐτὸν κλίνην, οὕτως ἐποίησε μίαν μόνην αὐτὴν ἐκείνην, ὅ ἐστι κλίνη. δύο δὲ τοιαῦται, ἢ πλείους, δυτε ἐφυτεύθησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, εὖτε μὴ φυῶσι. Πῶς δὴ; ἔφη. Ὅτι, ἥν δ' ἐγὼ, εἰ δύο μόνας ποιήσειε, πάλιν ἂν μία ἀναφανείη, ἧς ἐκεῖναι ἂν αὖ ἀμφότεραι τὸ εἶδος ἔχοιεν· καὶ εἴη ἂν ὅ ἐστι κλίνη, ἐκείνη, ἀλλ' δυχ ἃι δύο.

Et hoc quidem loco finis fiat disputationis de *Ideis Platonicis*, qua illud effecisse nobis videmur, non tantum religionem Christianam, id est, ut Eberhardus loquitur, doctrinam de dignitate J. C. cum Platonis philosophia *nihil omnino commune habere*, verum etiam, *tantam esse harum rerum dissensionem*, *tantamque pugnam*, ut ne *umbra* quidem similitudinis intercedat, utque desperanda sit omnis conciliatio, nisi antea aut Platonis aut Novi Foederis doctrina penitus atque radicitus evertatur.

Veniamus igitur ad *Cabbalistarum* sententiam, quam, mirâ insciti*â*, cum Platonis doctrina Eberhardus confudit. Qua de re antequam exponamus, animadvertendum est, scriptorum Cabbalisticorum tam exiguam esse, tamque lubricam auctoritatem, ut, etiamsi Auctor evidenter demonstrasset, doctrinam Christianam, omnibus partibus absolutam, in his libris extare, nihil tamen profecisset ad eam defendendam sententiam, religionem Christianam ex fonte Cabbalistico fluxisse.

Primum enim, si Auctor causam suam obtinere voluisset, illud certe planum facere debuerat, jam Christi tempore extitisse eam Cabbalam, quam adhuc in iis Judaeorum libris superstitem habeamus, qui antiquissimi feruntur, quibusque magnam auctoritatem Eberhardus tribuit. Illud vero demonstrare, hoc opus, hic labor! Cum enim Cabbalae cognoscendae duo inprimis sint subsidia, *Sohar* et *Jezirah*, quorum librorum alter *R. Si-*

Simeonem Jochaidem, alter *R. Akibham*, auctores habere dicuntur, prorſus incerta eſt eorum antiquitas. Librum certe *Soharicum*, qui in hoc genere praecipuus est, ne ante Seculum quidem XIII cognitum fuiſſe conſtat (*o*): quamobrem ejus antiquitas a multis merito in dubium est vocata (*p*). Neque de libro *Jezirah* ſatis certa est ratio (*q*).

Deinde: illi etiam, qui Cabbalae patrocinium ſuscipere ſolent, illud fatentur, eſſe omnes libros Cabbalisticos admodum corruptos, atque perdifficile eſſe, germana a ſpuriis ſecernere (*r*). Quid igitur auctoritatis tribuendum ſit libris et incertae aetatis, et corruptis, alii viderint.

Denique: ſac libros *Sohar* et *Jezirah*, ita, ut hodie feruntur, ex Auctorum *Jochaidis* et *Akibhae* manibus prodiiſſe, nemo tamen negaverit, eſſe hos libros ſatis longo *post Christum* tempore conſcriptos, cum eorum Auctores Seculo demum II interiiſſe conſtet (*s*). Quid ergo? ſi contendamus, eos e religione Christiana multa in libros ſuos intuliſſe, atque ab ejus profeſſione minime alienos fuiſſe (*t*)? Quicquid hujus rei ſit, cum Eberhardus ad cauſam ſuam tuendam nulla ſcripta Cabbalistica, niſi quae *post Christum* demum condita ſint, adferre poſſit, equidem non intelligo, quo pacto eo rem adducturus ſit, ut diſſentientes ipſi concedere cogantur.

Haec haberemus, quae ad debilitandam Eberhardi ſententiam diceremus, etiamſi ille demonſtraſſet, nullam eſſe religionis Christianae partem, quae non *perſpicue*, *atque diſertis verbis* in Cabbalistarum quoque ſcriptis tradatur. Jam vero, ut ſupra vidimus, ex illis *libris* ne *unum quidem verbum* Auctor attulit, quo efficeret illam ſententiam, in quam omnem religionem Christianam concludit, *Meſſiam eſſe in coelo*, de Meſſiae *idea* interpretandam eſſe. Quae autem attulit, ab hac cauſa, ut mox apparebit, prorſus aliena ſunt. Et tamen, ſi rem ſuam planam facere Eberhardus voluiſſet, *perſpicua* Cabbalistarum testimonia, *nec quicquam ambiguitatis* habentia, laudanda erant. Sunt enim Cabbalistarum ſcripta tanta obſcuritate obruta, ut quaevis ex iis extundere poſſis (*). Si igitur Eberhardus ex his libris ejusmodi loca attuliſſet, quae in eum, quem vellet, ſenſum explicari *poſſent*, (quamquam ne hoc quidem fecit, nam nihil attulit omnino,) nihil tamen profecisſet, cum facile eſſet ei opponere auctoritatem *Meyeri*, *Vitringae*, *Buddei*, *Basnagii*, aliorumque, qui ex iisdem his ſcriptis eam religionem Christianam exſculpſerunt, quae opinioni Eberhardianae prorſus ſit adverſa: et hi quidem magna argumentorum probabilitate, ille, ut diximus, nulla (*u*).

Effecisſe nobis ſupra videmur, doctrinam N. F. de Jeſu in coelo *Pontifice* et *Meſſia*, cum ſententia Platonis *de ideis* nihil ſimilitudinis habere; nunc igitur videndum est, quae ſit illius doctrinae cum opinione Judaeorum, *res ſuas ſacras in coelo eſſe*, existimantium, convenientia. Qua in re iterum teneatur velim ea animadverſio, quam ſupra poſuimus, cum de ideis Platonicis dicere exordiremur: *etiamſi Eberhardus demonſtraſſet, inter ſententiam Cabbalistarum de Pontifice coelesti, et doctrinam N. F. de Jeſu Pontifice nihil omnino diſcriminis intercedere, eum tamen nihil attuliſſe ad efficiendum, etiam doc-*

doctrinam N. F. de Jesu Messia, in qua tamen re arx causae posita est, cum Cabbalistarum de eodem argumento sententia consentire.

Ea fuit Cabbalistarum sententia, *res suas sacras, earumque ministros esse coelo.* Quod quomodo interpretandum sit, mox videbimus. Eberhardus incredibili errore, ut itidem apparebit, hanc sententiam eandem esse atque Platonicam *de ideis*, existimat. Equidem me non intelligere fateor, quae sit utriusque doctrinae vel minima similitudo, cum, ut ostendimus, ideae Platonicae *neque in coelo sint, neque res sint per se existentes, neque personae*, ut illi ministri Cabbalistici (*v*). Itaque Pontifex quoque Maximus in coelo est. Cumque N. Foederis scriptores Jesum quoque in coelo Pontificis munere fungi doceant, rationem sic concludit Eberhardus, *horum doctrinam eandem esse, atque Cabbalisticam.* Hac autem similitudine adductus *analogiam* crepat, atque *conjicit*, Cabbalistarum quoque, ut Christianorum *Messiam*, in coelo esse, quippe qui non minus, quam Pontifex, dignus sit, qui in hac honoris sede collocetur. Itaque ad repellendam Auctoris opinionem id nobis agendum est, ut, quod de ideis Platonicis vidimus, idem de doctrina Cabbalistica efficiamus, tantam esse ejus cum Christiana dissimilitudinem, tantamque pugnam, ut ne contendi quidem, atque comparari inter se posse videantur. Quo demonstrato, omnem illam analogiam Eberhardianam corruere debere, quisque intelligit. Ita autem in hujus rei tractatione versabimur, ut, quamquam, quae ipsi animadvertimus, non plane simus neglecturi, multa tamen sumamus e *Schoettgenii* Dissertatione, *De Hierosolyma coelesti*, adjuncta ejus *Horis Hebr. et Talmud. pag.* 1205. sqq. Quod eo libentius faciemus, quod ipse Eberhardus sententiam suam hujus Dissertationis auctoritate munire studuit. Ut igitur de ideis Platonicis, sic etiam de opinione Cabbalistica disputationem nostram ad *tres* tantum *Animadversiones* revocabimus.

A. Platonem vidimus in ea fuisse sententia versatum, non *singulis rebus*, sed *generibus* tantum peculiares esse ideas tribuendas: alia est Cabbalistarum doctrina, quippe qui non genera, sed *res singulas* ad peculiarem quandam formam conditas esse statuant (*w*). Quae quidem eorum sententia tam late patet, *ut ne minimas quidem atque vilissimas res excipiant.* Locum perspicuum adduxit *Schoettg. l. c.* p. 1206. כל מה די בארעה נמי בעילא. *Quodcunque in terra est, id etiam in coelo est, et nulla res tam exigua est in mundo, quae non ab alia simili, quae in coelo est, dependeat.* Vid. *Sohar Genes. fol.* 91. *col.* 362. Huic *Schoettgenii* loco adde *Synops. Libri Sohar*, in *Cabb. Denud. Tom.* II. *pag.* 141. *Quicquid in terra est, id omne typum et similitudinem gerit rerum quarumdam admirandarum: imo etiam Arbores et herbae omnes.* Et *pag.* 143. *Quicquid in supernis est, simile quid habet inferius: et quicquid inferius est, simile quid habet in mari.* Atque eam ob causam *R. Moscheh Cordvero in Tract. de Anima, Cabb. Denud. Tom.* I. P. II. *p.* 100. docet, nullam rem tam vilem esse, quae non sit veneratione prosequenda. „ *Declaraturus*, inquit, *quare Anima superior sit Angelis, praemitto, res omnes su-*

ſuperius in coelis, et inferius in terra, emanaſſe e loco quodam ſuperiore, unde cavens pii, ne ignominioſum quid dicant de ulla creaturarum. Vid. et *Schoettg. l. c.* 1208. ſq.

Quamquam igitur, quo nomine Platonicam doctrinam cum Christiana pugnare oſtendimus: cum Platonis ideae *genera* complectantur, Jeſus autem *unus* ſit: quamquam ergo ad Cabbalistarum ſententiam hoc transferri non potest, quippe qui ſingulas res ad ſingulas formas revocent, tamen horum non minus, quam Platonis, opinio a Christiana doctrina magnopere discrepat. Non enim res tantum ſacrae atque perſonae, ut ait Eberhardus, ſed *omnes omnino res*, ſive ſacrae, ſive profanae, a Cabbalistis in coelo collocantur. Si igitur Novi Foederis de *Jeſu Christo in coelo* doctrina hoc ſenſu Cabbalistico interpretanda ſit, quid tandem ei *peculiare* accidiſſe, arbitremur, quod non item herbis arboribusque acciderit? Atqui haec est et ceterorum Scriptorum Sacrorum, et praeſertim *auctoris Epiſtolae ad Hebraeos* conſtans ac perpetua doctrina, Jeſum tanto honore a Deo eſſe affectum, quantum nemo mortalium nactus ſit. Ipſe Servator, *Joann.* XVII. 5. postulat, ut Deus ipſum δοξάσῃ τῇ δόξῃ, ᾗ ἶσχε πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Dicitur τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ ὑψωθείς. *Act.* II. 33. Deus eum ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. *Philipp.* II. 9. Βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένος, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανώται. *Hebr.* II. 9. Deus eum evexit ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. *Eph.* I. 21, 22. Quin angelis major est, τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα. *Hebr.* I. 4. ſqq. Quae loca cum intelligi nequeant, niſi ſtatuamus, Jeſum in coelo *ſingulari* quadam dignitate eſſe ornatum, ſequitur, Cabbalistarum ſententiam, qui *omnibus omnino rebus* hunc coelestis domicilii honorem tribuant, a Christiana doctrina maxime eſſe alienam.

B. Eberhardus, cum *res perſonasque* Judaeorum *memorabiles* et *ſacras* in coelo eſſe ſcribit, utrum per ignorantiam lapſus ſit, an vero ſic dixerit, quod ita ſuae ſe cauſae optime conſulere existimaret, nescio. Illud ſcio, non tantum *ſacra* et *memorabilia*, ſed *quaevis alia* quoque, etſi *viliſſima*, ab iis in coelo collocari. Nec tamen negandum est, rerum ſacrarum, quae in coelo ſint, frequentiorem ab iis, quam ceterarum, mentionem fieri: quod quidem nemini mirum videbitur, qui noverit, quanta ſemper veneratione Hieroſolymam ejusque templum coluerint. Fac autem, ut voluit Eberhardus, Cabbalistarum ſententiam tantum de rebus ac perſonis ſacris et memorabilibus eſſe interpretandam, ecquid tandem lucrabitur? Quanta enim vel ſic remanſura eſſet Christianae et Judaicae doctrinae pugna, optime intelligetur, ſi de Cabbalistarum opinione pauca praeceperimus.

Quamquam ſtatuunt, res terrestres respondere coelestibus, ita tamen de hac utrarumque neceſſitudine ſentiunt, ut eas non pro *iisdem* habeant, ſed *illas ab his diverſas eſſe*, doceant. Quod facile intelligitur ex iis locis, quos magno numero attulit *Schoettgenius*, *l. c. p.* 1208. ſq. quorumque unum alterumve commemorabimus. *Sohar* in *Jalkut Rubeni fol.*

fol. 164. 4. *Quaecunque Deus S. B. creavit* למעלה, *in coelo, eadem etiam in terra creavit. In coelo creavit angelos, in terra vero filios hominum, ambos vero dilexit. Verum coelestes non vocavit filios, terrestres autem sic vocavit, q. d. Deuter.* XIV. 1. *Filii vos estis Domino Deo vestro. R. Samuel ben David in* חכר שמואל *praef. fol.* 3. 1. ita docet: *Praeterea datur mons Sinai supernus, qui respectum habet ad montem Sinai inferiorem. Tanchuma fol.* 62. 2. *Dixit R. Simon: Eo tempore, quo Deus S. B. ad Israelitas dixit, ut tabernaculum exstruerent, angelis praecepit, ut et illi facerent tabernaculum in coelo: et eodem die, quo conditum est in terra, in coelo idem contigit.* In his locis, quisque videt, *alios* esse angelos, *alios* homines; *aliud* esse coeleste, *aliud* terrestre tabernaculum (*x*). Idem de *Sacerdote* dicendum, quippe qui *alius* sit in coelo, *alius* in terra. *Sohar* in *Jalkut Rubeni fol.* 103. 4. ita docet: כהן גדול לעילא כ"ג לתתא לבושין דיקר לעילא לבושין דיקר לתתא *Datur summus Sacerdos coelestis, datur quoque terrestris; dantur vestes pretiosae coelestes, dantur etiam terrestres.* Ibid *fol.* 171. 3. idem traditur: אוף הכא כהנא דקאים כגוונא לעילא *Etiam hic est sacerdos, qui stat quemadmodum in coelo. Sohar chadasch fol.* 22. 4. *Traditio est R. Josephi: Quemadmodum summus Sacerdos est in terra, sic Michaël princeps ille magnus est Sacerdos in coelo.* Vid. *Schoettg. l. c.* 1218. sq.

Jam quis non videt, quam imperite cum istis Cabbalistarum inceptiis doctrina Christiana ab Eberhardo comparetur. Ne autem in re aperta longiores simus, quam par est, in una illa opinionis Eberhardianae fautrice, epistolâ ad Hebraeos, versabitur disputatio. Auctor hujus epistolae in eo cum reliquis N. F. scriptoribus convenit, insignem illum honorem, quo Jesus in coelo affectus sit, pro praemio esse habendum, quod propter calamitatum patientiam a Deo reportaverit, *Cap.* I. 3. II. 9, 10. XII. 2. Ut igitur vitae Jesu terrestris ac coelestis arctissima est conjunctio, sic etiam Sacerdotis coelestis appellatio hac causa nititur, quod in his terris obeunda morte se ipse, tamquam victimam, obtulit (*y*). Quamobrem ille coelestis sacerdotii honos indissolubili vinculo cum fato Jesu terrestri conjunctus atque copulatus est. Quod melius declarari posse non puto, quam verbis *Tittmanni*, doctissimi atque elegantissimi Sacrarum Literarum interpretis (*z*). „ Apostolus semper vocabulum sacerdotis usurpavit sic, ut referret non modo ad condi-„ tionem ejus superiorem in hac vita, verum etiam ad praesentem in coelo, nec tantum „ ad opus ejus in his terris, sed etiam in coelis. Nam quoties Jesum in his terris vixisse, „ passum et mortuum esse dixit; toties quoque eum, ait, coelum adscendisse, atque „ ibi Deo Patri dextrum sedere et causam nostram agere. Sic statim *Cap.* IV. 14, 15. „ nos habere, inquit, ἀρχιερέα μέγαν, qui coelum adscendit, quamvis idem quoque om-„ nis generis calamitates, similiter ut nos, perpessus sit. Deinde *Cap.* V. 7, 9. miserias „ gravissimas, inquit, expertus est, sed exauditus quoque et ereptus calamitatibus omni-„ bus, et ad summam dignitatem evectus, τελειωθείς· et *Cap.* VII. 25, 26. sacerdos nos-

„ ter non modo ſanctiſſime vixit, ſed coelum adſcendit, ibique etiamnum vivit ad nos-
„ tram ſalutem. *Cap.* IX. 11, 12, 24. Sacerdos noster *post mortem ſuam ingreſſus eſt*
„ *adytum* (coelum), εἰς τὸ ἐμφανισθῆναι ὑπὲρ ἡμῶν, ut cauſam nostram ageret. Tum *Cap.*
„ X. 12, 13. postquam, ait, unum ſacrificium pro peccatis obtulit, in omnem aeterni-
„ tatem regnat cum Patre, agitque hoc, ut omnes homines a malis omnibus liberet.
„ Eodem *Cap.* vs. 21. eum vocavit ἱερέα μέγαν ἐπὶ τὸν ὄικον τοῦ Θεοῦ, *ſacerdotem ejus-*
„ *modi, qui familiae Dei imperat.* Porro *Cap.* XII. 2. postquam, inquit, ſupplicium
„ crucis ſuſtinuit, conſors factus eſt imperii majeſtatisque divinae. Denique in fine Epi-
„ ſtolae, *Cap.* XIII. 20. adorat Deum benigniſſimum, qui Jeſum dominum noſtrum,
„ ducem gregis ſummum, (quem in antecedentibus ſaepius dixerat ἀρχιερέα μέγαν) ſuſci-
„ taſſet e mortе, qui foedus aeternum feciſſet. Et ſic in ceteris locis omnibus. Hinc
„ vero clarum eſt, uno vocabulo ſacerdotis ad utramque conditionem Jeſu Chriſti, et
„ humilitatis et gloriae, reſpici." Haec ille, quibus non attinet quicquam addere, quo
appareat id, de quo nemo dubitat, Auctorem Epiſtolae ad Hebraeos *in ea fuiſſe* ſenten-
tia verſatum, *eundem illum Jeſum*, qui in his terris mortuus ſit, in coelo fungi ſacer-
dotii munere; adeoque Cabbaliſtarum opinionem, *alium* eſſe Sacerdotem in coelo, *alium*
in terris, neque cum Epiſtola ad Hebraeos, neque cum reliquis N. F. libris conciliari
poſſe.

C. Quandoquidem in templo terreſtri omnia coeleſti templo reſpondebant, etiam ſupe-
rorum Sacerdotem ſacrificia peragere, neceſſe eſt. *Chagiga fol.* 12. 2. ad *Pſ.* CXXIV. 1.
Intelligitur altare, quod exſtructum eſt, et Michaël princeps (ita appellatur coeleſtis
Summus Sacerdos, vid. *Schoettg. l. c.* 1219.) *magnus ſtat, et ſuper illo ſacrificium offert.*
Ratio ſacrificandi in *Jalkut Rubeni fol.* 112. 2. ita describitur. *Et ille ſtat,* ומקריב
נפשותהן של צדיקים, *et offert animas juſtorum, h. e. ſacrificia, quae in templo*
terreno offeruntur, ſunt animae beſtiarum ſacrificatarum, quae vero animae juſtorum
dicuntur, quia culpam ſuſceperunt. Toſephoth Menachoth ibid. *fol.* 113. 1. *Et Michaël*
ſummus ſacerdos offert pro ipſo ſacrificium. Explicationes hujus rei non conſentiunt.
Quidam enim dicunt, ſacrificia eſſe animas juſtorum: alii, eſſe oves igneas: alii, eſſe
decem et octo precum formulam, vel viros Iſraelitas et preces ipſorum. Liber תכם
הדרים ibid *fol.* 113. 3. *Quum templum nondum vaſtatum eſſet, Michaël ſummus ſacer-*
dos ad ſimilitudinem ſacrificiorum Iſraelis obtulit, idque Deo bene placuit. Poſtquam
vero templum deſolatum eſt, dixit ipſi Deus S. B.: Non amplius mihi offeres ſimilitudi-
nem bovis, ovis, aut caprae (non enim in templum ingrediar, donec terrenum reaedifica-
tum ſit) ſed animas juſtorum et parvulorum, qui nondum peccarunt, eae aſcendunt ad
odorem gratum. — Haec loca ſumſit *Schoettgen* Diſſertatione ſaepius laudata, *pag.* 1220.
Conf. *Eiſenmeng. Jud. Detect. Tom.* I. *p.* 52, 830.

Ista Cabbaliſtarum de Summo Sacerdote coeleſti ſententia cum doctrina epiſtolae ad
Hebraeos triplici nomine pugnat. 1. Ne-

1. Neminem esse arbitror, qui quidem loca, quae attulimus, paulo attentius legerit, quin videat, illud esse Sacerdotis hujus Cabbalistici munus, ut sacrificia sua *identidem repetat*. Quod vel ex eo intelligi potest, quod in his locis non *unius sacrificii*, sed *plurium sacrificiorum* mentio fieri solet; quod ejus *sacrificia* respondere dicuntur iis, quae in templo terreno offeruntur; quod denique Deus S. B. ei dixit: non *amplius* mihi offeres similitudinem bovis cet. Jam vero quis nescit, ab Auctore epistolae ad Hebraeos hoc nomine praesertim excellentiam sacrificii Jesu Christi praedicari, quod *semel* oblatum aeternam vim expiandi peccata habeat, cum reliqui sacerdotes sacra sua *indies*, atque *quotannis repetere* deberent. *Cap.* VII. 27. Οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ, ἑαυτὸν ἀνενέγκας. *Cap.* IX. 12. Οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, (ut reliqui sacerdotes), διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος, εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. Ibid. 28. Ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενέχθη. *Cap.* X. 11, 12. Καὶ πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν, καὶ τὰς αὐτὰς πολλάκις προσφέρων θυσίας, αἵτινες οὐδέποτε δύνανται περιελεῖν ἁμαρτίας. Οὗτος δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. Ibid. 14. Μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους. adde *Cap.* IX. 25. X. 10. Cum igitur, quo nomine Auctor hujus epistolae ceteros sacerdotes reprehendit, idem in sacerdotem illum coelestem Cabbalistarum conveniat, quod tam hic, quam illi, sacrificia sua subinde *repetere* deberent, Eberhardum apparet in magno errore versari, cum Christum conferat cum sacerdote illo commenticio, quippe qui a Cabbalistis ita inducatur, ut nihil cum Jesu similitudinis habeat, verum ad eorum numerum sacerdotum pertineat, quibus Auctor epistolae Christum *ex adverso opponat*.

2. Pontificis illius Cabbalistici munus, ut ex commemoratis locis intelligi potest, bovum, caprarum, ovium, eorumque sacrificiorum oblatione continetur, quae terrestrium sacrificiorum imaginem referant. Christus autem propterea *sacerdos* appellatur, quod *se ipse obtulerit*, tamquam sacrificium. *Hebr.* VII. 27. IX. 11. sq. 14, 25. sq. X. 10. Atque hanc ob causam rursus ceteris sacerdotibus *opponitur*, ejusque prae his praestantia praedicatur. Illi quidem cum pro suis, tum pro populi peccatis θυσίας ἀναφέρειν debebant, Christus autem hoc fecit ἑαυτὸν ἀνενέγκας. VII. 27. Illi αἷμα τράγων καὶ μόσχων (quod expiare peccata non potest, X. 4.), et αἷμα ἀλλότριον, Christus τὸ ἴδιον αἷμα effudit, IX. 12, 25. Unde intelligitur, quanto majorem vim Christi, quam ceterorum, sacrificium habeat, IX. 13, 14. Conf. *Act.* XX. 28. *Eph.* I. 7. 1 *Petr.* I. 19. *Apocal.* I. 5. Quibus locis iterum intelligitur, omnem rem ab Eberhardo perverti, cum sacerdotem illum Cabbalistarum ideam esse Christi Sacerdotis existimet: quandoquidem enim ille non τὸ ἴδιον αἷμα, sed αἷμα τράγων καὶ μόσχων profudit, in Aäroniticorum sacerdotum numero habendus est, a quorum sacrificiis quantopere Christi sacrificium differat, quavis epistolae parte docetur. Neque vero hanc animadversionem ita quis labefactare studeat, ut

dicat, hanc ſacrificiorum diverſitatem non tanti eſſe faciendam, ut propterea Eberhardus cauſa cadere cogatur: neque enim ſacerdotis munus ac dignitatem *e genere ſacrificii* pendere; adeoque etſi Christi ſacrificium *alius generis* fuerit, quam illius ſacerdotis Cabbaliſtici, nihil tamen cauſae eſſe, quominus hunc illius ideam eſſe ſtatuamus, quandoquidem *univerſe* tantum *ſacerdotii dignitas* ſit cogitanda, atque perinde ſit, *quale* ſacrificium cum a coeleſti, tum a terreſtri ſacerdote peragatur. Illud igitur qui dixerit, nihil dixerit. Cum enim ſacerdos ille Cabbaliſticus propter ea, quae de illo narrantur, *proprie* ſacerdos appelletur, Chriſtus *improprie* hoc nomine ornatur, neque dubitandum eſt, quin omnis haec in Epiſtola ad Hebraeos diſputatio ſuſcepta ſit in gratiam Hebraeorum, qui rerum Moſaicarum erant amore capti. Si autem ad alios potius, quam ad Hebraeos, ſcripta eſſet epiſtola, tota illa de Chriſto ſacerdote commentatio praetermiſſa procul dubio fuiſſet, ut ex reliquis N. F. libris et epiſtolis intelligi potest (*a*). Quomodo igitur *is*, qui *proprie* ſit ſacerdos, idea eſſe illius poſſit, qui *proprie non ſit* ſacerdos, ſed per comparationem tantum in nonnullorum hominum gratiam ita *appelletur*, equidem non intelligo.

3. Cum ſacerdos ille Cabbaliſticus ſacra *in coelo* faciat, iterum apparet, quantum inter eum et Jeſum Chriſtum diſcrimen intercedat, quippe qui morte *in his terris* obeunda hunc nominis honorem nactus ſit. Vide quam ista pugnent! Cum *Hebr.* XII. 24. praeter ceteras res ſacras etiam *Jeſus* in coelo eſſe dicatur, hunc locum ſuae cauſae mirifice favere Eberhardus, *Tom.* III. p. 117. exiſtimat, ibique *Jeſum* nihil aliud eſſe, quam *ideam* illius Jeſu, qui in his terris vixerit, cum quadam gloriatione contendit. Jeſus igitur in coelo idem eſt ac ſacerdos Cabbaliſtarum, et quod de illo docetur, idem in hunc transferri poſſe oportet. Jam vero docentur plane contraria et ſecum pugnantia. Cabbaliſtarum enim pontifex ſacra facit *in coelo*, Jeſus *non* facit, ſed, ut vidimus, coeleſtis vitae conditionem tamquam praemium illius ſacrificii adeptus eſt, quod *in hac terra* peregit. Quae rerum pugna quomodo in *unam eandemque perſonam* cadere poſſit, Eberhardus fortaſſe ceperit, praeter eum neminem mortalium capere aut umquam capturum eſſe, mihi perſuaſum eſt.

Effecimus igitur, niſi nos omnia fallunt, doctrinam Novi Foederis de *Jeſu ſacerdote coeleſti* a Cabbaliſtarum ſomniis eſſe maxime alienam. Et tamen hac una cauſa nititur omnis Eberhardi diſputatio de Jeſu *Meſſia*, quem *conjicit* pro idea eſſe habendum, *quoniam* ſacerdos etiam ſit idea. Et autem cauſa concuſſa, haec conjectura vana ſit atque concidat neceſſe eſt. Adeo autem parum animadvertere Eberhardus videtur, quo poſito, quid conſequatur, ut, quibus rationibus cauſam ſuam tueri velit, iisdem ſe ipſe frangat atque repellat. Quaſi enim quid novi afferat, nec jam dudum ab *Ernestio* occupati, mirari ſe dicit, (*Tom.* III. 115.) homines doctos non vidiſſe, in epiſtola ad Hebraeos ſermonem eſſe de ſacerdote ejusmodi, qui ſimul *regia* ſit *dignitate* ornatus, adeoque *Meſſias:* cum igitur in coelo ſit ſacerdos, etiam Meſſiam neceſſario in coelo eſſe, quippe

qui

qui idem ſit, atque ſacerdos: cumque ſacerdos *idea* ſit, Meſſiam quoque *ideam* eſſe debere. Agnosco dignam philoſopho concluſionem; non vero video, quî Eberhardus non intellexerit, quantam vim ea res habeat ad cauſam ipſius penitus evertendam. Quid enim? Cabbalistaene etiam ſacerdotem ſuum fictitium hac regali dignitate exornarunt? Minime vero. Ecquis enim harum rerum ita imperitus, qui nesciat *alium* ab iis ſacerdotem coelestem, *alium* Meſſiam induci? Quod vel intelligi ex Diſſertatione *Schoettgenii* potest, in qua, etſi omnia diligenter pertractata ſunt, nullus omnino locus Cabbalistarum reperitur, in quo Meſſiae dignitas ſacerdoti deferatur (*b*).

Ad exitum igitur perducta esto de Platone et Cabbalistis disputatio: neque video, quid ad cauſae Eberhardianae ſalutem afferri poſſit. Hoc unum fortaſſe perfugium, tamquam ſacra quaedam ancora, ſuperest, ut religionis Christianae parens philoſophia Platonica et Cabbalistica dicatur, a quâ tamen filia *degeneraverit*, ut temporis progreſſu inter prolem et genitricem *aliquid discriminis* intercesſerit. Atqui ne hoc quidem perfugio utendum est. Ostendimus enim harum doctrinarum non levem diſſenſionem, ſed tantam tamque acrem eſſe pugnam, ut quercus facilius ceraſa, quam Platonico-Cabbalistica philoſophia religionem Christianam gignere potuiſſe videatur. Quandoquidem autem Eberhardi opinio *nulla historiae auctoritate* nititur, adeoque, ut ſupra diximus, ad rem ſuam non *certam*, ſed *probabilem* reddendam, illud certe requirebatur, ut Auctor efficeret, *tantam eſſe utriusque doctrinae ſimilitudinem, ut minime veriſimile eſſet, duos pluresve homines in rebus adeo ſingularibus et inauditis conſenſuros fuiſſe, niſi alter ab altero didiciſſet;* hoc igitur cum requireretur, quid tandem Eberhardus, quo ſe fuſtentet, arripiat, postquam demonſtratum est, *harum doctrinarum non tantum nullam eſſe ſimilitudinem, ſed ſummam etiam et acerrimam pugnam?* Neque vero ipſum Eberhardum, ſi viveret adhuc, eâ, quam diximus, ratione opinioni ſuae patrocinaturum fuiſſe existimo. Si enim religionem Christianam a matre ſua degenerasſe fateretur, ſimul fateretur eam degenerasſe in iis partibus, quibus ipſe *omnem Christianam religionem contineri* opinatur, quandoquidem ostendimus eas partes a Philoſophia Platonico-Cabbalistica toto coelo discrepare. Itaque non erat, cur cauſam ſuam pertinacius tueretur, quippe quam, ut ipſe ait (*c*), hoc uno conſilio ſuscepiſſet, ut demonſtrando, religionem Christianam (id est eam illius partem, quae est de Perſona Christi) ex Orientalibus et Graecis fontibus fluxiſſe, hujus religionis honori dignitatique conſuleret. Postquam igitur effecimus, doctrinam N. F. de Jeſu Christo cum Platonis et Cabbalistarum philoſophia *nihil commune habere*, illa Eberhardi confeſſio nihil aliud eſſet, quam cauſae desperatio.

III.

Quod iis accidere ſolet, qui de argumento quodam graviſſimo, atque multo uberiori,

DISPUTATIO DE ORIGINE.

[illegible] ro temporis ſpatio, quod iis ad dicendum datum ſit, expoſituri ſunt, ut ipſi re-
[illegible]rum [illegible]opiâ turbentur, et ingrato quodam moleſtiae ſenſu afficiantur, incerti a quo exordio
[illegible]em exitum perducenda ſit oratio; idem nunc mihi uſu evenire ſentio, cum, his
angustiis, ad hujus *Capitis Tertiam Partem* accedo, qua *ſive hiſtoriae Jeſu
ſive doctrinae N. F. partes nonnullas recenſebimus, quae temeraria et contorta
etatione penitus pervertendae ſint, ſi vera ſit Eberhardi ſententia.* Et nobis qui-
[illegible] ita videri, ſupra diximus, nullam fere, quae de perſona Jeſu Chriſti ſit, particulam
[illegible]e N. Foederis, qua non debilitari ac repelli Auctoris opinio poſſit. Quamobrem, ſi
[illegible]tatis ſtudio rerum dicendarum quidam a nobis delectus tenendus erit, ea hoc lege
[illegible]ctus, ut ne quis exiſtimet, ea, quae allaturi ſimus, aut omnium, quae contra dici
[illegible], eſſe graviſſima, aut non multis partibus augeri amplificarique poſſe.
Eberhardi ſententia, (ſive cum Platonica, ſive cum Cabbaliſtica doctrina comparetur
[illegible]a religio,) cum eo valeat, ut Jeſus, qui in N. F. dicitur *e ſepulcro exiiſſe, coe-
untravisſe*, et *in coelo eſſe*, non *unus idemque ſit, atque ille, qui in his terris vixit
[illegible]m obiit*, cum ille ſit πρότυπος, hic autem ἀντίτυπος, atque propterea alter ab altero
ſit; hoc uno nomine praecipue, ne longius, quam par est, progrediatur oratio.
[illegible]oria opinionem breviter impugnabimus.

[illegible] igitur *Eberhardus*, *Tom.* III. *p.* 119. ſq. doctrinam de Jeſu in vitam reduce, ejus-
[illegible]upatione ſedis coelestis, non de *Phaenomeno* illo (ut appellat), quod in his terris
[illegible]erpretandam eſſe exiſtimet, ſed de ejus πρωτύπῳ et *idea coelesti*, quae, quamvis
[illegible] fuerit, *figurate* tamen et *improprie* a ſcriptoribus N. F. e ſepulcro evaſiſſe,
[illegible]oelum adſcendiſſe, et ad Dei dextram ſedere dicatur; haec igitur cum Eberhardi ſit ſen-
tentia, neminem eſſe arbitror adeo veri ſenſu destitutum, quin intelligat, Auctoris opinionem
nihil, quo ſe tueatur, habere, niſi Sacris Scriptoribus *tam inuſitatum ſcribendi genus, tanta-
que dictionis inſolentia tribuatur, quanta nullo alio in libro reperiatur.* Quod ſi in Sacrarum
Literarum interpretatione tanta libidine graſſari liceat, ut uſu loquendi impune contemto,
verbis inauditus plane, et nulla exempli auctoritate commendatus ſenſus affingatur, non
tantum nihil tam abſurde dictum est, verum etiam nihil tam abſurde dici potest, quod
non e Sacra Scriptura, istiusmodi equuleo impoſita, extundi per tormenta queat. Nos
igitur, non quo aliquid novi afferamus, ſed quod ad conſilium et inſtitutum nostrum per-
tinere videtur, ita inſtituemus disputationem, ut appareat, *historiam Jeſu reviviscentis,
in coelum elati, ibique ſumma gloria fruentis, a Sacris Scriptoribus ita narrari, atque
cum hac historia graviſſima placita ita conjungi ſolere, ut intelligi eorum oratio nequeat,
niſi ſtatuamus eos in hac opinione verſatos fuiſſe*, EUNDEM ILLUM JESUM, (loquimur
de Identitate Perſonae, quam Philoſophi appellant,) QUI IN CRUCEM ACTUS SIT,
IN VITAM REDIISSE, IN COELUM EVOLASSE, IBIQUE COMMORARI.

Hanc autem disputationem cum ſuscipio, quamvis brevis eſſe laborabo, tamen vereor,

ne

ne longior esse videar, quam rei perspicuitas postulet. Ecquis enim orationem nostram in eo consumi patiatur, ut appareat, Euangelistarum narrationes *de Jesu in vitam reduce* (*Matth.* XXVIII. *Marc.* XVI. *Luc.* XXIV. *Joann.* XX.) intelligi non posse, nisi statuamus, *eandem illam Jesu personam*, *quae in crucem acta atque sepulta sit*, *revixisse*, Scriptoresque Sacros in ea opinione fuisse versatos? Discipuli quaerebant Jesum τὸν ἐσταυρωμένον, *Matth.* XXVIII. 5. *Marc.* XVI. 6. *Luc.* XXIV. 5. Ille vero ἐσταυρωμένος *non erat in sepulcro*, nam ἠγέρθη. *Matth.* vs. 6. *Marc.* l. c. *Luc.* vs. 6. Ipse Jesus mortem suam ita cum reditu in vitam conjungit, ut, qui illam *proprie* (de Phaenomeno), hunc *improprie* (de προτύπῳ coelesti) interpretetur, *nec de uno eodemque Subjecto*, sermonem esse existimet, vim inauditam verbis inferat, *Matth.* XVI. 21. XVII. 23. XX. 19. coll. *Luc.* XXIV. 7. (*d*). Apostoli quoque hac de re ita loquuntur, ut nemini dubium esse possit, quin crediderint, *idem* illud *Subjectum*, (philosophorum enim more loquar), quod in crucem actum sit, etiam e sepulcro exiisse, quandoquidem ejus obitum cum *ejusdem* resurrectione arctissime copulare solent, *Act.* II. 22-24. III. 14, 15. IV. 10. X. 39, 40. XIII. 26, 30. Cumque *Act.* II. 32. III. 15. se hujus historiae *testes* fuisse dicant, nihil omnino haec verba significare possunt, si vera sit Eberhardi sententia. Quid de iis Historiae Euangelicae partibus dicam, quibus Jesus amicis suis se conspiciendum praebuisse, *Matth.* XXVIII. *Luc.* XXIV. 1 *Cor.* XV. 5. sqq. cum ceteris discipulis, tum Thomae cicatrices, ostendisse, *Joann.* XX. 20, 27. hique μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ejus consuetudine familiaritateque usi fuisse traduntur, *Act.* X. 41. Piget plura afferre, ne quid puerile agere videar. — Jam si haec fuit Sacrorum Scriptorum sententia, idem *Subjectum*, quod mortuum sit, in vitam rediisse, non est, quod multis ostendamus, *idem* quoque *in coelum esse sublatum*, quandoquidem, quod ne ipse quidem Eberhardus negaverit, *idem Jesus*, qui mortis laxavisse vincula dicitur, *in coelum abiisse* traditur, *Luc.* XXIV. 51. *Act.* I. 9. 1 *Petr.* III. 21, 22. Hoc unum ad refellendum Eberhardi Paradoxon animadverto. Putat ille, cum exitum Jesu e sepulcro, tum ejus abitum in coelum, *improprie* esse intelligendum, nec quicquam aliud significare, nisi ejus ideam aeternam esse in coelo, quae res eo, quem diximus, modo *poetice* narretur. Jam vero, *postquam* Jesus jam in vitam rediisse dicitur, *postquam* igitur, e sententia Eberhardi, jam in coelum elatus erat, ipse Jesus, cum eum amplecti Maria vellet, dicit se *nondum* in coelum abiisse, *Joann.* XX. 17. (*e*). Ficta igitur ab Euangelistis sit omnis ista de Jesu reviviscente historia, ita certe eam finxerunt, ut appareat, eos reditum Jesu in vitam, ejusque in coelum adscensionem, non *pro rebus iisdem* habuisse, eosque credidisse, non satis esse, ad significandum Jesu in coelum abitum, narrasse, eum in vitam rediisse. Existimabant fieri posse, ut Jesus e sepulcro evaderet, *absque eo*, ut dici posset, in coelum abiisse: nam utramque rem sibi invicem opponunt. Qua animadversione mirifice concutitur Eberhardi opinio, existimantis, cum resurrectionem Jesu, tum ejus adscensionem ad

Su-

ıperos, de *una eademque re* improprie esse intelligendam, id est, de ideae in coelo ıte. — Denique imperium illud ac dignitas coelestis, dubium esse nemini potest, *illi* tribuatur, qui et mortuus esse, et in vitam rediisse, dicatur, *Act.* II. *Eph.* I. 20, 21. *Philipp.* II. 6-9. *Hebr.* I. 3. Quod vel ex eo intelligi potest, ın tantum, ut supra vidimus, illa Jesu majestas praemium esse dicitur *earum ratum*, quas *in his terris* pertulerit, verum etiam, quod talia Jesu et *universe rdoti coelesti* tribuuntur, quae tribui ei non possent, nisi idem *Subjectum* in coelo ıt, quod fuerat in terris. Ipse Jesus, ut hoc utar, in coelo sic loquens inducitur, I. 18. ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Quae verba, n videat, quantopere torquenda sint, ut hic sensus exsistat, *alium* mortuum esse, ivere; mortuum esse aliquod *phaenomenon*, vivere commenticium aliquem πρότυπον? *Jesus in coelo* laudatur, ut σφαγεὶς, καὶ ἀγοράσας τοὺς ἀνθρώπους τῷ θεῷ ἐν τῷ αἵματι *Apocal.* V. 9. Quod quomodo de *alio* potius, quam de eodem illo *Subjecto*, ıaepius in N. F. homines *sanguine suo redemisse* dicitur, intelligi possit, Eberhar- rit (*f*). Denique, Jesus dicitur Sacerdos ἐλεήμων, et δυνάμενος συμπαθῆσαι, prop- quod ipse *usu et experientia* noverit, quanta sit vis et gravitas humanarum cala- *Hebr.* II. 17, 18. IV. 15. Quae loca perspicue docent, Auctorem hujus Jesum, Sacerdotem coelestem, habuisse *eundem illum Jesum*, qui in his terris ımis fuerit aerumnis vexatus.

igitur, cum Jesum φανόμενον a Jesu πρωτύπῳ avellat, atque illum mortuum ... :mpiternum in coelo fuisse commoratum existimet, in magno errore versatur. enim eorum, quae commemoravimus, locorum ea ratio, ut intelligi plane nequeant, nisi statuamus, Sacrorum Scriptorum eam esse sententiam, *idem illud phaenomenon*, quod in his terris versatum fuerit, in coelum esse translatum; quod quomodo fieri potuerit, nisi simul statuamus, idem illud e mente horum scriptorum vitae fuisse restitutum, alii viderint. Convellamus autem, si placet, horum locorum auctoritatem, nosque conferamus paulis- per in castra Eberhardi! Quanta, quamque atrocia opinionum monstra nasci videmus! Ille igitur coelestis sacerdos, cujus tam frequens in Epistola ad Hebraeos mentio fit, πρότυπος Jesu, qui in his terris vixit, esto! Responditne Jesus πρωτύπῳ suo, an vero ejus prorsus dissimilis fuit? Si dissimilis: primum, quomodo ad illum πρότυπον *effictus esse* dici potest? Deinde, quomodo illa loca intelligenda, quibus, ut vidimus, ille πρότυπος dicitur σφαγεὶς et usu edoctus misericordiam; quibus locis fata Jesu terrestris ad Jesum coelestem transferuntur? Sin vero πρότυπος ille coelestis, ejusque ἔκτυπος terrestris sibi invicem respondeant, ergone coelestis ille quoque a Pilato quodam militibusque Romanis in crucem actus? Vah!

Eberhardus Sacros Scriptores torqueat, cruciet, excarnificet, ut placeat; persuadeat sibi nihil esse Platone et Cabbalistis praestantius; modo eo temeritatis ne progrediatur, ut horum doctrinam eandem esse, atque Christi et Apostolorum, contendat. In

In re aperta facile vacat ſubtilitate oratio. Quantum autem, quamque ſpiſſum librum conſcribi poſſe putas, ſi efficere vellemus, Sacros Scriptores graviſſima *placita* et dogmatica et moralia ita cum reſurrectione Christi ejusque coelesti gloria conjungere ſolere, ut intelligi eorum oratio nequeat, ſi rem eo, quem dixit Eberhardus, modo intellexerint. - Cum enim, ut e multis hoc utar, Paulus 1 *Cor.* XV. futuram mortuorum reſurrectionem Christi exemplo confirmet, atque *eadem* corpora vitae restitutum iri doceat, vs. 53, 54. ecquid tandem valeat ejus disputatio, niſi existimaverit Apostolus, *idem* corpus Christi, quod cruci affixum ſit, rediiſſe in vitam? (*g*)

Illud certe nemo negaverit, quomodocunque de corporum in vitam restitutione Apostolus ſenſerit, illum hanc reſurrectionem *comparare* cum Christi reſurrectione, atque utramque *pro ſimili* habere, conf. *Philipp.* III. 21. Si igitur ideae Christi in coelo aeternitatem hac impropria *reſurrectionis* voce ſignificare voluerit, ceterorum quoque reſurrectionem *eodem* ſenſu acceperit neceſſe est. Quo fit, ut evitari ea difficultas nequeat, quam ſaepius commemoravimus, *Christo, cum vitae restitutus eſſe dicatur, nihil accidiſſe, quod non item ceteris jam mortuis acciderit.* Quae res quantopere puguet cum N. F. doctrina, nemo non videt. Si enim, ut aliquis dici poſſit *in vitam rediiſſe*, nihil aliud requiratur, quam ut *moriatur*, quid est, quod Apostoli unius Christi mortui reſurrectionem toties praedicent, taceant ceterorum? quid est, quod Christus ſuum in vitam reditum tamquam rem aliquam *praecipuam* et *peculiarem* vaticinetur? quid est, quod vis et efficacia Dei toties praedicetur, ut quae ſe in excitando Christo *ſingulari quadam ratione* conſpicuam reddiderit (*h*)? quid denique est, ſi reſurrectionis notio adeo improprie ſumenda ſit, ut is, qui mortuus ſit, propter ideae aeternitatem *reſurrexiſſe* dici poſſit; quid est, quod Paulus neget ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι, 2 *Tim.* II. 18. cum illi, qui tempore Pauli jam vita eſſent defuncti, ſummo jure dici potuiſſent vitae eſſe restituti? Quae cum ita ſint, illud unum relinquitur, ut dicamus, comparationem illam reſurrectionis Christi cum ceterorum in vitam reditu non tantum perobſcuram eſſe, ſed ne intelligi quidem poſſe, niſi reſurrectionis notio *proprie* ſumatur, id est, niſi ſtatuamus, *idem illud* Christi *phaenomenon* (quod Eberhardus appellat), quod in ſepulcro abſconditum fuit, ſecundum Pauli ſententiam in vitae lucem rediiſſe (*i*).

Cum Eberhardus *idem* Jeſu *phaenomenon*, quod ante bis millia annorum rebus humanis interfuit, in coelum neget translatum eſſe; *hoc uno nomine*, ne longius vagaretur, quam neceſſe erat, oratio, ejus opinionem impugnavimus, ostendimusque tueri ſe istud commentum non poſſe, niſi, ut ita dicam, in ruinis parietinisque artis hermeneuticae. Igitur disputationem nostram in angustiorem locum concluſimus, quam facere potuiſſemus, ſi Eberhardi ſententiam, tamquam ex ſpecula, in omnes partes voluiſſemus contemplari. Cum enim facile quisque intelligat, Auctorem de Christi reſurrectione ejusque coelesti gloria ita disputare, ut rem penitus tollat, inane nomen relinquat, quanta locorum vis

afferri poterat, quae violenta interpretatione prorsus pervertenda sint, si contendere velis, Apostolos Christi resurrectionem ejusque in coelum elationem *non proprie*, sed sensu, sive Eberhardiano, sive alio quovis, intellexisse! Ne vero aut longiores simus, quam par est, aut etiam brevitatis obtentu formidare hanc causam videamur, pingui Minerva nonnulla animadvertamus, quae a quovis, doctrinae Christianae non prorsus ignaro, facile poliri et amplificari possint.

1. Inaudita est vocis ἀναστάσεως impropria illa significatio, ut vel e *Schleusneri* Lexico intelligi potest: semper vero *proprie* sumitur, ut in historia Lazari, *Joann.* XI. 23. sqq. Porro: cum Paulus, *Act.* XVII. 31. Deum docet Jesum Christum judicem designasse orbis terrarum, ejusque rei πίστιν παρεσχηκέναι πᾶσιν, cum eum ἐκ νεκρῶν ἀναστήσας, quae horum verborum vis sit, intelligi nequit, nisi statuamus, Christi resurrectionem ab Apostolo laudari, tamquam *visibile quoddam et luculentum argumentum* hujus dignitatis Servatoris, vid. *Raphel.* et *Krebs.* ad *h. l.* (*k*). Similiter verbum ἐγείρειν, quod saepius de *Deo Christum in vitam revocante* adhibetur, in historia *Lazari a Christo suscitati* proprie usurpatur, *Joann.* XII. 1, 9. Igitur quae ista interpretandi ratio est, deferere usum loquendi, vulgaremque vim verborum in ceteris N. F. partibus tenere, in una Christi historia non agnoscere? Illud autem prodigii instar est, cum ἀναστάσεως vocabulum ad illam, quam vult Eberhardus, (adversus hunc enim est suscepta disputatio) rem significandam prorsus inusitatum sit, tamen et Christum et Apostolos ejus *constanter* hanc metaphoram, valde duram illam nec ad manus positam, adhibere. Quomodo, quaeso, factum est, ut homines diverso admodum ingenio, et scribendi ratione, aut hanc unam dictionem metaphoricam summo consensu semper usurparent, aut ne ibi quidem verborum proprietatem sequerentur, ubi improprietas carceres, vincula et vitae discrimen afferret, *Act.* IV. 2, 3.? Atqui, inquit, haec metaphora fortasse vulgaris fuerit in scriptis Cabbalistarum, unde eam, ut reliquas doctrinae suae partes, Christus et Apostoli desumere potuerint. Minime vero! Eberhardus enim hujus rei non tantum nullum exemplum attulit, verum etiam, si afferre voluisset, irritus fuisset, cum Cabbalistarum ceterorumque Judaeorum de mortuorum resurrectione semper propria soleat esse oratio (*l*). Quamobrem si ἀναστάσεως vox, ceteraque vocabula, quae huc pertinent, ita, ut vult Eberhardus, interpretanda sint, Christus Sacrique Scriptores illum iis sensum tribuerunt, qui esset ab usu loquendi Judaico prorsus alienus, adeoque homines de industria in errorem induxisse statuendi sunt (*m*).

2. Si Christi in vitam reditum improprie intelligere velis, ut eum intellexit Eberhardus, infinitum sit N. Foederis omnes partes enumerare, quas non prava interpretatione perverti, sed temeraria manu radicitus tolli necesse sit. Quicquid enim de terrae motu, de aperto sepulcro, de custodum fuga et oratione ad Synedrium; quicquid de angelorum officio, de Jesu cum amicis colloquiis, narratur, id omne in commentorum erit numero ha-

habendum. Et nos quidem de Euangelistarum fide in hac referenda historia hoc loco non agimus (*n*): cum enim Jesu Christi in vitam reditus, tamquam *miraculum* narretur, ejus universa tractatio, ut et ceterorum miraculorum, ad *Caput Postremum* est reservanda, quo locum de miraculis complexuri sumus. Hoc unum docere volebamus, nisi vis inferatur simplicissimis narrationibus, in quibus Novi Foederis haud exigua pars consumitur, Eberhardi sententiam veram esse non posse. Quae res quantum probabilitatis opinioni Auctoris detrahat, tum demum intelligas, si hanc animadversionem mente et cogitatione cum iis conjungas, quibus supra effecimus, Eberhardi commentum cum Novi Foederis doctrina prorsus *pugnare*. Fac enim, Auctorem planum fecisse, tantam esse doctrinae Christianae cum philosophia Platonico-Cabbalistica similitudinem, ut illa ex hac oriri *potuerit;* nondum tamen effecisset, illam re vera ex hac *ortam esse*, nisi ostendisset, reliquas partes N. F. intelligi non posse, nisi res se ita, ut ipse existimet, habeat. Si autem appareret, ceteras partes narrationesque N. F. ita esse comparatas, ut, etiamsi satis magna esset illius philosophiae et doctrinae Christianae similitudo, tamen Eberhardi opinio cum his narrationibus pugnaret, hujus pugnae ea vis esset, ut, quod per doctrinarum fortasse similitudinem *fieri potuerit*, illud tamen *non factum esse*, censendum esset. Jam vero, cum ostenderimus, religionis Christianae cum illa philosophia non tantum *nullam esse similitudinem*, verum etiam *acerrimam pugnam;* quis non videat, Eberhardianae opinioni nihil, quo se tueatur, relinqui, cum reliquae etiam N. F. partes, quae ad doctrinam proprie non pertinent, cum ejus sententia nullo pacto conciliari possint? — Atqui, inquit, Euangelistarum de Jesu in vitam reduce relationes nihil sunt nisi *ornamenta orationis*, quibus simplicem doctrinam de ideae Messiae in coelo aeternitate veluti vestire voluerunt: quaeque relationes pro nihilo sunt habendae, simulatque eas pugnare constat cum sententia aliqua vera ac perspicua. Nos quidem hac de re *Ultimo Capite* agemus: nunc illud animadvertimus. Primum concedo, *si vera et perspicue demonstrata* esset Eberhardi sententia, illas narrationes non magnopere fore curandas: atqui opinionem suam Auctor non tantum probare non potuit, verum etiam eam falsam esse vidimus. Igitur nulla causa erat, cur has narrationes pro inanibus ornamentis haberet. Deinde vero: illud quantam monstri speciem habet, quod, cum illa ideae aeternitas infinita fere colorum varietate veluti pingi posset, omnes Euangelistae eam rem *eodem modo* exornant, et tamen in minoris momenti rebus ita dissentiunt, ut satis appareat, alterum ab altero pigmenta sua non mutuatum fuisse, sed singulos suo ingenio scripsisse, nec ad alterius exemplum orationem suam composuisse? Quod eam vim habet, ut intelligatur, Apostolos (erraverint nec ne, nunc non quaerimus) in ea certe *opinione* fuisse versatos, ut Jesum re vera e sepulcro exivisse *crediderint:* quod si ita est, falsa sit Eberhardi sententia necesse est, existimantis, eos his narrationibus nihil aliud spectavisse, nisi ut doctrinam Platonico-Cabbalisticam flosculis orationis exornarent.

3. Denique: ut ſupra vidimus, doctrinam N. F. de mortuorum in vitam revocatione intelligi non poſſe, niſi *idem* illud *Subjectum*, quod mortuum ſit, revixiſſe ſtatuamus; ita plures etiam N. F. partes citari poſſunt, quibus alia eaque gravisſima *placita* ita cum Christi reſurrectione, ejusque in coelum elatione copulentur, ut, ſi, Eberhardi exemplo, hanc historiam verbis relinquas, re tollas, illa quoque placita penitus e doctrina Christiana tollenda ſint. Huc pertinet doctrina de univerſa imperii ratione, quod Christus in coelo capesſivisſe dicitur, de ejus reditu ad judicium de hominum vita moribusque habendum, aliisque, quorum explicatio Theologorum ſcriptis continetur. Haec enim omnia ſunt cum reditus Christi in vitam, coelestisque majestatis *propria* interpretatione ita conjuncta, ut ſejungi atque divelli nequeant.

Nos autem cum illas partes ſive historiae ſive doctrinae Christianae commemoraremus, non illud agebamus, ut earum patrocinium ſusciperemus, quod ab aliis jam factum, ſed ostendere tantum volebamus, quanta quamque atroci interpretandi violentia in univerſum N. Foederis argumentum ſaeviendum ſit, ſi Eberhardo aſſentiri velis. Horum momentorum vir eruditisſimus pleraque prorſus praetermiſit, pauca vix levi manu attigit, atque ita quidem ut ejus ineptiis offendare. Sed haec hactenus.

CAP.

CAP. IV.

Exponitur et refutatur Eberhardi de Miraculis ſententia.

Quamquam omnis disputatio, quae in repellenda opinionum temeritate, atque in redarguendis erroribus verſatur, aliquam molestiam adfert ei, qui pacem ut optimam rerum diligit, tamen non prorſus ingrata nobis fuit Superioris Capitis tractatio, propterea quod, quae esſet Eberhardi de Jeſu Christo ſententia, luculenter nobis intelligere videbamur. Cum vero accedimus ad eum locum, qui est de *Miraculis*, aliam prorſus videmus esſe rei rationem. Quoties enim ad cognoscendam Auctoris de miraculis opinionem me contuli, toties incertus redii, quid ſibi Vir doctisſimus velit. Nimirum judicii mei qualiscunque aciem philoſophi auctoritate et eruditionis famâ hebetari ſuspicor. Cum enim liber, in quo refutando verſamur, conſcriptus ſit ab eo, qui omnium voce atque conſenſu philoſophus habetur, tanta ſolet hujus nominis esſe auctoritas, ut aut nihil exſpectemus, niſi philoſopho dignum, aut, ſi nos forte fefellerit exſpectatio, nostrae mediocritati malimus diffidere, quam acuminis gloria ſpoliare philoſophum. Si enim, qui philoſophus ſalutatur, multa ſine cauſa atque ratione dicat; ſi, qui acutus dicitur, nec conſequentia nec repugnantia cernat; ſi denique, qui eruditus habetur, novitatis laudem ſibi arroget in iis, quae ſunt antiqua et ſatis pervulgata; ecquis tam imprudens, quin credere malit, in ejus oratione aliquid abſconditae ſapientiae latere, quam in discrimen adducere philoſophi famam? Et tamen, quamvis ſaepius expertum, in Eberhardi disputatione illas me latebras nondum invenisſe fateor. Quamobrem, ut ex hac me difficultate aliquando expedirem, utque ipſis legentibus esſet de Auctoris ſententia judicandi facultas, primum conſtitueram omnem Eberhardi orationem ad verbum vertere latine, et, ſi quid animadverſionis haberem, id omne ad ſubjectas Notas referre. A quo tamen propoſito avocavit nos terminorum, quibus circumſcripti ſumus, cogitatio. Itaque, cum postea Auctoris ſententiam particulatim enarraturi ſimus, hoc quidem loco ſufficiat, univerſum ejus disputationis argumentum exponere.

Postquam igitur Auctor, *Tom.* III. *p.* 153-160. miracula *fieri poſſe*, concesſisſet, atque eos, qui id negent, reprehendisſet, difficile tamen esſe, ait, *miracula* a rebus *mirabilibus* discernere, cum non ſatis cognitae ſint occultae vires naturae, *p.* 160. qui autem *a priori*, ut dicitur, conſtituere velint, ubi et quando opus ſit miraculo, eos in magno errandi periculo verſari, *p.* 161. Cum igitur adeo lubricum ſit omne de miraculis judicium, hanc ſemper fuisſe optimorum Theologorum et Eccleſiae Protestantis ſententiam, auctori-

tatem Jeſu Christi divinam e praestantia et ſalubritate ipſius doctrinae eſſe ſuspenſam, *pag.* 164 ſq. Itaque miracula nihil eſſe, niſi *argumenta credibilitatis*, *p.* 165. Ipſe Jeſus quam parum tribuerit miraculis, ex eo intelligi, quod eos graviter reprehenderit, qui ab ipſo miracula flagitarent, *Matth.* XII. 39, 40. XVI. 4. *Luc.* XI. 29-32. *Joann.* IV. 48. *pag.* 166. quodque unam doctrinae praestantiam, tamquam auctoritatis ſuae divinae testem, laudarit, *p.* 167. In eadem quoque ſententia Paulum fuiſſe verſatum, 1 *Cor.* I. 22-24. *pag.* 167. Patres demum Eccleſiasticos, in gratiam indoctorum, vim argumenti tribuiſſe miraculis, *p.* 168. Itaque Novi Foederis miracula ſic eſſe interpretanda, ut ea ad Euangelistarum eorumque aequalium rudem cogitandi rationem accommodemus, quippe qui, ut omnia inaudita pro divinis, ita, quae ipſis mirabilia viderentur, pro miraculis haberent, *pag.* 171 ſqq. Quod ſi teneamus, ſatis poſſe Euangelistarum fidem historicam defendi, cum haec fuerit historicorum ejus temporis conſuetudo, ut vitas magnorum virorum ejusmodi miraculis exornarent; nullo tamen falleudi conſilio, *pag.* 175 ſqq. Atque hinc intelligi, cur et Platonis natales tantam habuerint cum Christi natalibus ſimilitudinem, cum utrique iisdem fere miraculis inſignes fuiſſe dicantur, *pag.* 177 ſqq. et Sophistarum vitae, quas conſcripſerit Eunapius, rebus mirabilibus fere omnes ſint refertae, *pag.* 180.

Haec igitur cum ſit Eberhardi de miraculis ſententia, multos nobis audire videmur, qui mirentur, quomodo fiat, ut oratio, ſatis facilis illa, atque plana, a nobis non intelligatur. Atqui ne rurſus dicamus, quod ſupra dictum est, Eberhardi et Philoſophi famam, et eruditi viri existimationem, facere nobis intelligentiae nostrae diffidentiam, cum et repugnantia dicat, et pro novis dapibus repetitam cramben apponat, huc etiam illud accedit, quod, quamvis Auctoris ſententia ſatis perspicue a nobis ſit expoſita, in ipſa tamen ejus oratione aliquid confuſionis obſcuritatisque haeret. Cum enim de miraculorum veritate tripartita ſoleat eſſe quaestio, ut illa vel *exegetica*, vel *phyſica* (philoſophica), vel *historica* ſit veritas (*a*), de *exegetica* quidem cum Eberhardo nobis convenit; improbandam enim eſſe eorum rationem fatetur, qui Novi Foederis narrationes ita interpretentur, ut ad cauſas naturales omnia revocent, utque ne ipſi quidem Euangelistae res, quas referant, pro miraculis habuiſſe videantur (*b*). Phyſicam vero et Historicam ita turbat atque confundit inter ſe, ut phyſicam cum detrimento historicae, historicam cum phyſicae detrimento tueri videatur. Quae confuſio indigna prorſus philoſopho est, quamquam ne ipſe quidem *Humius* hoc errore vacat (*c*). Interdum Eberhardus ita loquitur, ut *vere aliquid accidiſſe* fateatur, quod, quamvis naturale eſſet, nec quicquam extraordinarii haberet, tamen in hac ingeniorum infantia, illius aetatis hominibus *miraculum* eſſe videretur (*d*). Itaque *historicam* veritatem tenet, *cum vere aliquid acciderit*, tollit vero *phyſicam*, cum *non accidiſſe miraculum verum*, contendat. Interdum autem ita disputat, ut phyſicam miraculorum veritatem defendat, impugnet vero historicam, cum illas narratio-

tiones nihil esse, nisi *ornamenta poëtica*, putet, quibus nihil veri, nihil solidi subsit, aut ex *incertis* tantum *rumoribus* profectas (*e*). Anceps profecto ac difficile hinc oriatur certamen, necesse est. Si enim sibi Auctor constitisset, nec res diversissimas pro iisdem habuisset, via quadam et ratione adversus eum institui potuisset disputatio. Nunc vero, cum, ut in proverbio dicitur, misceat quadrata rotundis, nescio fere, quomodo dicam contra. Huc alia accedit molestia, quam affert latus argumenti, quod tractamus, ambitus, qui quidem tantus est, ut, si doctissimorum hominum exemplo, omnia afferre vellemus, quae ad veritatem miraculorum cum physicam, tum historicam, tuendam, afferri possent, in immensum esset producenda oratio (*f*). Quamobrem saepius cogitantibus nobis, qualem disputandi tamquam cursum deligeremus, ea est optima visa ratio, ut certos terminos constitueremus, qui et ad scriptionis nostrae argumentum, et ad Vestrum, eruditissimi Viri, consilium maxime accommodati esse viderentur. Itaque, quoad ejus fieri poterit, disputationem nostram coërcebimus, eamque, missis reliquis, ad unum revocabimus Eberhardum. Quod ita optime nobis facturi videmur, ut *primum* duabus Animadversionibus efficiamus, *ipsum Auctorem causam suam pervertere, atque ea dicere de miraculis, quae ipsius rationi atque sententiae minime consentanea sint: deinde, ut universam Eberhardi disputationem brevi quidem, sed accurata ratione persequamur, eamque per partes eundo repellamus.*

SECTIO I.

Qua efficitur, ipſum Auctorem cauſam ſuam pervertere, atque ea dicere de miraculis, quae ipſius rationi atque ſententiae minime conſentanea ſint.

Quandoquidem, ut diximus, in Eberhardi oratione reperitur veritatis miraculorum *hiſtoricae* et *phyſicae* magna confuſio, ut neſcias fere, quae ſit quoque loco intelligenda veritas, earum, quas commemoravimus, Animadverſionum quamque in duas partes diſtribuemus, quarum *altera* ſit de historica, *altera* de phyſica veritate, efficiemusque, Auctorem ea ſentire de miraculis, quae et *pugnent inter ſe, et cum univerſo ipſius libri argumento.*

Et Eberhardi quidem quam temeraria ſit de miraculis ſententia, uberius postea diſſeretur. Nunc illud animadvertendum est, permagnam eſſe Auctoris ſecum ipſo conflictionem. Cum enim miraculorum narrationes nihil eſſe, niſi poëtica quaedam ornamenta existimet, quibus non magis quicquam veri ſubſit, quam interventibus Deorum apud Homerum; equidem plane non intelligo, quid ſit, quod non idem ſtatuat de Chriſti in vitam reditu, quo nullum clarius in N. F. miraculum narratur (*g*). Atqui ſuperiori Capite vidimus, Auctorem reſurrectionem Chriſti ejusque in coelo commorationem non tantum ad vanum ornandae orationis ſtudium non referre, verum etiam his narrationibus tantam vim tribuere, ut iis contineri omnem fere doctrinam Christianam, existimet. Itaque reliquis abjectis atque contemtis, unum tantum miraculum arripit, atque ita quidem tenet, ut in hoc uno omne cauſae ſuae praeſidium ponat, nec tamen hujus exceptionis aliquam cauſam afferat. Quid est, ſi hoc non est, omnia pro lubitu et arbitrio facere? Nimirum cum id ſibi Eberhardus propoſuiſſet, ut doctrinam Chriſti et Apoſtolorum e doctrina Platonico-Cabbaliſtica fluxiſſe efficeret, varias Novi Foederis partes veluti luſtraviſſe videtur, donec aliquid inveniret, quo poſſit cauſae ſuae aliquid probabilitatis conciliare. Cum autem praeter Chriſti in vitam reditum, ejusque ad ſuperos abitum, nihil reperiret, hanc unam historiam ad opinionem ſuam torquet, reliqua miracula, ut propoſito ſuo repugnantia, ne curat quidem! Jam quisque intelligit, quam parum tribuendum ſit ei disputationi, quae istiusmodi precario rerum delectu nitatur. Quae res optime exemplo quodam illuſtrari poſſe videtur. Miracula Jeſu fere omnia eam vim habuiſſe leguntur, ut *ſalutem afferrent miſeris.* Si igitur efficere vellem, Jeſum Chriſtum eo conſilio in has terras veniſſe, non ut philoſophiam Platonico-Cabbaliſticam hominibus traderet, ſed ut doceret, *quanta eſſet Dei erga miſeros bonitas*, quidni, ut

Eber-

Eberhardo licuit ad cauſae ſuae commendationem *unum* tantum miraculum deligere, ſic mihi *plurima* miracula citare liceret, quibus ſententiam meam probarem? Cum vero *divina haec bonitas erga miſeros* in reliquis fere miraculis cernatur, in reſurrectione Christi non adeo appareat, quidni hanc historiam Jeſu in vitam reducis pro ornamento poëtico habeam, cui nihil veri ſubſit, cetera autem miracula ita teneam atque interpreter, ut primarium Christi conſilium *de benignitate Dei manifeſtanda* inde appareat? Et eo quidem majori, quam Eberhardus, jure ita facere poteram, quod ille, ut cauſam ſuam tueatur, ad *unum* tantum miraculum adhaeret, reliqua nihili ducit; ego vero ſententiam meam *multis* miraculis muniebam, *uno* tantum *alterove* ad poëticam fingendi libidinem relato. Quorſum haec? ut intelligatur, quanta ſit in Eberhardo cupiditas, quamque levibus cauſis ejus ſententia nitatur. Si enim Auctor id ſibi ſumit, ut, historiae Euangelicae magna parte neglecta, unam tantum narrationem in rem ſuam convertat, ecquid tandem impediat, quominus ea ego miracula, quae contemnit Eberhardus, ita adhibeam, ut longe aliud eſſe doctrinae Christianae argumentum, quam quod ille ſibi finxit, intelligatur? Uterque nulla quidem ratione, ſed eodem certe jure.

Vidimus de veritate miraculorum *historica*, oſtendimusque, Eberhardum, ſi illas Euangelistarum narrationes pro ornamentis tantum poëticis habeat, vehementer ſecum pugnare, cum uno miraculo *univerſae doctrinae Christianae* ſignificationem contineri exiſtimet, reliqua multa ita attenuet, ut iis nihil ſolidi ſignificari putet, nihilque ſpectari praeter inane quoddam ornandae orationis ſtudium. Atqui fortaſſe non intellexerimus Auctoris ſententiam! Eademne pugna, ſi putemus, Eberhardum, cum adeo ambigua ſit et obſcura oratio, non tam veritatem historicam, quam potius *phyſicam* in dubium vocare? i. e. eum concedere, *vere aliquid accidiſſe*, quod illius temporis hominibus miraculum eſſe videretur, quamvis e naturae ſerie facile poſſit explicari? Omnino eadem mihi pugna relinqui videtur. Quod ut intelligatur, iterum de Eberhardianae disputationis ambiguitate quaerendum est. Cum enim Auctor in Novo Foedere miracula vera *narrari* concedat, quae ad cauſas naturales revocari nequeant, et tamen neget vera miracula *accidiſſe*, duplex afferri ratio potest, quî factum ſit, ut illae res, quae re vera *non eſſent miracula*, ab Euangelistis, *tamquam miracula* narrarentur. Aut enim *prae virium naturae inſcitia* pro miraculo habuerunt, quod non fuerit miraculum; aut, quamvis rem (v. c. morborum ſanationem) ad naturae vim referendam eſſe, *ſcirent*, eam *de induſtria ornarunt*, et *poëtica ratione narrarunt*. Has rurſus rationes ita confundit Eberhardus, ut modo de hac, modo de illa, pro arbitrio loquatur. Jam ſive prae naturalium cauſarum ignorantia, ſive prae poëtices ſtudio, Euangelistae res Jeſu geſtas ut miracula narrarint, facile intelligitur, ſibi non conſtare Auctorem. Fac enim leproſorum, caecorum, aegrotantium ſanationes *naturalibus remediis* effectas, aut poëtica oratione ad miraculorum eſſe honorem exaggeratas. Ergo *vere aliquid accidit*, quo tamquam fundamento portentoſae illae narrationes *nitantur*, quaeque

ſtio; atque nobis etiam videretur, niſi adverſus eum nos hominem disputare recordaremur, cui nil placere videatur, niſi quod ſit paradoxon. Jam ſi Eberhardus e ſcriptis iis, Joſephi, aut aliûs cujusvis Judaeorum vel unam miraculi narrationem attulisſet, certa nota inesſet, Auctorem hoc miraculum tantum *ornandae orationis cauſa* ſ, aliquam certe probabilitatem opinioni ſuae conciliavisſet. Attulit autem nihil nino. Est vero nulla difficilior, neque ingratior disputatio, quam quae adverſus illos ines ſuscipiatur, qui, nulla cauſa atque ratione, dicant, quicquid venerit in buccam. quis enim ita dixerit: mihi videtur ornamentum tantum poëticum esſe Alexandri Magni m Dario ad Arbelam conflictio: ſic igitur ſi quis dixerit, nec quicquam attulerit praeterea, dignusne videatur, qui longa oratione refellatur? Et tamen hoc est Eberhardianum disputandi genus.

igitur hanc cauſam breviter conficiamus, primum animadvertimus, in antiquorum ptis Judaeorum *nullum* locum reperiri, in quo de miraculo aliquo, tamquam de *ornamento quodam poëtico* loquantur: deinde, quotiescunque miracula commemorent in V. F. narrata, toties apparere, illos existimare, ea miracula a Scriptoribus Sacris relata esſe, tamquam *facta historica*, quae ab aliis credi vellent. Et *Philonem* quidem in ea pinione fuisſe verſatum, ſatis intelligi potest (*k*). Quin etiam cum de *ſaxo a Moſe* rcuſſo, et *aquas emittente*, loquitur, hujus miraculi veritatem historicam ita tuetur, nil ſupra esſe posſit (*l*). *Joſephus*, qui aeque ac Philo, hortulos ſuos e Graecorum i irrigavit (*m*), qui ſcriptionem ſuam ad Graecorum ingenium compoſuit (*n*), aque eodem, quo Philo, loco ab Eberhardo habetur; *Joſephus* igitur, ut Philo, miracula V. F. ita interpretatur, ut ea ad historiae auctoritatem, non ad poëſeos ludibria, referat. Cujus rei ut quamplurima testimonia dare poteram (*o*), ita ſufficiat hoc unum animadvertisſe, Joſephum interdum miracula laudare, tamquam *argumenta*, *quibus rerum narratarum veritas confirmetur*, quod profecto facere non potuisſet, ſi illas narrationes pro orationis tantum ornamentis habuisſet. Cum enim retulisſet, Vatem ad aegrotantem Ezechiam venisſe, eique ſpem valetudinis feciſſe, ita pergit (*p*): ταῦτα τοῦ προφήτου φήσαντος κατ' ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου, καὶ τὸ παράδοξον τῶν ἀπηγγελμένων ἀπιστῶν (Ezechias) σημεῖόν τι καὶ τεράστιον ἠξίου ποιῆσαι τὸν Ἡσαΐαν, ἵνα αὐτῷ πιστεύσῃ λέγοντι ταῦτα, ἥκοντι παρὰ τοῦ θεοῦ. Jam addit Joſephus ſuum de miraculis judicium: τὰ γὰρ παράλογα καὶ μείζω τῆς ἐλπίδος τοῖς ὁμοίοις πιστοῦται πράγμασιν. Interdum quidem miracula attenuare et ad cauſas naturales revocare videtur (*q*), ſed, ne dicam eum hoc facere, ne Graecorum aures offendat (*r*), tantum abest, ut ea res ſententiam nostram debilitet, ut multo magis confirmet. Non enim ea miracula ita tollit, ut orationis tantum cincinnos esſe dicat: quin potius concedit, his narrationibus *factum* aliquod, tamquam fundamentum, esſe ſubjectum, quod autem ad *naturae leges* ſit interpretandum (*s*). Itaque non *historicam*, ſed *phyſicam* miraculorum eorum veritatem labefactare ſtudet. —

Ve-

Veniamus ad ceteros. Et de iis quidem Judaeis, qui in N. F. testes fuisse miraculorum Jesu dicuntur, postea erit disserendi locus. Nunc illud animadvertimus, ut Philo et Josephus de miraculis V. F. numquam, ut de *ornamentis poëticis*, semper vero, ut de *rebus historicis*, loquuntur, sic etiam seriores Judaeos atque Graecos numquam miracula Jesu *hoc* nomine impugnasse, quod tantum sint *inania orationis ornamenta*, sed *physicam* potius eorum *veritatem* in dubium vocasse. Atque illud ipsum, quod sub ipsa religionis Christianae primordia tam multi fuerunt, qui horum miraculorum veritatem *historicam* et tuerentur, et in dubitationem adducerent, illud ipsum, inquam, argumento esse debet, falsam esse Eberhardi opinionem. Quomodo enim Apostoli tantum tribuere his miraculis potuerunt, ut ea toties tamquam *argumenta divinae legationis* J. C. laudarent, cum ipsi scirent, eas fabulas a se esse fictas, non quo de industria deciperent lectores, sed quia is tunc esset receptus mos scribendi (*u*)? Quid fuit, quod antiquissimi Christiani tantâ constantia, tanto vitae discrimine veritatis miraculorum *historicae* patrocinium susciperent, si quidem haec fuerit pervulgata historias exornandi consuetudo (*v*). Quomodo tandem factum est, ut, cum Judaei atque Ethnici tot tamque variis machinarum generibus miraculorum narrationes aggressi sint, numquam tamen ea impugnandi ratione usi sint, quae promta parataque esse deberet, ut ad poësin scilicet eas narrationes referrent? Aut potius, si ea, quam dicit Eberhardus, tunc temporis fuerit historias scribendi ratio, quomodo factum est, ut illi religionis Christianae adversarii ad ea miracula animum adverterent, atque sua tantopere interesse existimarent, eorum veritatem historicam infringere? Et Judaeos quidem antiquiores, ut Talmudicos, numquam miracula Jesu hoc nomine, quod tantum *ornamenta poëtica* essent, impugnasse, sed potius eorum veritatem *historicam* agnovisse, satis multa Talmudis, aliorumque scriptorum loca declarant, quibus tamen congerendis supersedemus, cum ea res jam satis sedulo ab aliis acta sit (*w*). Neque Ethnicis adversariis in mentem venisse videtur ea historicorum libros suos miraculis referciendi consuetudo. Nam in *physicam* tantum miraculorum veritatem invehuntur, adversus *historicam* vero nihil disputant omnino, de ea, tamquam de re aperta, quae ne in dubitationem quidem cadere possit, loquentes (*x*).

Ceterum, quae diximus de Christianis miraculorum defensoribus, et de Judaeis Ethnicisque eorum vituperatoribus, non eo consilio a nobis allata sunt, ut miraculorum veritatem *historicam* tueremur, sed ut efficeremus, illam historicorum consuetudinem libros suos poëtarum more miraculis exornandi non cognitam fuisse Christianis eorumque adversariis. Nec enim illi ea tam fortiter defensuri fuissent, nec hi tam acriter oppugnaturi, quippe quas constaret esse fabulas commenticias: si autem oppugnare voluissent, procul dubio ad hunc pervulgatum historicorum morem, tamquam ad firmissimum causae suae praesidium, confugissent. Jam si memineris, quod supra effecimus, Philonem quoque et Josephum, quorum doctrinam, putat Eberhardus, ex eadem, qua Christianam, stirpe esse

prognatam, hanc quoque rationem prorſus ignorare, ſole clarius eſſe arbitror, Eberhardianam miraculorum interpretationem eſſe commentum Eberhardianum, *eamque prorſus abhorrere a ſententia eorum, e quorum disciplina religionem Christianam natam eſſe, Auctor contendit* (*y*).

Dictum eſſe ſatis de miraculorum veritate *historica* videtur. Veniamus ad *phyſicam*, quam Eberhardus *pag.* 172 ſq. ita infringere ſtudet, ut dicat, eo tempore, quo historia Jeſu Christi literis mandata ſit, tantam fuiſſe hominum inſcitiam, ut morborum ſanationes, *phyſicis remediis* effectas, pro *miraculis* haberent. Quantum ſit huic orationi tribuendum, postea videbimus. Nunc hoc unum quaerimus, an Eberhardus ita dicat *convenienter rationi ac ſententiae ſuae?* i. e. an certis rationibus efficere poſſit, hanc quoque fuiſſe inſcitiam eorum, e quorum disciplina Jeſu Apostolorumque doctrinam univerſamque cogitandi rationem, ductam ac propagatam eſſe, contendat. Et nos quidem in re aperta cum nolimus eſſe longi, unius tantum Philonis exemplo utamur, qui (ut Jeſus ſcilicet! ejusque Apostoli) Judaicam ſuam eruditionem cum Graeca conjunxerat. Jam, etiamſi in omnibus Philonis ſcriptis nullus omnino locus reperiretur, quo conſtaret, eum *naturalium rerum vim* a *miraculis* discreviſſe; (nulla utrorumque mentione facta) quis tamen non intelligeret, eum fore magnopere reprehendendum, qui Philonem, qui abditiſſimos philoſophiae Platonicae omnisque eruditionis recesſus cognitos atque perſpectos haberet, adeo rerum phyſicarum rudem ignarumque fuiſſe, existimaret, ut medicorum artem ad divinorum miraculorum vim honoremque retulerit (*z*)? At, ubi rerum testimonia adſunt, quid opus est verbis? Artem medicam ita ſemper Philo commemorat, ut eam ad *humani ingenii vim*, numquam ad *Dei quemdam interventum* extraordinarium referat. *Tom.* I. *pag.* 132. Ἴδε λογισμὸν ἰατροῦ. κανόσω τὸν κάμνοντα, θρέψω, φαρμάκοις ἰάσομαι καὶ διαίτῃ, τεμῶ, καύσω· ἀλλὰ πολλάκις ἡ φύσις καὶ ἄνευ τούτων ἴάσατο, καὶ μετὰ τούτων ἀπώλεσεν, ὡς τοὺς ἰατροῦ πάντως ἐπιλογισμοὺς ἐνύπνια εὑρεσθῆναι, ἀσαφείας καὶ αἰνιγμάτων πλήρη. Hic igitur eum videmus, non tantum nullam vim divinam tribuere medicis, verum etiam eorum artem contemnere, ut fallacem, quin etiam monere, non eſſe medicis, ſed Deo confidendum; addit enim paulo post: ἄριστον δὲν τῷ θεῷ πεπιστευκέναι, καὶ μὴ τοῖς ἀσαφέσι λογισμοῖς, καὶ ταῖς ἀβεβαίοις ἐικασίαις. Adde *pag.* 187, 199. *Tom.* II. 182, 637, 651. Atque, ne de una medicorum arte dicere videamur, tantam Philo in judicio de miraculis adhibere prudentiam ſolebat, ut vel ea, quae *prodigiorum ſpeciem* haberent, *humani artificii* eſſe, contenderet; ut intelligi ex eo loco potest, ubi Aegyptiorum machinationes cum Moſis miraculis comparat, *Tom.* II. *pag.* 94, 95. (*a*).

Cum igitur tollendae *phyſicae* miraculorum veritatis Eberhardus eam rationem init, ut
riptoribus Sacris rerum naturalium ignorantiam oratione exaggeret, ea ratio ejusmodi
: eam ducere non potuerit e doctrina atque e libris eorum, ad quorum disciplinam
sque Apostolos doctrinam ſuam atque cogitandi rationem compoſuiſſe, existimet.

Phi-

Philonem enim, qui omnium inſtar eſſe debet, vidimus adeo non ignarum fuiſſe diſcriminis miraculorum et cauſarum naturalium, ut vel eas res, quae aliquid extraordinarii habere viderentur, ad humani ingenii vim calliditatemque referre, non dubitaret.

Quandoquidem ergo Eberhardus ea ſtatuit de miraculis, quae cum doctrina Alexandrinorum ceterorumque Judaeorum partim aperte pugnant, partim certe non ſatis conveniunt, illud fortaſſe quis quaerat, quomodo tandem haec Auctoris de miraculis ſententia conciliari queat cum univerſo ejus ſcriptionis conſilio, quod eo ſpectet, ut doctrinam Chriſtianam e doctrina Alexandrino-Judaica ortam eſſe, appareat? Ad quam quidem quaeſtionem haud difficile eſt reſpondere, ſi teneatur illud diſcrimen, quod ſupra poſuimus, inter *rem ipſam*, et *ejus tractandae rationem*. Eberhardus ad labefactanda miracula *eam viam* ingreſſus eſt, quam vidimus a Philonis, Joſephi, ceterorumque ſententia prorſus *abhorrere:* adeoque *rei tractandae ratio* non eſt conſilio ejus ſcriptionis conſentanea. *Res* autem *ipſa* (i. e. quod *miracula N. F. tollere* ſtudet) ejusmodi eſt, ut, quamvis a Philonis ceterorumque, quos diximus, auctoritate nihil commendationis habeat, tamen cum univerſo libri argumento videri poſſit ſatis convenire. Ipſe quidem Eberhardus, ſive de induſtria id fecerit, ſive per negligentiam, non aperte declaravit, quae eſſet ſententiae ſuae de miraculis cum libri ſui argumento conjunctio, aut quare tam infeſto eſſet in miracula animo. Nec tamen difficile eſt id aſſequi. Qua de re paucis videamus.

Videtur nobis Eberhardus miraculorum fidem elevare voluiſſe, *non quo putaret Alexandrinos reliquosque Judaeos ita quoque de miraculis ſenſiſſe, ſed quod videret, miraculorum in N. F. narrationes obſtare ſententiae ſuae de origine religionis Chriſtianae Alexandrino-Judaica; adeoque has narrationes ita eſſe interpretandas, ut ne quid ſuperesset, quod labefactare ſententiam ſuam poſſet.* Cum enim Auctor, ut Superiori Capite vidimus, Chriſti et Apoſtolorum doctrinam ita fuiſſet interpretatus, ut ei nihil omnino relinqueret, quod *auctoritate credendum ſit* (*Poſitivum* Scholae dicunt), utque eam ad *notitias* tantum *naturales* revocaret, a Platone jam aliisque philoſophis *unius rationis vi* inventas et commendatas, ecquid tandem opus erat miraculis ad confirmationem eorum, quae duce ac praeceptrice ratione proprio Marte invenire poſſimus? Niſi forte Deum in edendis miraculis adeo prodigum eſſe putas, ut nulla cauſa, nullo conſilio, turbet, quem ipſe conſtituit, ordinem naturae (*b*). Itaque intellexiſſe Eberhardus videtur, aut deſerendam ſibi eſſe omnem, quam ſuſcepiſſet, cauſam, aut elevandam frangendamque miraculorum fidem.

Jam perſpicuum eſſe arbitror, quare tam atrox bellum miraculis Auctor indixerit, et quamobrem hunc locum in librum ſuum intulerit. Itaque, ut quisque exiſtimet de iis, quae Superiori Capite dicta ſunt, ita quoque de miraculis judicet, neceſſe eſt; pendent enim haec ex illis. Si illud a nobis effectum eſt, (quod effeciſſe videmur) doctrinae Chriſtianae originem Eberhardum male ad philoſophiam Alexandrino-Cabbaliſticam retu-

lisse, intelligitur ruptum esse, ut ita dicam, filum, quo ejus de miraculis sententia ex argumento Superioris Capitis nexa est. Sin vero quis putet, nos causâ cecidisse, atque recte Auctorem Christi Apostolorumque doctrinam ad unius rationis humanae vim praestantiamque revocasse, is quoque, per nos licet, probet Eberhardi de miraculis judicium. Quamquam hac de re postea fortasse nonnulla monebimus.

SECTIO II.

Qua Eberhardi disputatio particulatim repellitur.

Quandoquidem non tam in vindicanda miraculorum sive historica sive physica veritate, quam potius in judicanda Eberhardi sententia oratio nostra versari debet, ut, si quid hic ad opinionem suam stabiliendam attulerit, id tamquam librâ ponderemus, neminem fore arbitror, qui hic longam a nobis miraculorum defensionem susceptum iri speret. Quamobrem unum nobis Eberhardum ante oculos ponemus, ita tamen, ut iis, quae ad reprehendendum Auctorem pertineant, ejusmodi passim monita adspergamus, quae ad universam miraculorum causam tuendam aliquam vim habere videantur.

Postquam igitur Auctor se dissentire ab iis, dixisset, qui miracula *fieri posse*, negent, temerarium tamen esse, ait, *aliquod factum, quod e naturae serie explicari nequeat, pro vero miraculo habere, cum tanta sit et naturae magnitudo, et cognitionis humanae tenuitas, ut naturalium causarum perpaucae nobis notae sint, plurimae lateant. Pag.* 160.

Molesta res est, quod Ciceroni non morem gesit Eberhardus, qui omnem disputationem a definitione duci jubet, ut constet, quid sit, de quo disseratur. Contendit Auctor, non continuo pro miraculo esse habendum, si quid *naturali ratione explicari nequeat.* Itaque patefacere debebat, quid diceret *miraculum*, ut, quid *non esset miraculum*, inter ambigentes constaret. Nunc, nulla definitione facta, vaga oratione utitur. Atque eo magis definitione opus erat, quod doctissimos Theologos illud ipsum, quod Eberhardus negat continuo miraculum esse dicendum, pro miraculo habere video, ut sit *effectio, quam in cognita nobis serie ordinis naturae vulgo non reperiamus, nec ex ea explicare possimus* (*c*). — Atqui afferre videmus Auctorem causam, quare ita statuat: tantum enim esse naturae ambitum, ut vix minima ejus pars nobis cognita sit, adeoque magnum periculum esse, ne quid miraculum esse existimemus, quod a viribus naturae proficiscatur.

Est haec illa toties totiesque repetita cantilena eorum, quibus miracula displicent. Mirum est, homines acutos non videre, in omni hac de miraculis quaestione nihil attinere, scire, *quae sint vires naturae*, sed potius, *quae sint leges naturae*, i. e. *quomodo operetur natura, et vires suas prodat extrinsecus.* Qua quidem rerum diversarum distinctione mirifice labefactatur adversariorum oratio. *Virium naturalium* magna nos pars latet: atqui satis est nosse, quae sint *leges*, ad quarum normam suam agendi rationem componat natura. Illae autem leges, quippe omnium oculis patefactae, satis cognitae sunt, non doctis tantum, verum etiam indoctis. Quamobrem, qui definire, quid sit miraculum velit, is illud appellare debet non *discessionem a viribus*, sed, *a legibus naturae apertis.* Quamquam cave credas, nos hanc miraculi definitionem jam *perfectam* et *consummatam*

existimare, cum potius sit *pars* ejus definitionis, sed, ut arbitror, necessaria (*d*). Etiamsi vero a miraculi definitione abesse nolis *virium* naturae commemorationem, tamen non est, quod valde formidemus illam orationem Eberhardi. Sunt enim leges, quarum normam natura sequitur, nihil aliud, quam *solitus modus vires suas extrinsecus patefaciendi.* Cum autem natura vires suas fere semper *eodem modo* prodat, atque *rarissime* aliqua exceptione utatur, sequitur, unamquamque discessionem a *legibus* naturae *probabilius* quoque esse discessionem a *viribus* naturae, quam non esse. Cumque et ipse Eberhardus concedat, nec quisquam neget, illud esse verum miraculum, quod superet vires naturae, efficitur, omnem a legibus naturae, i. e. a solita ejus agendi ratione discessionem (v. c. mortuorum in vitam revocationem) *probabilius* esse miraculum, quam non esse.

Itaque omne id, quod a cognitis naturae *legibus* abhorret, *probabiliter* quoque abhorret a *viribus* naturae, nisi ejusmodi rerum adjuncta (*circumstantias* dicunt) accedant, quae illam probabilitatem imminuant, ac totam fere tollant. Ut autem illa per se jam magna est probabilitas, ita tantopere adaugetur, ut *evidentiae* (*certitudinis moralis*) vim nanciscatur, *si factum aliquod ejusmodi sit, ut ne nunc quidem, postquam rerum naturalium scientiae tanta est facta accessio, naturali ratione intelligi queat: si ab illis hominibus fiat, quibus, ne suspicando quidem, virium naturae occultarum scientia tribui possit: si* deinde *illis locis temporibusque fiat, quae omnem fraudis suspicionem pellant: si* porro *ab eo, qui morum candore, vitae integritate, atque doctrinae praestantia ac salubritate, omnem laudem mereatur: si* denique *is, quod edat factum, miraculum esse, dicat, quo confirmetur ejus, quam tradat, doctrinae veritas* (*e*). Hae igitur quinque περιστάσεις si accedant ad illam, de qua supra locuti sumus, apertam discessionem a legibus naturae, quis non videt, quanta evidentia effici possit, discessionem fieri a viribus naturae, adeoque miraculum verum edi; aut, (si invertere orationem mavis) quis non videt, miraculum verum edi, adeoque discedi a viribus naturae, si quidem hac discessione miraculi notio contineatur? Si autem hac in causa *probabilitatis* potius, quam *evidentiae* nomine utendum esse putas, quis non videt, si illae, quas diximus, περιστάσεις adsint, *omnem omnino probabilitatem esse veri miraculi*, Eberhardi autem orationi *nullam omnino probabilitatem relinqui* (*f*)? Jam nolumus hoc loco longa oratione ostendere, illas περιστάσεις vere ad effectus illos mirabiles accessisse, quos Christus ediderit: partim, quod de nonnullis ita constat, ut nec ipse Eberhardus, nec quisquam adversariorum, qui quidem paulo cordatior sit, dubitet; partim, quod de ceteris fere postea opportunius dicetur; partim denique, quod Auctoris animadversio, quam supra posuimus, ad omnia potius universe, quam ad Christi miracula peculiariter, pertinet (*g*).

Cum tamen de Christi miraculis inprimis sit omnis haec suscepta disputatio, *iis*, quae diximus, hoc unum adjungimus, quo intelligatur, Eberhardi animadversionem, etiamsi in reliquorum miraculis vim aliquam habeat, ad Christi tamen miracula nullo pacto accommo-

modari posse. Aut enim Jesus, cum editurus esset miraculum, illas naturae vires cognitas habebat, aut non habebat. Si habebat, quomodo tandem fraudis notam effugere poterit, cum, ut postea videbimus, miracula sua non ad vires naturae, sed ad Deum auctorem, referret: si non habebat, qua tandem spe, quo fortunae interventu fretus, toties *praedicere* potuit, se miraculum aliquod effecturum, ita ut numquam eum fefellerit eventus (*h*)? Qua in re illud tenendum est, insignem esse miraculorum, quae Jesus ediderit, *multitudinem*, quo tollitur *casus* et *fortunae*, quae *toties* Jesu praedictiones ratas fecerit, suspicio (*i*).

Quae diximus, eam vim habent, ut intelligatur, non multum tribuendum esse animadversioni Auctoris, etiamsi miraculum ita definire velimus, ut non sit tantummodo *a legibus naturae*, verum etiam *a viribus naturae* discessio.

Non potest, antequam miraculum effectum est, (*a priori*, ut dicunt philosophi) *certo constitui, ubi opus sit miraculo, cum nesciamus modone ordinario id effici queat, quod non nisi extraordinario modo fieri posse, putemus*, *pag.* 161. — Quam vim habeat ista disputatio, non intelligo.

1. Est enim miraculum *res in facto posita*, cujus fides non inani *a priori* argumentatione, sed testium gravitate judicanda est. Potuitne *a priori* effici, Eberhardum aliquando scripturum esse de *Origine Religionis Christianae* librum? Quod si fieri non potuit, quis tamen adeo demens, ut ei non tribuat hujus libri auctoritatem?

2. Mirum est, Eberhardum non intellexisse, turpe esse doctori, quem culpa redarguat ipsum. Si enim certo constitui non potest *a priori*, ubi opus sit miraculo, quid est, quod ipse *a priori* constituat, *ubi non opus sit miraculo?* Eberhardus quidem si locum de miraculis ita tractare voluisset, ut *res historicas* tractare oportet, testimoniorum vim auctoritatemque enervare debebat. Nunc vero philosophandi studio abreptus, in causa *historica* testimonia ne curat quidem, atque id pro certo habet, quod ipsi *a priori* probabile videtur. Reprehendenda profecto et philosopho indigna ista disputandi ratio est. Etiamsi vero Eberhardo concederemus, religionem Christianam nihil continere, quod non item philosophia Platonica, Alexandrina, Cabbalistica contineat; vel sic tamen tanta mihi videretur miraculorum testibus tribuenda esse auctoritas, ut statuere mallem, *miracula esse effecta ad confirmationem commendationemque religionis naturalis*, quam cum Eberhardo credere, *miracula non esse effecta, quoniam iis non opus habeat naturalis religio.* Ipsa enim horum testimoniorum falsitas maximum mihi miraculum esse videretur. Quin imo, etiamsi testium nulla ratio habeatur, ne tum quidem philosophi acumine satis dignam puto orationem eorum, qui ad confirmandam religionem naturalem umquam opus esse miraculis negent, adeoque, si quae ad stabiliendam eam religionem effecta dicantur, ea continuo, causa non cognita, temere rideant (*k*).

3. Quae *num.* 2. diximus, majorem etiam vim probabilitatemque habebunt, si recor-

dere, *quae ſit ista naturalis religio*, ad quam Christi Apostolorumque doctrinam Eberhardus dejiciat. Nimirum vituperandus est Auctor, quod philoſophiam Platonis, Philonis, Cabbalistarum, confundit cum Theologia naturali. Concedamus placitorum *Theologiae naturalis* tantam esſe perſpicuitatem, ut ſatis ſe cuivis commendent, nec ad ſui confirmationem miracula requirant; licebitne, quod in *Theologiam naturalem* conveniat, id continuo quoque transferre ad *ſectam aliquam* philoſophorum, ad Platonis, Philonis ceterorumque, quos diximus, *peculiares opiniones?* Habetne Platonica *de ideis* ſententia eandem evidentiae commendationem, quam habet illa omnis Theologiae naturalis arx et praeſidium, *esſe Deum?* Si igitur, propter rei perſpicuitatem, non opus est miraculo, ut, *Deum esſe*, efficiatur, huicne continuo conſequens est, ut ne abſtruſisſima quidem placita, quale est illud *de ideis*, ejusmodi firmamentum requirant? Inprimis ſi illa placita commendanda ſunt non Platonibus, non Philonibus, non doctis hominibus, ſed *plebejis*, ſed iis, qui inde a teneris et praejudicato avitae religionis amore, et exterae philoſophiae implacabili ſint ódio imbuti? Fieri potest ut errem, ſed ita prorſus ſtatuo, ſi Christus ejusque legati popularibus ſuis tradere voluerunt non Theologiam naturalem *univerſe*, ſed Theologiam ſeu philoſophiam *Platonicam*, ut putat Eberhardus; tantum abeſſe, ut Auctor jure *a priori* miracula tollere potuerit, ut multo potius magna ad hanc rem miraculorum utilitas fuisſe futura videatur.

4. Quae attulimus, eo pertinent, ut intelligatur, quam temeraria esſet Eberhardi de miraculis ſententia, etiamſi concederemus, cum ſuperiori Capite planum fecisſe, religionem Christianam nihil continere, quod non humanae rationis vi inveniri atque cognosci queat. Cum vero effecerimus, Christi et Apostolorum doctrinam cum philoſophia Platonico-Cabbalistica ne comparari quidem posſe, neminem esſe arbitror, quin intelligat, labefactatum esſe atque ſubrutum opinionis Eberhardianae fundamentum. Quod ſi Auctori ita concludere rationem licet, ut dicat, *religionem Christianam non opus habere miraculis, cum praeter naturales notiones nihil contineat;* multo nos majori jure ita concludimus; *ſi doctrina Christiana praeter religionem naturalem multa etiam* POSITIVA *placita contineat, ad eam confirmandam miracula esſe magni uſus videntur.* Non fert ſcriptionis nostrae ratio nobilitatam illam multorum disputationibus quaeſtionem tractare, placitane ejusmodi in Christi Apostolorumque doctrina reperiantur, quae rationi humanae impervia, *una docentium auctoritate* credenda ſint (*l*). Neque vero id nunc agimus, ut *a priori* efficiamus, religionem Christianam miraculis confirmari *neceſſario debuiſſe* (*m*), ſed ut appareat, multo *probabilius a priori* judicari, *opus esſe* miraculis ad ſtabiliendam religionem *poſitivam*, quam iis *non opus esſe* ad confirmandam religionem *naturalem*, nedum eam, quae *alicujus ſectae propria ſit:* adeoque multo magis vituperandum esſe Eberhardum, qui miracula tollat, quia religionem Christianam tantum *religionem rationis* esſe putet; quam illos, qui miracula propterea *probabilia* esſe ducant, quia religionem

nem Christianam *religionem positivam* esse, existiment. Haec autem miraculorum probabilitas valde adaugeatur necesse est, si memineris, Jesum Christum *in ea fuisse conditione versatum, eam docendi rationem tenuisse*, atque *ea tradidisse* popularibus, quae adeo essent invisa Judaeis, adeo ab eorum de Messiae (quem Jesus se esse perhibebat) persona cogitandi ratione abhorrentia, ut intelligi nequeat, *quomodo Servator popularium animos per triennium suspensos tenere, quove jure sperare potuerit, se causam suam Judaeis persuasurum esse, nisi statuas, ab eo aliquid extraordinarii esse effectum, quo dignitatem suam tueretur, quodque esset causae suae tamquam sustentaculum* (*n*).

Pergit Auctor, *p.* 162, 163. *His igitur difficultatibus cum multi miraculorum causam premi viderent, eorum numerum, quoad ejus fieri posset, imminuere conati sunt; quae res cum ab haud paucis perverse acta sit, alia quadam et probabiliori ratione utendum est.* Haec verba hoc uno consilio a nobis allata sunt, ut rursus gloriabundum senem audiremus, qui, ut nihil avidius, quam novitatis laudem affectat, ita nulla in re turpius labi solet (*o*).

Multi, qui miraculorum numerum adaugere, quam imminuere malunt, miracula esse putant veritatis argumenta. Nondum de hac re quaero: illud autem video, haud paucos, qui optimo sunt erga Christum ejusque religionem animo, fidem habere Euangelio, non miraculis, sed doctrinae praestantiâ commotos. Atque, ne de Spinoza dicam, cujus suspecta fortasse auctoritas, Rousseavium laudo, qui doctrinae excellentiâ, non miraculis, se adductum fatetur, ut religionem Christianam probaret. pag. 164, 165. Ut opinioni suae undique Eberhardus auctoritatem corradere studet! Quod si, Auctoris exemplo, pueriliter facere vellemus, atque auctoritatibus pugnare, ubi nullus est auctoritatibus locus, quam multos isti *Spinozae* et *Rousseavio* viros eruditissimos gravissimosque opponere possemus, qui miraculis fidem suam, tamquam fundamento, superstruxerunt, atque adhuc superstruunt. Atque eam quoque ob rem non valde curamus, quod Auctor paulo post dicit, hanc semper fuisse *Ecclesiae Protestantis* sententiam, salubritatem praestantiamque doctrinae esse *unicum veritatis argumentum*. Qui enim spectante orbe erudito talia contendere haud erubescit, is quidem non satis dignus videtur, qui longa oratione repellatur (*p*). Fac vero ita esse: ecqua tandem est Ecclesiae in harum rerum judicio auctoritas? Quid, si eam semper in errore fuisse versatam dicamus? Atque, ne succenseat Eberhardus, nonne ipsum de Persona J. C. ea statuere vidimus, de quibus ne somniando quidem Protestantium Ecclesia cogitaverit? Quid autem est, quod *Rousseavium* potissimum, tamquam testem citet? Nam quod in hac causa *Spinozam* vel nominat, per est ridiculum. Isne igitur est *Rousseavius*, cujus auctoritati judicioque de argumentis religionis multum tribuendum sit: quem, novimus omnes, adeo fuisse inconstantem, adeo quavis fere *Operum* suorum parte secum ipso discordantem, ut mirum sit, qui tantus homo in tantam potuerit judicii levitatem incidere? Omnis res redit ad *veritatem* miraculorum cum *physicam*, tum *historicam*. Si vera miracula non fuerint effecta, non est, quod fictis fabulis quic-

quam tribuamus; si vero fide dignae sint miraculorum in N. F. narrationes, magnum iis inesse veritatis praesidium contendo. Atque ne ipsum quidem *Rousavium* aliter judicasse, ipsi Eberhardo, si viveret adhuc, nos persuasuros fuisse, existimamus. Cum enim duabus rebus legatum divinum agnosci diceret, cum morum integritate, tum doctrinae, quam tradat, praestantia, (*q*) ille ita pergit: *Le troisieme Caractere des Envoyés de Dieu est une emanation de la puissance divine, qui peut interrompre et changer le cours de la nature à la volonté de ceux, qui recoivent cette emanation. Ce Caractere est sans contredit le plus brillant des trois, le plus frappant, le plus prompt à sauter aux yeux.* Concedamus vero, miraculorum nullum esse *nostro tempore* usum ad confirmandam divinam religionis Christianae auctoritatem, ecquid tandem hinc effici possit ad eorum veritatem infringendam? Neque enim de *nostra* aetate, verum de *eo* tempore quaestio est, quo haec religio nondum esset constituta. Et nos quidem doctrinam Christianam fere cum lacte nutricis suximus; historia duce, admirabiles ejus progressus, qua patet orbis, cernimus; sentimus atque videmus salubberrimam ejus cum in nostros tum in aliorum hominum animos vim et efficaciam; omnino multis causis persuasio nostra nititur. Atqui paulo ante vidimus, longe aliam Judaeorum fuisse rationem, quippe qui avitae religionis tenaces, atque iis, quae diximus, argumentis carentes, a majorum disciplina auctoritateque avelli non possent, nisi *factis extraordinariis* legationem suam divinam Jesus testificaretur. Quamobrem doctissimos etiam homines ne dubitare quidem video, quin Jesus vere miracula ediderit, quamvis iis *hoc tempore* non amplius opus esse, existiment, ad religionis confirmationem.

Ipse Jesus ejusque Apostoli tam parum tribuebant miraculis, ut acriter etiam eos reprehenderent, qui miracula flagitarent. Matth. XVI. 4. XII. 39, 40. *Luc.* XI. 29. *Joann.* IV. 48. 1 *Cor.* I. 22-24. *pag.* 165-167.

Si horum locorum ea sit ratio, ut Eberhardi causam adjuvent, existimantis, miracula non esse veritatis argumenta, Jesus ejusque legati sibi repugnaverint, necesse est, quippe quos mox videbimus permultum solitos fuisse tribuere miraculis. Nunc paucis videamus, an ex illis, quos laudavimus, locis illud effici queat, Jesum atque Apostolos nullam vim probandi miraculis tribuisse? (*r*)

Itaque illud animadvertimus, Jesum *interdum* et potuisse, et debuisse recusare, quominus obtemperaret voluntati eorum, qui miracula flagitarent, nec tamen huic rei consequens esse, eum in miraculis non posuisse magnum doctrinae suae firmamentum. Ne enim dicamus de iis, qui tantum *oblectationis causa* miracula videre cuperent (*s*), quis tandem miretur, Jesum noluisse miracula efficere, *si peterentur ad rei confirmationem, quae jam saepius esset miraculis stabilita, et quidem ab iis peterentur, qui infesto et infidiose essent in Servatorem animo?* Atque haec est fere eorum, quos attulit Eberhardus, locorum ratio. Cum enim illustre Servator miraculum edidisset, (*Matth.* XII. 22. *seq. Luc.* XI.

14.

14. ſqq.) et eo quidem conſilio, ut ſe Meſſiam efficeret, *Matth. l. c.* vs. 28. *Luc. l. c.* vs. 20.) homines malevoli ei obtrectant, ejusque miracula ad Diabolum auctorem referunt. Repellit eorum orationem Servator, tanta argumentationis perſpicuitate, ut, quod dicant contra, non habeant. Et tamen, quaſi nullum eſſet miraculum effectum, quaſi ex hac disputatione ſuperiores discesſiſſent, tamquam inſultantes Servatori ita rurſus postulant: Διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν. Mireturne aliquis, ſtomachatum fuiſſe Jeſum, atque homines impudentes ac malevolos (γενεὰν πονηρὰν) ab eo repulſam tuliſſe? Aut quotusquisque est, qui, cum mente et cogitatione ſe his rebus interfuiſſe fingat, non probaturus fuiſſet Servatoris conſilium? Legentes enim et abſentes ſi istis Phariſaeis ſuccenſemus, quo tandem animo fuiſſemus praeſentes! Quis autem est, qui non intelligat, quam perperam hinc efficiatur, Jeſum noluiſſe miracula haberi auctoritatis ſuae argumenta? Fac, Eberharde, te in gente peregrina artem medicam profiteri; quoque te medicum eſſe ostendas, magna hominum multitudine teste, identidem multos aegrotantes ſanitati restituere. Quid tandem faceres, ſi illi homines, dum adhuc a gravisſimi morbi ſanati ſpectatione eſſent recentes, ita, quaſi nullum adhuc artis documentum exhibuiſſes, rurſus te peterent: Ἰατρέ, θέλομεν ἀπὸ σοῦ τεχνῆς ἰατρικῆς τεκμήριον ἰδεῖν. ? Lenine animo ferres? obtemperaresne? Sin vero ira excandescens nolle te importunis flagitatoribus morem gerere, diceres, indene equidetur, aut aegrotantium ſanationes non eſſe medicae peritiae argumenta, aut te nolle eas pro artis tuae testimoniis haberi? Quis autem Servatorem adeo repugnantem ſibi, adeo ſui oblitum credat, ut miraculorum vim probandae veritatis infringeret, cum paulo ante, eadem orationis tamquam ſerie, dixiſſet: εἰ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Matth. l. c.* vs. 28. *Luc. l. c.* vs. 20. Quid? quod Servator, dum miraculum petentes repellit, miraculorum tamen vim auctoritatemque agnoscit, cum *reditum ſuum in vitam* σημεῖον esſe, dicat, quod istis hominibus concesſurus esſet (*t*). Jam, quae diximus, accommodari quoque posſunt ad *Matth.* XVI. 1. ſqq. ubi Phariſaei et Sadducaei a Servatore dicuntur miraculum petiiſſe, non quidem veri amore ducti, ſed πειράζοντες ἐυτὸν, neque quaſi nullum adhuc miraculum Jeſu vidiſſent, ſed *majus* etiam et *illustrius* prodigium (σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) ſpectare volebant. Huic igitur importunae petitioni cum Jeſus non obtemperaverit, concludit Eberhardus rationem, noluiſſe Servatorem miracula haberi argumenta divinae ſuae legationis! Quid? ſi morem Jeſus gesſiſſet, quantos fortaſſe clamores Eberhardus aliique excitaturi fuiſſent, indignam esſe, vociferantes, legato divino istam circumforaneam prodigiorum ostentationem, quae, ſimul atque mirabili quadam ſpectaculi novitate ſe oblectare homines vellent, ad eorum ſe voluntatem continuo componeret? Atque jure meritoque ita ſenſiſſent. Quid igitur est, quod ex his locis illud efficiant, quod ex iis effici nullo pacto potest? Quid? nonne *probabile* est, cum Servator hoc quoque loco, vs. 4. τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ commemoret, illud *ſignum* eodem modo esſe interpretandum, quo vidimus *Matth.* XII. intelligi debere, ut ſignificetur *reditus Christi in vitam*, cum

cum inprimis tanta ſit rerum adjunctarum univerſaeque orationis in utroque loco ſimilitudo? Estne improbabile, illa σημεῖα τῶν καιρῶν, vs. 3. ſignificare miracula, quibus, ut ſupra vidimus, Judaei existimabant, ſeculum Meſſiae illustre fore? Ipſe enim Servator ſaepius docuit, miracula eſſe temporis Meſſiae inſignia; *Matth.* XI. 3-5. XII. 28. *Luc.* XI. 20. Si autem Servator in hoc quoque Matthaei loco miracula dicit auctoritatis ſuae documenta, quomodo tandem eodem loco illa documenta contemnere potuit? Etiamſi vero illud σημεῖον Ἰωνᾶ, atque illa σημεῖα τῶν καιρῶν ita non eſſe intelligenda existimes, nihil tamen, ut diximus, ex hoc Matthaei loco effici potest, quod Eberhardi cauſam adjuvet. Neque loco *Joannis*, IV. 48. moveor. Recte enim animadvertit *Storrius* (*u*), tantum abeſſe, ut Servator eo loco miraculorum vim probandae veritatis attenuet, ut eam potius, tamquam indubiam, *ſumat*, et tantum reprehendat *infirmam* illius βασιλικοῦ *fidem*, vs. 49. qui filii ſanationem ab eo peteret. Univerſe autem illud animadvertimus, imprudentem eſſe eorum orationem, qui ex illis, quos adduximus, Jeſu ſermonibus efficere velint, miracula neque per ſe eſſe, neque a Servatore habita fuiſſe veri argumenta. Fieri enim potuit, ut Jeſus, quamvis eam probandi veri vim miraculis tribueret, tamen pro temporis, loci, hominumque ratione vituperaret eos, qui ſe ei fidem habituros negarent, niſi viderent miracula. Quam rem evidenti exemplo declaremus. Reditûs Christi in vitam nullum profecto *firmius argumentum* Apostolis eſſe poterat, quam ut Jeſus post obitum ſe iis conſpiciendum praeberet; quamobrem ipſe Servator atque Apostoli hoc argumento praecipue utuntur, *Matth.* XXVI. 32. *Joann.* XX. 20. *Act.* X. 41. 1 *Cor.* XV. 5-8. Cum igitur Jeſus Thomam *reprehendat*, quod fidem habere noluerit, antequam ipſum in vitam reducem *vidiſſet* ac *contrectaſſet*, *Joann.* XX. 29. *coll.* 25. quis tam demens, qui propterea conſpectum Jeſu praeſentis neque eſſe, neque a Jeſu habitum fuiſſe, reſurrectionis argumentum, existimet? Si autem Thomam, *ſui amantiſſimum*, *prae gaudio dubitantem*, Jeſus reprehendendum duxit, quamvis discipulus *ne ſemel quidem* adhuc eum viventem post mortem vidiſſet; quid mirum, Servatorem interdum graviter objurgaſſe homines, qui, *animo malevolo* miracula postularent, quamvis *ſaepius* eorum testes ſpectatoresque fuiſſent? Locus denique 1 *Cor.* 22-24. quo jure huc ab Eberhardo referatur, non intelligo. Cum enim Paulus displicere ſibi Christianorum ex Judaeis et Ethnicis discordiam dixiſſet, vs. 10, 11. non adeo eſſe disputandum, ait, majusne ſit veritatis argumentum σημεῖον, ut Judaei, an vero σοφία, ut Ethnici existiment, vs. 22. dummodo de ipſa religionis veritate inter eos conveniat, cujus caput ſit Χριστὸς ἐσταυρωμένος, vs. 23. II. 2. Etiamſi vero vs. 22. non Christianos ex Judaeis et Paganis intelligendos eſſe putas, ſed eos, qui *avitae religioni* adhuc adhaererent (*v*), ecquid tandem Eberhardus lucretur? Cum enim Paulus non de σημείοις univerſe, ſed de uno σημείῳ loquatur, quid impedit, quominus Judaeos *extraordinarium* aliquod prodigium postulaviſſe, arbitremur? Quod ſi ita eſt, quidni eodem,

quo

quo Jesus, jure importunos homines reprehenderit, cum praesertim in Corinthiorum Ecclesia satis jam essent miracula edita, 1 *Cor.* XII. sqq.? (*w*) Quicquid hujus rei sit: cum paulo post demonstraturi simus, Paulum permultum tribuisse miraculis, statuendum est, Apostolum h. l. ita de miraculis pro temporis, loci, hominumque conditione, loqui; etiamsi ob monumentorum historicorum penuriam eam rerum conditionem ignoramus. Nam, ut diximus, aliud quid est, *vituperare miracula petentes*, aliud, *ipsa miracula non habere pro veritatis argumentis*. Omnino autem miramur, qui Eberhardus non intellexerit, hunc Pauli locum magnopere obesse universo scriptionis suae consilio. Si enim Apostolus hoc loco contemsit miracula Judaeorum, contemserit quoque Graecorum philosophiam, necesse est (*x*); ex qua tamen praecipue Christi et Apostolorum doctrinam profectam esse, Auctor putat (*y*).

Itaque non hoc fuit miraculorum consilium, ut religionis veritatem efficerent. Pag. 167. Quandoquidem haec Eberhardi sententia iis locis nititur, quibus Servator miraculorum flagitatores objurgat, quosque paulo ante ita explicuimus, ut planum fieret, nihil iis praesidii ad tuendam Auctoris opinionem inesse, omnem hunc locum praetermittere poteramus. Cum autem postea alicujus fortasse momenti futurum sit, tenere, quae fuerit ipsius Christi ejusque Apostolorum de miraculis sententia, paucis hanc causam conficiamus. Neminem vero a nobis postulaturum arbitramur, ut singulos, quos laudaturi simus, locos peculiari notatione interpretemur. Est enim satis apertus eorum sensus, atque tantum abest, ut Eberhardus, quicum nobis disputatio est, quidquam attulerit ad eorum vim infringendam, ut ipsos locos ne verbo quidem commemoraverit.

Matth. IX. 6. Jesus paralyticum sanat, *eo*, ut ipse ait, *consilio, ut scirent homines*, se auctoritate esse instructum remittendi peccata, adeoque se esse legatum divinum. Praeter Deum enim, qui peccatorum posset veniam dare, esse neminem, Judaei existimabant, nisi qui ad hanc rem a Deo esset missus. Vid. vs. 3. *Luc.* V. 21. (*z*).

Matth. XI. 4. sqq. Cum Joannes misisset, qui sciscitarentur, *essetne Jesus exspectatus ille Messias*, Servator legatos certiorem facere magistrum jubet, τυφλοὺς ἀναβλέπειν, χωλοὺς περιπατεῖν, cet (*a*).

Matth. XI. 20-24. Servator earum civitatum pertinaciam objurgat, quae ipsius miraculis non adductae fuissent, ut ad meliorem frugem redirent (*b*).

Matth. XII. 28. Ex miraculis, quae efficiat, intelligi dicit, adesse τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *Regnum Messiae* (*c*).

Joann. V. 36. Auctoritatis suae divinae argumenta esse, Servator dicit, τὰ ἔργα, ἃ ἔδωκε αὐτῷ πατὴρ, ἵνα τελειώσῃ αὐτὰ. τὰ ἔργα, inquit, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε (*d*).

Joann. XI. 42. Jesus, antequam in vitam revocaret Lazarum, Dei auxilium se implorasse, dicit, non quo ipse diffideret, sed ut hominum circumstantium multitudo crederet, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἀπέστειλε (*e*).

 Plu-

Plura non est necesse adjungi. Quae attulimus, ejusmodi sunt, ut acerrimi etiam miraculorum adversarii coacti sint fateri, Jesum illis locis (plerisque certe) plurimum tribuisse miraculis (*f*). Et tamen Eberhardus, quasi nusquam Servator de miraculorum fuerit consilio locutus, haec loca alto silentio praetermittit; ea cupide captat, quae sibi aliquam vim habere ad sententiae suae commendationem videantur, quamquam falso, ut vidimus (*g*).

Neque Euangelistas ceterosque Apostolos non magni ad probandum verum momenti duxisse miracula, satis constat. Et Euangelistarum quae fuerit sententia, vel ex eo intelligi potest, quod tam saepe tamque diligenter narrare solent, *quae fuerit miraculorum Jesu vis et efficacia ad movendos testium animos*; quod profecto non fecissent, nisi iis, quibus scriberent, persuadere quoque voluissent, multum valere miracula ad veri probationem: vid. *Matth.* VIII. 27. XXVII. 54. *Marc.* XV. 39. *Luc.* XXIII. 47. *Joann.* IV. 41, 42. VI. 14. XI. 45. (*h*). Eadem quoque ceterorum Apostolorum fuit sententia, ut ex eorum orationibus epistolisque intelligitur. *Act.* II. 22. Petrus Jesum vocat ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς Ἰουδαίους δυνάμεσι, καὶ τέρασι, καὶ σημείοις, ὅις ἐποίησε δι᾽ αὐτοῦ ὁ θεὸς (*i*).

Act. X. 38. Idem Apostolus facultatem sanandi τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, qua Jesus instructus fuerit, pro argumento habet, ὅτι ἦν μετ᾽ αὐτοῦ ὁ θεὸς (*k*).

Act. XIV. 3. Lucas narrat, Deum, seu Christum, *confirmasse* Pauli doctrinam, *exhibendis miraculis* (*l*).

Rom. XV. 19, 18. Paulus scribit, se a Christo adjutum multa fecisse ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, *eo consilio, ut Ethnici susciperent doctrinam Christianam* (*m*).

Quid denique apertius, quid ad Eberhardi refutandam opinionem efficacius esse potest, quam quod *Epistolae ad Hebraeos* scriptor, quem Paulum esse, ille putat, cujusque unius auctoritate sententiam suam munire studuit, doctrinam Christianam ad suum usque tempus esse propagatam docet, συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ θεοῦ σημείοις τε, καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσιν. *Cap.* II. 3, 4.?

Quis igitur Graece vel mediocriter doctus non miretur hominis temeritatem, qui, quasi ea, quae attulimus loca ne in Novi quidem Foederis libris reperirentur, miraculorum, audacter infitietur, illud fuisse consilium, ut Christi et Apostolorum doctrina iis confirmaretur, ad hominumque approbationem commendaretur (*a*)?

Atqui ipse Servator perspicue docet, ipsam doctrinae vim atque praestantiam optimum esse divinae auctoritatis argumentum, gravitur monens: ἐὰν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν, ἢ ἐγὼ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ λαλῶ. Joann. VII. 17. *Pag.* 167.

Odiosa hercle res est, quod Eberhardus, qui tanto hiatu nova se allaturum promisisset, toties aliorum cantilenas repetit. Qui enim averſantur miracula, hoc Joannis locos,

tamquam inexpugnabili quodam munimento, ita defendere ſententiam ſuam ſolent, ut riſum fere ceteris moveant (*o*). Estne igitur extra omnem dubitationem poſitum, Jeſum h. l. doctrinae praeſtantiam ut firmiſſimum veritatis testimonium laudare? Quod ſi verbum γνῶναι *inquirendi*, *investigandi* notione ſumatur, ut *Joann.* VII. 51. *Act.* XXII. 30. XXIII. 28. quid impedit, quominus locum ita vertamus: *Si quis velit Deo obtemperare, is inquirat, utrum Dei auctoritate, an vero meâ, hanc doctrinam tradam?* i. e. *hoc ipſum est θέλημα θεοῦ, hoc ipſum Deus a vobis postulat, ut ſciscitemini, quâ ego auctoritate loquar: id igitur qui facit, is morem Deo gerit* (*p*). Hic autem ſi est loci ſenſus, facile intelligitur, Servatorem tantum loqui de *inquirendi officio*, minime vero docere, *doctrinae ſuae excellentiam eſſe divinitatis argumentum.*

Neque vero hoc ita dicimus, quaſi desperanda nostra cauſa ſit, niſi is huic loco ſenſus tribuatur, quem diximus. Esto, ut vult Eberhardus. Doceat Servator l. l. religionis ſalubritate evidens contineri auctoritatis ſuae divinae documentum; quid, quaeſo, aliud inde efficiatur, niſi in miraculis non eſſe *unicum* veritatis argumentum ponendum (*q*)? Atque tantum abest, ut hac nostra concedendi facilitate miraculorum cauſam debilitari exiſtimemus, ut ea potius haud mediocriter corroborari videatur. Miraculorum enim ea ratio est, ut, niſi cum ſaluberrima ac praeſtantiſſima doctrina conjungantur, praeſtigiarum ſuſpicionem habeam, nec quicquam efficiant omnino (*r*). Quamobrem, niſi Jeſu miracula eſſent effecta ad doctrinae excellentiſſimae confirmationem, illas miraculorum in N. F. narrationes non eſſe magni habendas exiſtimarem. Cum vero Jeſus eam religionis doctrinam tradiderit, quae ſua ſe praeſtantia ad hominum animos commendaret, facile intelligitur, in hac ipſa doctrina haud mediocre eſſe miraculorum praeſidium poſitum; quoniam *ſine ea doctrina* nulla fuiſſet miraculorum fides. Nam ſi quis ita dicere velit, doctrinam, quae ſe ipſa commendet, non indigere miraculorum testimonio, illud jam ſupra est a nobis repulſum. Ut autem *per ſe* illud requiritur, ut miracula, ſi quidem aliquis eorum uſus futurus ſit, cum ſalubri doctrina copulentur, ita inprimis haec conjunctio conveniebat *in eam, quam Jeſus utebatur, conditionem.* Cum enim ſe Meſſiam eſſe diceret in ea gente, quae Meſſiae perſonam dignitatemque proeliis, victoriis, atque imperii magnificentia cerni opinaretur, miracula, non cum doctrina conjuncta, non tantum nullam poterant habere utilitatem, verum etiam eo valere debebant, ut hominum animos magnarum rerum exſpectatione alerent, eorumque commentis de Meſſia orbis terrarum victore multum commendationis adderent. Sapientiſſimo igitur conſilio cum miraculis Servator conjunxit doctrinam: quippe qua conjunctione intelligeretur, ſe ſua efficiendorum miraculorum facultate nequaquam eſſe ad debellandas gentes abuſurum, verum eam adhibiturum ad ſtabiliendum illud Meſſiae imperium, quod a Judaeorum ingenio atque opinione maxime abhorreret. Quam ergo Judaeorum vanitatem excitare poterant ac neceſſario excitatura fuerant *ſola miracula*, cum Jeſus *doctrinae*, miraculis ſtipatae, tamquam injecta manu, reprimebat (*s*).

Gratissimo igitur animo accipimus, quod dat Eberhardus. Adeo enim placere nobis Christi religionem confitemur, ut, quicquid ad eam confirmandam pertineat, illud magno cum studio arripiamus. Neque vero tantum tribuimus miraculis, ut in his unice ponamus omnia. Accedunt praeter illam, de qua loquimur, doctrinae praestantiam, vaticinia etiam, et religionis admirabilis quaquaversus propagatio. Si autem nos ea sumus in disputando facilitate, ut propter *unum Joannis locum* Eberhardo concedamus, doctrinae praestantiam ab ipso Jesu habitam esse pro veritatis argumento, quid est, quod non eadem ille erga nos liberalitate sit, atque, propter *multa*, quae supra attulimus, *loca*, miraculorum vim ad probationem veri agnoscat? Neque est, quod vereatur, ne hac miraculorum tamquam contagione inquinetur illius argumenti, quod unice probat, castitas. Ut enim paulo ante vidimus, sapientissime Servatorem cum miraculis conjunxisse doctrinam, ita quoque optimo consilio cum doctrina copulavit miracula. Cum enim, quod verbo supra jam monitum est, Jesu vita, conditio, doctrina tantopere abhorreret a Messiae, quem ejus populares sibi informaverant, persona; sperare profecto non poterat, rem suam sibi successuram, nisi aliqua *extraordinaria auctoritatis suae testificatione* hominum in se animos cogitationesque converteret. Neque intelligi potest, quo pacto Servator per satis longi temporis spatium sibi adhaerentem tenere potuerit tantam multitudinem eorum, qui alium prorsus Messiam cogitarent, quam ipse esset, nisi statuamus, talia subinde ab eo esse effecta, quae hominum studia attentionemque movere, alere, retinere possent: ut, quod per vitae tenuitatem ad Messiae dignitatem deësset, id factorum extraordinariorum tamquam splendore compensaretur (*t*). Itaque et ad Jesu Apostolorumque sententiam, et ad ipsius rei naturam accommodatius fecisset Eberhardus, si conjunxisset ea, quae nec distrahi nec divelli debent (*u*).

Jam in Eberhardi disputatione nonnulla sequuntur, quae, cum aliqua aut obscuritate aut ambiguitate laborent, ipsius Auctoris malim, quam meis, verbis infra referre (*v*). Sunt autem adeo falsa, quae quidem intelligam, adeoque cum historiae veritate pugnantia, ut mirum sit, talia excidere potuisse Eberhardo. Neque vero, cum praesertim ad rei summam nihil pertineant, aliquam eorum rationem haberemus, nisi universam Eberhardi orationem accurate persequi constituissemus. Itaque pauca sufficerint. Duo igitur contendere Auctor videtur, quorum alterum est

1. *Patres Ecclesiasticos e superstitiosa sui temporis philosophia id sumsisse, ut Jesu Apostolorumque miraculis vim probandi veri tribuerent.* Ita is loquatur necesse est, qui Patrum scripta vix levi manu tractaverit. Et quod miracula pro veritatis habuerunt argumentis, id tum demum iis vitio vertemus, si aliquis Eberhardi similis nobis persuaserit, aut miracula non tanti esse facienda, aut Jesum ejusque Apostolos non eandem, quam Patres, ei vim tribuisse. Cum autem Eberhardus dicit, eos philosophiae suae superstitiosae placitis eo esse adductos, ut tantum tamque firmum veritatis praesidium in miraculis inesse exis-

timarent, ecqua tandem ista temeritas est! *Primum* enim, tantum abest, ut Patres per philosophiae suae superstitiosae placita eam probandi veri vim tribuerint miraculis, ut potius *ipsi fateantur, se per eadem illa placita impediri, quominus hoc miraculorum argumento utantur, ne scilicet adversarii, opponendis Daemonum miraculis, hujus argumenti vim infringerent:* adeoque se vaticiniorum malle testimonio uti (*w*). *Deinde:* si qui Patrum antiquiorum sunt, qui miracula laudent, ut veritatis argumenta, non tantum nullum indicium est, eos hanc sententiam e superstitiosa de Daemonum miraculis opinione duxisse, verum etiam de Geniorum prodigiis *per contemtum loquuntur*, ne miraculorum Jesu auctoritati officerent (*x*). *Denique:* cum *Origenes* et *Arnobius* contra eos adversarios disputarent, qui Geniorum prodigia Jesu miraculis opponerent, illi duumviri judicaverunt, Jesu et Apostolorum miracula non posse justi argumenti vim nancisci, nisi *certas notas* constituerent, *quibus haec ab illis, tamquam vera a fictitiis, possent discerni* (*y*). Itaque tum demum miraculis Jesu et Apostolorum Patres senserunt argumenti vim esse tribuendam, cum effecissent, eam *non* esse tribuendam prodigiis Geniorum. Quae cum ita sint, quotusquisque est, qui non videat, quam falsa sit et ab historiae testimonio abhorrens Eberhardi opinio?

2. *Alterum*, quod Eberhardus adjungit, Patres miraculorum argumento tantum usos fuisse apud *indoctos*, cum doctis potius *per ipsam doctrinae praestantiam* de religionis veritate persuaderent; id quam temere dicatur, neminem fugere arbitror, qui in Patrum scriptis non plane sit hospes. Ne enim de *Quadrati ad Hadrianum Apologia* dicam (vid. *not. x.*), quis tandem ignorat, Patres utroque argumento uti ad *eosdem* adversarios. Quod si ita est, *eosdem* illos adversarios, judice Eberhardo, et *doctos* fuisse et *indoctos* necesse est! (*z*)

Cum igitur, inquit, *adeo desperanda sit miraculorum causa, quaeritur, quid sit judicandum de Sacrorum Scriptorum fide historica?* (*a*) *p.* 170. Hic oritur ea, de qua supra questi sumus, disputationis Eberhardianae difficilis confusio. Rapitur, tamquam torrens, oratio, ut quod teneas, ubi persistas, quod intelligas, vix habeas. Mirandum autem est, rem gravissimam ab erudito homine tanta levitate tractari potuisse, quasi, ut ait Horatius, de lana caprina esset quaestio. Loquitur de inculto Apostolorum ingenio, de incertis rumoribus, unde narrationes suas traxerint, de poëtico orationis ornandae studio; atque ita loquitur, ut poëta, nulla adhibita disputandi severitate, nulla accuratione, quam tanta res requirebat. Aut nullas causas affert, quibus opinio sua nitatur, aut, si quas commemorat, illae philosophi gravitate prorsus sunt indignae.

Ne vero et ipsi videamur, poëticam orationem poëticae opponere, age, ex vagante Eberhardi disputatione arripiamus, quod arripi possit: quod ita optime nobis facturi videmur, si utrumque Auctoris impetum cum in *physicam* tum in *historicam* miraculorum veritatem, quoad ejus fieri a nobis potest, breviter quidem, sed satis accurate, repellamus.

fuit eorum ignorantia, ut nec ipſi, nec eorum aequales remediis, ſed praeſenti Dei efficaciae, morborum curationes tribuerent, *nulla profecto cauſa afferri potest, cur taceant remedia, quae Servator aegrotantibus adhibuerit.* Si enim morborum ſanationes, *quamvis adhibitis remediis* effectae, ad Deum referebantur, et pro *miraculis* habebantur, ecquid tandem impedire potuit, quominus Euangelistae Jeſum remediis uſum fuiſſe, narrarent? Neque est, quod quis dicat, eos propterea fortaſſe non commemorasſe remedia, *quoniam iis res non tanti videretur, ut digna eſſet, quae referretur.* Primum enim, cum Jeſu miracula adeo *accurate* narrare ſoleant, ut morbi genus, aegrotantis conditionem, Jeſu verba, motum, gestum cet. referant, quomodo tandem fieri potuit, ut remedia, quibus eum uti viderent, quibusque, quoniam *conſtanter* iis uteretur, non poſſent non aliquid momenti tribuere, commemorare obliviscerentur? Deinde, Euangelistas non propterea neglexisſe remediorum mentionem facere, quod ea non digna cenſerent commemoratione, ex eo intelligi potest, quod interdum referunt ea, *quae ſpeciem remediorum* habent, vid. *Matth.* XIV. 17. ſqq. *Marc.* VI. 38. ſqq. *Luc.* IX. 13. ſqq. *Joann.* VI. 9. ſqq. IX. 6. ſq.

5. Etiamſi ſtatuamus, tantam fuiſſe Euangelistarum ceterorumque Judaeorum ignorantiam, quantam dicat Eberhardus, non tamen me intelligere, fateor, ecqua ea in re vis ſit ad nostram de miraculorum veritate phyſica perſuaſionem debilitandam. Non enim propterea credimus, Jeſum veri nominis miracula edidiſſe, quod Euangelistae dicant, *ſe* multas Jeſu res gestas *pro miraculis* habere, ſed quoniam, *nostro* judicio utentes, ea, quae Euangelistae *ſe vidiſſe, quibusque ſe interfuiſſe*, narrant, e cognitis naturae legibus explicari non poſſe, intelligimus. Narret mihi philoſophus aliquis, ſe vidiſſe miraculum; ſi nihil amplius narret, non credam: referat idem homo rudis, minus etiam credam, niſi, *quid* viderit, me doceat. At narrent mihi nonnulli Caraibae, (nam barbari ponendi ſunt, ut mos geratur Eberhardo) ſe hominem *vidiſſe* per quatriduum jam mortuum atque putridum, alicujus juſſu, in vitam redeuntem, ſeque hunc reditum *miraculum* eſſe, putare; dummodo de *historica* veritate conſtet, de *phyſica* ne dubitem quidem: non *propterea*, quod illi eam rem *ſibi* miraculum videri dicant; ſed quod ipſe, etiamſi illi, quid *ſibi* videatur, non dicant, aliter judicare non poſſim, quin mortui in vitam reditus verum miraculum ſit habendum. Itaque non quaeritur, quae ſit phyſices peritia, ſed, quae oculorum acies, qui tactus, qui auditus, quae reliquorum ſenſuum integritas? Neque vero intelligi potest, quare in re aperta philoſophorum ſenſibus acrius tribuatur, quam reliquorum hominum, judicium. Si igitur Euangelistae univerſe tantum narrasſent, ſe plurimis Jeſu miraculis interfuiſſe, nec tamen *ipſas res* retuliſſent, magnam vim habitura fuiſſet Eberhardi oratio, docentis, non eſſe imperitorum judicio confidendum; cum vero *ipſa facta*, quibus interfuerint, referant; cum narrent, ut hoc utar, ſe Lazarum *vidiſſe*, Servatoris juſſu e ſepulcro exeuntem, quid tandem ad hujus testimonii auctoritatem frangendam valere potest *phyſices imperitia?* (f)

Haec

Haec habebamus, quae adverſus Eberhardum disputaremus. Effecimus, noſtram de miraculorum Jeſu veritate phyſica ſententiam non tantum nihil detrimenti capere, verum quoque confirmari, etiamſi ſtatuamus, Euangelistas ceterosque Judaeos in ſumma rerum naturalium ignoratione fuiſſe verſatos. Ea autem concesſimus, quae minime concesſiſſemus, ſi ſeverius agere voluiſſemus. Non tantum enim etiam atque etiam negamus, Judaeos tempore Jeſu non potuiſſe miracula a cauſarum naturalium vi discernere, verum etiam, Jeſum neque adhibuiſſe, neque pro conditione, in qua verſatus ſit, adhibere potuiſſe remedia contendimus. A cujus tamen rei tractatione abſtinemus, partim quod Eberhardus, in cujus ſententia refutanda magis, quam in noſtra tuenda, verſamur, ne unam quidem hiſtoriae auctoritate nixam rationem attulit, cur Servatorem uſum remediis fuiſſe, opinetur; partim quod illud argumentum jam ſaepius elaboratum est ab optimis miraculorum vindicibus. Ad hos igitur lectores delegamus. Nobis quidem ea videbatur optima disputandi ratio, ut, concesſo, quod Eberhardus nullo jure ut ſibi concederetur postulabat, oſtenderemus, quam nihil effecerit ad miraculorum veritatem phyſicam infringendam. Quandoquidem autem Eberhardus fidem Euangelistarum hiſtoricam valde ſibi curae esſe, dicit, eam vero ſatis defendi posſe ſtatuit, *etiamſi Jeſus remedia adhibuerit aegrotantibus*, modo ſumamus, eos, pro cauſarum naturalium inſcitia, bona fide haec remedia non commemoraſſe; ea de re videamus. Ita autem hanc cauſam tractabimus, ut iis, quae dicturi ſumus, vicisſim valde confirmetur id, quod paulo ante de remediorum uſu animadvertimus. Quoque integrius de hac quaeſtione judicium feramus, a Christo et Euangelistis paulisper mentem et cogitationem avocemus, atque ita rem fingamus.

1. In barbara aliqua Americae gente, famâ accepi, ante hos aliquot annos extitiſſe excellenti virum ingenio, et artis medicae peritiſſimum. Editur a nonnullis ejus familiaribus liber, qui ejus vitam complectatur. Multos lego homines, variis morbis affectos, ad hunc ſe Apollonium ſanitati recuperandae contuliſſe, atque ab eo esſe ſanatos. Si nihil amplius lego, nullus dubito, quin aegrotantibus adhibuerit remedia, etiamſi in ejus vita ne verbum quidem de remediis reperiatur. Atqui video illos hiſtoricos rem ita narrare, ut *de industria* noluiſſe remediorum mentionem facere videantur. Narrant, Apollonium *allocutum fuiſſe* aegrotos; *tetigiſſe* palpebras eorum, qui viſu esſent capti; *voce juſſiſſe* mortuos (quos certe ipſi mortuos putarent) ad vitae vigorem redire: quae cum fecisſet, affectos ſanitati fuiſſe reſtitutos; mortuos revixiſſe; remedia autem, quae adhibuerit, prorſus tacent. Quid ergo? ſi illi *accurate* et *conſtanter* in morborum curationibus ea referunt, quae ad ipſam ſanationem per ſe nihil conducere posſint, ut *verba*, *tactum*, cet. ea vero *conſtanter* praetermittunt, quibus ſolis ſanandi vis contineatur, posſumne aliter ſuspicari, quin *de industria* remedia commemorare noluerint? Nam *caſui* non potest illa praetermiſſio aſſignari: non enim *unius* hominis est negligentia, ſed *plurium* hiſtoricorum in eam rem conſpiratio. Si autem *de industria* fecerint, ecquod tan-

dem aliud hujus rei consilium excogitari poterit, quam ut Apollonium legentium oculis, ut θαυματουργὸν, proponerent? Si vero judicaverunt, se id, quod spectarent, consequi non posse, nisi praetermitterent ea, *quae scirent ab eo adhibita esse*, remedia, equidem, quomodo tuenda eorum fides historica sit, me non intelligere fateor. Neque est, quod quis dicat, eos omittenda hac remediorum mentione illud, quod diximus, consilium spectare non potuisse, quandoquidem, pro causarum naturalium inscitia, eum pro θαυματουργῷ habuissent, etiamsi eum remediis utentem vidissent. Nam si ita se res habet, non potest, ut supra jam animadversum est, intelligi, qui factum sit, ut plures historici reliquas minutas περιστάσεις constanter narrent, remedia autem, quibus Apollonius *constanter* usus sit, non narrent, cum tamen eorum commemoratio, ipsorum opinione, nihil posset de θαυματουργοῦ gloria detrahere (*g*).

2. Habeant autem ea, quae diximus, non majorem, quam *suspicionis*, vim. Ea vero, quam posuimus, suspicio, quaeque, si recte suspicati sumus, historicorum fidem frangit, mirifice confirmetur necesse est, si eos interdum narrare video, Apollonium usum esse remediis, sed *iis remediis, quae per se ad depellendum aliquod incommodum aut ad sanandum morbum nihil valeant.* Referunt, *paucis panibus piscibusque multa hominum millia* ab Apollonio esse saturata. Intelligo tantillum alimentum ad tantam hominum multitudinem nihil esse, adeoque, si vera narrent, miraculum quoddam ab Apollonio esse editum. Alio loco narrant, aliquem, qui *inde a natalibus visu captus esset*, ab Apollonio *oculorum usum accepisse, luto e saliva et pulvere facto.* Scio *tantam rem tali medela* effici non posse, adeoque miraculum agnosco (*h*). Jam si mihi persuasissimum est, Apollonium non tantum in coeco sanando et in illa multorum hominum fame depellenda, verum etiam in reliquis omnibus morborum curationibus, adhibuisse remedia; et tamen video illos historicos ceteras sanationes ita narrare, *ac si nullas medelas* adhibuisset; duo autem facinora ita referre, *ut remedia cum mali depulsione nullam conjunctionem habeant:* nonne *maxima* mihi *suspicio* nascatur necesse est, eos *ex consulto* et *illa* remedia tacuisse, et *haec* commemorasse, ut Apollonii vitam *miraculis* exornarent?

3. Quam vero, pro nostra disputandi facilitate, adhuc *justam suspicionem* appellavimus, ea evidentiae vim accipit, si video, illos historicos *alia remedia commemorare, quam scirent ab Apollonio esse adhibita.* Si verum est, multa hominum millia ab eo saturata, atque coecum sanatum esse, aut miraculum agnoscendum est, aut statuendum, Apollonium *aliis medelis* usum esse, quam historici referant. Fac igitur illos historicos *scivisse*, (nam id Eberhardus minime negat) Apollonium non sex aut decem, sed mille panibus piscibusque, non luto, sed alia, nescio quâ, medela esse usum, quomodo tandem eorum fides historica defendi poterit? Si autem res ita se habet, ut, si pro rei veritate narrassent, quae remedia Apollonius *vere* adhibuerit, *nullum miraculum* relinqueretur, cum contra nunc ita rem exponant, ut quemvis legentem subire debeat miraculi co-

cogitatio; judicari aliter non potest, quam eos *de industria* vera remedia tacere, fictitia referre, eo consilio, ut θαυματουργὸν appareat esse Apollonium.

4. Et ne quis putet hujus animadversionis nervum ita incidi posse, ut dicatur, illos historicos non potuisse eo, quod diximus, consilio, fictitia remedia narrare, vera praetermittere, quandoquidem, ex Eberhardi sententia, tanta statuenda sit eorum insciția, ut, *etiamsi vera remedia narrassent, tamen effectum pro miraculo habuissent;* hac de re pauca animadvertamus. *Primum* quaerimus, si non eo, quod diximus, consilio ita fecerint, quo igitur consilio? *deinde*, etiamsi *nullo consilio* ita fecerint, quomodo tamen eorum fidem historicam tueare? *Denique*, quod ad coeci sanationem accommodari possit, an quoque ad illam famis depulsionem continuo potest transferri? Potestne aliquis homo ita infra formicarum ingenium esse dejectus, qui putet, quinque millia hominum quinque millibus panum saturare, aut miraculum esse, aut etiam aeque magnum, ac tantam hominum multitudinem paucis tantum panibus a fame liberare? Si autem illos historicos magistrum suum rogare audio, emturine sint panes, qui ad tantam multitudinem sufficiant, cum alimentum, quod suppetat, nihil sit ad tantum famelicorum numerum, facile intelligitur, illos homines bene perspexisse, non esse miraculum, si satis cibi praesto sit, aliquot hominum millia saturare; sed ea saturare tantillo cibo, qui ad duodecim vix homines satis sit, illud verum miraculum esse habendum (*i*). Itaque, si Eberhardi ratione Euangelistarum fidem defendere velis, statuendum est, eos non tantum ignoravisse morbos naturalibus medelis sanari posse, verum etiam ad magnam hominum multitudinem saturandam magnam cibi copiam requiri! Quod tamen eos *non* ignoravisse, loca, quae commemoravimus, docent.

5. Nolo cum Eberhardo severe agere. Narrant illi historici, Apollonium multos aegrotantes sanitati restituisse eos leviter *tangendo*, *alloquendo*, cet. remedia vero ab eo adhibita non commemorant. Salvam tamen puto eorum fidem historicam esse, cum casu, nescio quo, eas medelas commemorare neglexerint. Atqui dum diligenter lego, ecce! in tantam me difficultatem conjectum sentio, ut plane eorum fides historica desperanda sit. Referunt hominem aliquem ad Apollonium venisse, qui salutem peteret filio suo, in lecto graviter aegrotanti. Apollonius, nec viso nec tacto aegroto, bono animo hominem esse jubet, filium enim valere. Pater domum contendit, et filium comperit valentem. Jam quonam artificio in hanc historiam intrudam medicamina? Salva rest est! Medicus patri dedit remedia, quae filio adhiberet. Minime vero! Nam non tantum narrant filium, satis longe remotum, eodem, quo pater cum medico loqueretur, temporis puncto convaluisse, verum etiam domesticos ei, domum nondum ingresso, obviam venisse, et filii valetudinem annunciasse (*k*). Hic aut miraculum statuendum esse, contendo, aut actum esse de fide historica. Ita enim rem narrant, ut remediorum usus *ne cogitari quidem*, nisi eversa historia, possit.

Eorum, quae diximus, perfacilis est ad rem praesentem accommodatio. Eberhardus, cum Jesum aegrotantibus adhibuisse medicamenta existimet, Euangelistarum tamen fidem historicam integram esse, dicit, modo sumas, eos *nullo dolo* scripsisse, cum tanta fuerit eorum physices imperitia, ut morborum per remedia naturalia curationes non minus pro miraculis haberent, quam si illae nulla medicaminum ope essent effectae. Atqui planum fecisse videmur, ne tum quidem fidem eorum historicam defendi posse, etiamsi magnam fuisse eorum insciti am statuas. Nam ne de medicamentorum *praetermissione* dicamus, effecimus, si Jesus medelas adhibuerit, eos *partim alia remedia referre*, quam quibus Servatorem usum esse *scirent*, et quidem ea, quae ad morbi curationem nihil conferre possent, ut lutum in coeci sanatione; *partim* eos *scientes* et *prudentes* remedia, quae Jesum adhibuisse novissent, *narrando ita extenuare et imminuere*, ut ea sufficere ad tantam rem non possent, quantam iis effectam esse, referunt, ut in satianda illa hominum ingenti multitudine; *partim* denique, eos interdum res Jesu gestas ita narrare, ut, *simulatque medicamina afferas*, *ipsam historiae veritatem penitus evertas*, ut, quam proxime commemoravimus, hominis aegrotantis, ejusdemque absentis, sanationem. Cumque insuper (*num.* 4.) effecerimus, Euangelistas *scivisse*, se *pervertenda rei veritate* (nam sumendum est, remedia a Jesu fuisse adhibita) miracula narrare, non vero miracula narraturos fuisse, si res, ut vere gestae sint, exponerent; nostro jure ita rationem concludimus: *Si Servator naturalibus remediis morbos aliaque incommoda pepulerit, mala fide egerunt Euangelistae, atque scientes ac prudentes lectores suos fallere voluerunt.*

Jam ex iis, quae disputavimus, vide, quid consequatur. Si demonstravimus, Euangelistas, si Servator remediis usus sit, de industria facinora Jesu, naturae viribus effecta, ita retulisse, ut e naturae serie explicari non possint, eo consilio, ut Magistro miracula affingerent, sequitur, *eos probe tenuisse*, *quantum interfit inter effectus naturales et vera miracula; quandoquidem*, *si non tenuissent*, *nulla causa fuisset*, *quare ab historiae veritate discederent.* Quae animadversio, facile intelligitur, quantum valeat ad Eberhardi disputationem frangendam, cum ille in Euangelistarum insciti a omnis causae suae fundamentum ponat (*l*).

II. Reliquum est, ut ad eam partem orationis Eberhardianae perveniamus, quae est *de miraculorum veritate historica.* Quod tamen non ita est intelligendum, quasi Auctor certos quosdam terminos constituerit, ubi desinat de physica, incipiat de historica eorum veritate loqui. Quod saepius a nobis dictum est, utramque rem turpissime Auctor confundit: nos vero, quo legentium judicium adjuvemus, qua possumus perspicuitate, ac prout Eberhardum intelligimus, res diversissimas distinguendas existimamus, atque de singulis peculiariter disputandum. Nihil autem tam vereor, quam ne quid Eberhardo affingatur, quod sit ab ejus mente ac sententia alienum: quod facile fieri posse sentio, cum sit perturbata ejus oratio. Quamobrem etiam atque etiam lectorem rogamus, ut ipse in ma-

manus Eberhardi librum ſumat, ejusque ſententiam cum nostra disputatione comparet. Nam hunc ipſum de *historica* miraculorum *veritate* locum ita tractat, ut rurſus res diverſiſſimas pro iisdem habere videatur. *Pag.* 175. antiquam ſcribendae historiae rationem non esſe ad nostrorum historicorum conſuetudinem exigendam, Auctor animadvertit. Cum enim nostris hominibus ea lex ſcripta ſit, ut ne quid a rerum veritate discedant; veteres, tantum abesſe, ut huic legi paruerint, ut potius nihil antiquius habuerint, quam ut magnorum virorum vitas, qua posſent ratione, exornarent. „ *Itaque, ſi qui populares rumores, quorum fides vulgo aut agnosceretur, aut certe non impugnaretur, huic conſilio inſervire posſe viderentur, grato animo eos hos rumores arripuisſe, atque in historias intulisſe. Ita ſcripſisſe Livium, nec tamen ejus fidem historicam propterea a quoquam in dubium esſe vocatam, neque ſuperſtitionis notam ei esſe inustam.*" De Livio postea videbimus. Hanc vero Auctoris de antiquis historicis ſententiam ſi ad Euangelistas accommodamus, contendere videtur, narrationes in N. F. *e popularibus rumoribus* natas esſe, quos illi adhibuerint ad vitam Jeſu exornandam. *Pagina* autem ſequenti ejusdem orationis tamquam filum ita perſequitur, ut easdem illas narrationes ad *Euangelistarum poëticam fingendi luxuriem* referre videatur (*m*). Nescio hercle, quo me convertam. Et tamen parendum necesſitati est. Quaeque ſententiae conjunctae verae esſe nequeunt, de iis ſingulis est disputandum. Qua quidem re molesta ſuperſedere potuisſemus, ſi Eberhardo explicate docere placuisſet, quae esſet utriusque opinionis conjunctio. Itaque, quamvis nobis perſuaſisſimum ſit, Auctorem ſibi non conſtare, cum, alterâ ſententiâ poſitâ, altera tollatur, tamen, ne *verberare ictibus auras* videamur, de utraque *peculiariter* dicemus, atque primum efficiemus, *miracula non esſe ab Euangelistis poëtarum more conficta:* deinde, *eorum narrationes non ex incertis ac popularibus rumoribus fluxisſe.* De *illa* autem ſententia prius dicemus, quod in ejus tractatione haud pauca occurrent, quae ad *hanc* quoque impugnandam, pertinebunt.

1. Omnium primum igitur illud animadverto, ſi miracula, quae in N. F. referuntur, *vere a Jeſu fuerint edita*, ea non potuisſe alia et ſimpliciori ratione narrari, quam ea narrari videmus. *Simplicem* autem *rationem* cum dicimus, non hoc volumus, miracula referri ſolere vulgari et historica oratione, nullis verborum cincinnis; ſed hoc dicimus, miracula Jeſu ita ſaepius commemorari, ut *ſimpliciſſimo vinculo conjungantur cum iis rebus, in quibus nihil extraordinarii inſit.* Urbes, oppida, vicos peragrare, in populi conventibus doctrinam aliquam tradere, ſunt res vulgares, nec aliquam poëſeos ſignificationem habent. Jam ſi his ſimpliciter ſubnectitur: *et morbis mederi:* quis non videt inauditam interpretandi audaciam, quae *illa*, ut *vere gesta* accipiat, *hoc unum* ad poëſin referat? Vid. *Matth.* IV. 23. IX. 34. XII. 15. *Marc.* I. 39. Non hoc loco id agimus, ut miraculorum veritatem historicam tueamur, ſed quaeritur, an Euangelistae ea *poëticâ ingenii agitatione* finxerint: quam Eberhardi ſententiam veram esſe non posſe, contendimus, niſi

in iis, quos memoravimus, locis *eam arbitrariam interpretandi rationem adhibeamus, quae in nullis aliis libris explicandis adhibeatur.*

2. Eberhardus, cum miraculorum narrationes ab Euangelistarum poëtica fingendi libidine repeteret, ea tantum facinora cogitavisse videtur, quae cum per se *splendida* essent, tum *longiori quadam et accuratiori oratione* a sacris historicis referrentur (*n*). Atqui cogitare quoque debuerat *magis tenues* et *obiter tantum ad perfas miraculorum commemorationes, quae non tantum percellere legentes et admiratione afficere non possunt*, verum etiam ejusmodi sunt, *ut*, nisi aliunde constaret, *ne miracula quidem narrari, existimares.* Veluti in iis, quos attulimus, locis Matthaei, Servator tantum dicitur θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ. Non narratur, quales illi morbi fuerint, qua ratione, qua arte, sanati? Si igitur hoc fuisset Euangelistarum consilium, ut poëtarum more fingendis miraculis admirationem Jesu legentibus injicerent, non profecto ea ita finxissent, ut non tantum nullam admirationem facere possent, verum etiam ne speciem quidem miraculorum haberent.

3. Ut igitur Euangelistas, videmus, ita interdum miracula Jesu commemorare, ut nullus *admirationi* locus relinquatur, sic saepius suis narrationibus ejusmodi περιστάσεις adjungunt, quae cum eo consilio, quod iis affingit Eberhardus, conciliari nullo pacto possunt.

a. Quamquam satis constat, pulverem salivae mistum nihil posse sua natura ad coeci sanationem conferre, tamen ea res ita refertur, ut Servator huic pulveri ejusque ablutioni videri possit vim salubrem tribuisse. In quam opinionem facile illi et spectatores et lectores adduci poterant, qui essent artis medicae imperiti. *Joann.* IX. (*o*).

b. Cum Jairi filiam a Jesu in vitam revocatam esse, narrant, tantum absunt, ut hanc historiam verbis exaggerent, ut eam potius vehementer extenuent. Quis enim non intelligit, illa verba, quibus Servatorem utentem inducunt: οὐκ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει, ita facile explicari posse, ut gravi tantum sopore, aut animi deliquio oppressa fuisse puella statuatur? *Matth.* IX. 24. *Marc.* V. 39. VIII. 52. (*p*). — Ejusmodi igitur miraculorum narrationes quomodo a poëseos studio proficisci potuerint, assequi non possum. Quid? Jesu vitam ornare Euangelistae miraculis volunt; per historicorum ejus temporis consuetudinem libera ingenii agitatione uti licet, atque comminisci, quicquid placeat, modo Magistri persona sublimi quodam et supra humanam conditionem excelso loco ponatur. Ita autem, nulla cogente necessitate, pueriliter fingunt, ut Jesum miraculorum laude spoliare magis, quam exornare, videantur. Bellos vero poëtas!

c. Veritatem miraculorum Jesu historicam hoc nomine impugnat *Woolstonus* (*q*), quod Servator ea tantum *hominibus plebejis* adhibuisse dicatur. Non Lazarus aliquis, inquit, non aliqua puella, non viduae cujusdam filius, sed paterfamilias, sed princeps, sed imperator Romanus, erat in vitam restituendus. Hanc ego *Woolstoni* orationem ut nihil ad mi-

miraculorum fidem, ſic plurimum ad Eberhardi labefactandam ſententiam valere existimo. Cum ſtatuas, miracula numquam a Jeſu edita, ſed omnia eſſe ab historicis ſacris poëtarum more conficta, tum demum intelligi non poſſit, quibus frenis coercitum ſit Euangelistarum ingenium, quo minus *illustriora* Magistro facinora affinxerint, quam eos fecisſe videmus. Quidni enim ita potius rem ſuam egerint, ut Jeſum non in Bethania Lazarum, ſed Romae Augustum, ab inferis excitasſe comminiscerentur? Atqui, inquit, nimis facile fuisſet eos mendacii convincere, in imperatoria quidem perſona! Quid ergo? poëtisne est quicquam curanda veritas in iis rebus, quas nec ipſi inſitientur et omnes ſciant, eſſe fabulas, eo conſilio adhibitas, ut ornamentorum cultu convestiatur oratio?

d. Ut *Woolstoni* verba, ſic etiam illos adverſariorum clamores in rem nostram convertimus, quibus efficere voluerunt, Jeſum non vera miracula edidisſe, quoniam non morem gesſerit Phariſaeis et Sadducaeis, qui ab eo illustre quoddam divinae legationis argumentum peterent. Supra effecimus, propterea Servatorem recuſasſe, quo minus, quod postularetur, faceret, *quoniam jam ſatis miraculorum ab ipſo esſet editum.* Hanc tu recuſandi rationem ſi ita tollas, ut Jeſum numquam effecisſe miracula contendas, verum quicquid de iis in N. F. narretur, id omne ex poëtico Euangelistarum ingenio fluxisſe, in magnam difficultatem conjiciare. Intelligi enim nullo pacto poterit, quare ſacri historici, cum esſet fingendi venia, non coelum commovere Jeſum fecerint, ut molestis flagitatoribus illud σημεῖον ἀπ' οὐρανοῦ exhiberetur. Quid enim grandius, quid magnificentius ad Magistri potentiam praedicandam dici excogitarive poterat, quam nubes, quam ſolem, quam lunam, quam astra ei paruisſe? Quid contra magis a fingendi conſilio abhorrebat, quam ſuspicionem movere legentibus, Jeſum non *potuisſe*, quod peteretur, praestare? Aut igitur omnem hunc congresſum tacuisſent, aut, ſi referre voluisſent, melius et ad ſcribendi genus accommodatius retulisſent.

Jam, quae disputavimus, quorſum ſpectent, quamque vim habeant, facile intelligitur. Effecimus enim, *ſi miracula, quae in N. F. Jeſu tribuuntur, ſint ab Euangelistis poëtice conficta, eos ita a fingendi legibus discesſisſe, quaſi non ſint poëtice conficta, ſed vere a Jeſu edita.* Atque id effecimus *ex ipſa harum narrationum indole*, nulla habita ratione reliquarum N. F. partium, quas ad confirmandam nostram ſententiam adhibere posſumus, et mox adhibebimus. Si quis igitur opinionis Eberhardianae patrocinium ſuscipere velit, is *ex ipſa quoque harum narrationum indole*, pari, ac nos, probabilitate efficiat, *miracula, quae in N. F. Jeſu tribuantur, non esſe vere ab eo edita, quoniam ita narrentur, quaſi non ſint vere a Servatore edita, ſed poëtice conficta* (*r*).

Quamvis autem ea, quae diximus, proprie non eo pertineant, ut miraculorum Jeſu veritatem historicam tueamur, ſed ut efficiamus, Euangelistas haec facinora non poëtice Jeſu affinxisſe, ſed vere ab eo edita esſe, existimasſe, tamen facile perſpicitur, quantum haec res valeat ad eam veritatem confirmandam. Ut enim, ſi *multis*, postquam Jeſus vixit,

ſe-

ſeculis ejus vitam ſcripſiſſent, parum interfuisſet, utrum illa miracula poëtice confinxiſſent, an vero ea pro vere editis habuiſſent, ita ad miraculorum fidem judicandam et confirmandam plurimum refert, quod illi homines ea vere a Servatore edita eſſe existimant, qui eodem, atque ille, tempore vixerint, eo familiariter uſi ſint, atque iis, quas narrant, rebus, *ſe interfuiſſe*, dicant.

Eberhardus, cum miraculorum narrationes ad poëticam comminiscendi vim ac licentiam referret, Euangelistarum historias, tamquam carmen quoddam epicum, tamquam Iliada, cogitaviſſe videtur, de qua etiamſi Deorum immortalium ministeria atque interventus ſuſtuleris, firma tamen maneat et integra Trojani belli fides. Atqui tam arcta est miraculorum cum historiâ ac doctrinâ Jeſu, cumque aliis N. F. partibus conjunctio, ut, qui ea ex Jeſu vitae tamquam ſerie eximat, animi et corporis discidium inducere videatur. Nos quidem has narrationes adhuc *per ſe* ſpectavimus, atque *ſejunctim* a reliquo N. F. argumento. Nunc autem huic cauſae illustrandae eam quoque facem adhibeamus, quam cum Euangelistarum inter ſe collatio, tum univerſa doctrinae vitaeque Jeſu ratio, tum alia quoque momenta nobis porrigunt.

1. Et Euangelistarum quidem quanta ſit univerſe in referendis miraculis conſenſio, ſatis ſuperque conſtat. Hanc autem ipſam conſenſionem miraculi ſpeciem habere, contendo, ſi poëtarum more fictitias tantum fabulas referunt. Quomodo enim factum est, cum tres quatuorve homines ingenio ſuo libere ad fingendum uti poſſent, ut non tantum, cum tota iis natura pateret, *ejusdem generis* miracula comminiscerentur, verum etiam eodem loco, eodem tempore, iisdem hominibus, atque rerum adjunctis? Quae quidem hominum in oratione ornanda conſpiratio intelligi plane nequit, niſi alterum alterius historiam legiſſe, ſtatueris. Atque ne hac quidem ſumtione tollitur difficultas. Ne enim dicam, minime probabile eſſe, tres quatuorve historicos in adhibendis ornamentis poëticis alterum alterius vestigiis ita inſiſtere, ut ab eo transverſum vix unguem discedat; illud quaerimus, unde horum historicorum orta ſit in nonnullis miraculis referendis *diverſitas?* Quod cum quaerimus, non hoc volumus, ex hac diverſitate intelligi, alterum alterius ſcriptionem non legiſſe (*s*), ſed illud: qui factum ſit, ut, cum alter ornamenta ſua poëtica ex alterius fonte hauriret, ita interdum περιστάσεις immutaret, ut ejus oratio cum illius narratione vix conciliari poſſe videatur? Atque vel hoc, quomodo factum ſit, intelligi fortaſſe poſſet, ſi illa immutatio pertineret ad *augendam miraculi magnitudinem.* Tantum vero abest, ut Marcus et Lucas, Matthaeum ſequentes, hujus narrationes exaggerent, ut potius *attenuent*, et miraculi magnitudinem *imminuant.* Matthaeus, *Cap.* VIII. 28. *duos* narrat δαιμονιζόμενους a Jeſu ad mentis ſanitatem eſſe revocatos. Fac in hanc narrationem incidere Marcum et Lucam, qui et ipſi velint, Matthaei exemplo, historias ſuas miraculis poëtice exornare. Eadem, qua Matthaeus, admiratione Jeſu ſunt affecti; patet latiſſimus ad fingendum campus; non est, quod eorum judicium reformident, qui veritatem

in

in narrando postulent, est enim hoc concessum poëtis, ut, quicquid placeat, comminiscantur. Quid faciunt? Non *duos*, sed *unum* tantum a Jesu sanitati restitutum narrant! *Marc.* V. 2. *Luc.* VIII. 27. Hoccine exspectari potest, si miracula tantum sunt foetus ingenii poëtici, eo tantum consilio generati, ut legentibus injiciatur Jesu admiratio? Primum enim, quare discedunt a Matthaei auctoritate? deinde, si discedere volunt, quare non augent potius, quam imminuunt miraculi magnitudinem, *cum praeserțim ceteras hujus narrationis partes ita referant, ut ad poëticam dictionem multo propius eorum, quam Matthaei, oratio accedere videatur?* (*i*) Similiter Matthaeus *Cap.* XX. 29. 30. Jesum, cum Hierochunte discederet, *duobus* coecis salubrem suam facultatem adhibuisse, refert. Marcus, *Cap.* X. 46. Lucas, XVIII. 35. *unum* tantum coecum commemorant; et Lucas quidem eum a Jesu sanatum narrat, cum Hierochuntem *accederet*, non, cum ab ea *discederet*. Potestne diversae narrationis et attenuati miraculi aliqua probabilis causa excogitari, si illi ad Matthaei exemplar splendidis facinoribus, ut solent poëtae, historias suas refercire voluerunt (*k*).

His alia adjungi poterant, sed nihil attinet plura congerere. Ne autem nimis huic argumento confidere videamur, fatendum est, ejus vim ex ea sententia pendere, Matthaeum omnium *primum* historiam Jesu literis mandavisse: quod quidem nobis maxime probabile videtur, quamquam hujus sententiae causas hoc loco exponere non vacat.

2. Jesum supra vidimus *miracula a se effecta laudare, ut legationis suae divinae argumenta*. Hoc qui fieri potuerit, intelligi nequit, si miraculorum narrationes a fingendi tantum libidine profectas esse, statuas. Neque video, quid ad infringendam hanc argumentationem nostram afferri queat, nisi hoc unum, illos quoque locos, quibus Servator tantum miraculis tribuat, poëtarum more ab Evangelistis esse conflctos. Talibus autem machinis si ad tuendam sententiam suam uti liceat, quis non videt omnia titubare, nec quicquam esse firmum? Et Eberhardus quidem, si *omnia*, quae Jesus in N. F. dixisse fertur, ad Evangelistarum confictionem retulisset, constantem rationem tenuisset, si illa quoque, quae commemoravimus, Jesu dicta fictitia esse, existimasset. Nunc autem, nisi vult secum discordare, eo, quod diximus, effugio uti non potest. Cum enim eos, qui miracula a Jesu peterent, *vere* ab eo reprehensos esse, Evangelistarum auctoritate credat, cumque, propter locum *Joann.* VII. 17. Jesum doctrinae suae praestantiam laudavisse, ut veritatis argumentum dicat: quo tandem jure eos locos excipiat, atque confictos esse, contendat, ubi Servatorem, vidimus, magnum in miraculis argumenti pondus ponere? Aut quae ista oritices effraenata protervitas est, quae illud: ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν etc. *Joann.* l. l. vere a Jesu pronunciatum esse, contendat; quod autem huic proximum est, atque eadem orationis perpetuitate legitur: ὅλον ἀνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα, vs. 23. nullam aliam ob causam, nisi quod ita praejudicata opinio postulat, commentitium esse arbitretur. Et nos quidem supra ostendimus, eos locos, in quibus Eberhardus sententiae

ſuae praeſidium collocat, nihil continere, quod aut ad ejus cauſam confirmandam, aut ad nostram debilitandam pertineat. Si autem per eos locos ſtare nostra ſententia atque exitum invenire non poſſet; quidni eodem, quo Eberhardus, jure eorum auctoritatem convelleremus, atque ea dicta ab Euangelistis eſſe Servatori affieta, opinaremur? Et non tantum pari, atque Eberhardus, verum etiam majori jure ita facere poſſemus, ſi cum Auctore κατ' ἄνθρωπον, ut dicitur, contendere vellemus. Cum enim, ut ſupra vidimus, Jeſum ejusque Apostolos in *una doctrinae praeſtantia* veritatis argumentum poſuiſſe, putet, miracula vero a Patribus demum Eccleſiasticis eo fuiſſe loco habita, ut argumentorum vim acciperent; facile judicari potest, *ſi quid Apostoli magistro ſuo affinxerint, eos non affinxiſſe id, quod et ab illius, et ab ipſorum ſententia, eſſet alienum, i. e. eos locos, ubi Servator miracula ſua laudet, ut auctoritatis ſuae testimonia; ſed illud potius, quod et illius et ipſorum ſententiae eſſet conſentaneum, i. e. locum Joann.* VII. 17. (*x*).

3. Si miraculorum narrationes ad poëticam tantum fingendi libidinem referuntur, non ſolum ii loci conficti ſint, neceſſe est, quibus Servator argumentorum vim miraculis tribuit; verum etiam ſunt *aliae* Servatoris *orationes* tam arcto vinculo cum illis narrationibus conjunctae, ut illarum quoque orationum ruinam miraculorum ſublatio afferat. Quis enim, ut hoc utar, non videt, graviſſimam illam Servatoris ſententiam *de religione Chriſtiana non ad Judaeos tantum, verum etiam ad Ethnicos pertinente*, *Matth.* VIII. 11, 12. ita aptam eſſe atque nexam ex miraculi, quod ibi refertur, hiſtoria, ut, hac ſublata, illam quoque tolli neceſſe ſit (*y*)? Quam porro orationem ad objurgandam Judaeorum impietatem, atque ad confirmandam dignitatem ſuam habuiſſe Servator dicitur, *Matth.* XII. 24-37. ea cum ſanatione δαιμονιζόμενου ita copulata est, vs. 22. coll. *Marc.* III. 22. ſqq. *Luc.* XI. 14. ſqq. ut, ſi illam ſanationem Euangelistae confinxerint, hanc quoque orationem Magistro ſuo affinxiſſe, ſtatuendi ſint. Denique, quid enim plura commemorare attinet? longa illa Jeſu oratio *Joann.* VI. 26. ſqq. quae graviſſima doctrinae Chriſtianae placita complectitur, adeo pendet e miraculo, quod ibidem vs. 5. ſqq. narratur, ut ne intelligi quidem poſſit, unde Servator hoc improprium dicendi genus acceperit, ſi illam miraculi narrationem tantum poëticam eſſe existimes, ipſam vero orationem vere a Jeſu habitam (*z*). — Haec autem ſatis ſunt ad intelligendum, Eberhardi ſententiam non miraculis tantum, verum etiam aliis, iisque graviſſimis, Novi Foederis partibus, interitum afferre, quippe quarum tam arcta ſit cum illis miraculis conjunctio, ut nec diſtrahi nec divelli poſſint. Si autem Eberhardus adeo est opinionis ſuae tenax, ut has quoque orationes Servatori eripere, quam ei miracula tribuere, malit; nos quidem, quamquam facile repelli poterat (*a*), nolumus tamen cum eo diſputare: neque enim fert inſtituti noſtri ratio, ut hunc locum pertractemus; et poſſunt ad hanc quaeſtionem accommodari, quae ſupra *num.* 2. diximus; et vero neminem eſſe arbitror, quin videat illius cauſae desperationem, quae tueri ſe ac ſuſtentare non poſſit, niſi pro lubitu et arbitraria ratione Novi Foederis argumentum uratur.

4. Ne-

4. Neque orationes tantum, quibus religionis gravissima placita continentur, verum etiam *partes historicae* haud paucae ita ex miraculis pendent, ut, si haec ficticia sint, illarum quoque fidem frangi necesse sit. Est autem supra jam a nobis animadversum, si miracula e vita Jesu tollantur, ipsius Jesu personam veluti tolli ex historia: doctrinam enim et conditionem Jesu adeo abhorruisse a persona Messiae, quam Judaei mente informavissent, ut intelligi nequeat, quomodo per longum satis tempus tantam sibi hominum multitudinem Servator adjunctam tenere potuerit, nisi *factis extraordinariis* auctoritatem suam ad hominum animos commendaverit. Ut autem intelligatur, quam arcte historiae veritas ex miraculis apta sit, nolumus eos locos commemorare, ubi homines *mirati fuisse* dicuntur miracula Jesu, neque eos locos, ubi homines *commoti fuisse illis miraculis* narrantur, *ut Christum pro legato divino haberent* (*b*); sed unius tantum exemplum miraculi afferemus, unde fati Servatoris, tamquam filo perpetuo, permagna pars pependit. Quotus enim quisque est, qui historiam *Lazari in vitam revocati*, *Joann.* XI. paulo attentius legerit, quin eam viderit ita cum reliqua Jesu vita esse copulatam, ut, ea sublata, gravissimarum rerum tollatur consecutio? „Est enim ea reliqua Jesu historia ita implicata, ita „conjuncta, ut proximorum eventuum, *Joann.* XI. 47-57. XII. 9-19. causae frustra „quaerantur, nisi adsint in facto singulari, quod proxime antecesserit, cui ergo Joannes, „vere pragmaticus, sequentia apte copulavit. Unde efficitur, ut, si verae habeantur narrationes de Jesu solenni in urbem ingressu, et morte hoc ipso ingressu maturata; pro „vera etiam habenda sit nostra Lazari redivivi historia." (*c*)

5. Quales denique, quamque mirificos illos poëtas fuisse, necesse est, qui pro orationis quibusdam ornamentis in Phalaridos se taurum conjici passi sint! Ecquid tandem ad Eberhardi opinionem convellendam efficacius esse potest, quam quod Apostoli vinculis cruciatibusque perferendis, atque ipsa morte subeunda, narrationum suarum proprietatem tuli sunt? Neque hic tantum cogitandus est Christi in vitam reditus, sed universa ejus vita miraculis referta. Cum enim Judaeorum in Apostolos odium et invidia ex eo redundaret, quod Jesum dicerent esse Messiam, haec autem eorum sententia non tantum Jesu resurrectione, sed ceteris quoque ejus miraculis niteretur, *Matth.* XIV. 33. *Act.* II. 22. ut ipse Servator jusserat, *Joann.* V. 36. X. 25, 38. XIV. 11. XV. 24. sequitur, quicquid perpessi propter religionem Apostoli fuerint, id omne esse ex eo profectum, quod Jesum vere edidisse miracula crediderint, quibus suam Messiae dignitatem confirmasset. His igitur se calamitatibus objecturos fuisse Apostolos, quisquam credat, si de poëticis tantum ornamentis esset quaestio? Neque video, quid dici contra possit, nisi forte haec ipsa Apostolorum durissima fata rursus commenta poëtica esse statuuntur! (*d*)

6. Quae attulimus, satis esse ad eam causam, quam agimus, videntur. Est autem tanta orationis Eberhardianae ambiguitas, ut fortasse cum umbra inani fuerimus digladiati, utque sententiam aliquam oppugnaverimus, quam vir doctissimus numquam probaverit;

quamquam quoties ea legimus, quae *pag.* 176. sqq. ab Auctore scripta sunt, toties nobis ejus mentem assecuti esse videmur. Facit autem haec orationis obscuritas, ut, quo plura nobis ad eam refutandam in mentem veniant, eo magis disputationis nostrae tamquam habenas adducendas putemus. Veremur enim, ne commenticiam aliquam sententiam Eberhardo affingere videamur, quo facilior sit atque expeditior ad triumphum via. Quamobrem, quaecunque diximus, ea cum hac exceptione dicta sunto: *si Eberhardum recte intellexerimus.* Nunc veniamus ad alteram Auctoris sententiam, *miraculorum narrationes ex incertis populi rumoribus fluxisse* (e).

Et ego quidem, quoties de hac Eberhardi sententia cogito, toties aliquem audire videor, qui mihi in aures insusurret, Caesaris de Bello Gallico commentarios non ad rei veritatem, sed ad famae levitatem, esse conscriptos; quippe ipsum Caesarem huic bello non interfuisse, nec certo scire potuisse, quid sit gestum in Gallia. Neque diffiteor me subirasci solere, non quod Eberhardus bellum indicat miraculis, sed quod philosophus ejusmodi orationem adhibeat, quae sua levitate dissiliat atque diffletur. Quamobrem in universo Auctoris libro nullus est locus, qui vehementius me offendat, et in quo tractando difficiliori animo versor. Cum enim Eberhardus nullum omnino argumentum attulerit, quo opinionem suam stabiliret; cum in ipsis miraculorum narrationibus ne levissimum quidem indicium insit, eas ex rumorum esse levitate natas; cum universa earum ratio ejusmodi sit, ut cum Eberhardi opinione componi nequeat; cum ipsi historici iterum iterumque moneant, se non ex rumoribus sapere, sed ipsos fuisse horum facinorum testes; cum denique eorum et doctrina et vitae fata intelligi plane nequeant, nisi interfuisse miraculis, quae narrant, statuantur; haec igitur cum ita sint, quis nos miretur dolere, gravioribus negotiis distractos, in refutanda commenti Eberhardiani vanitate bonas esse horas perdendas? Itaque neminem esse aegre laturum, arbitramur, si hanc causam, quoad ejus fieri poterit, brevissime confecerimus, atque nonnulla tantum momenta animadverterimus, quae a quovis facile augeri amplificarique possint.

1. Igitur omnium primum illud mirum videri debet, qui factum sit, ut, cum fama crescere soleat eundo, illa in referendis Jesu miraculis adeo sobria fuerit, atque mediocritate contenta, ut neque *plura*, neque *illustriora* facinora referret, alia autem ita *tenuiter* narraret, ut miraculorum vix species aliqua relinqueretur; cujus rei exempla supra vidimus.

2. Si miraculorum in N. F. narrationes non famae levitate, sed historiae fide, nituntur, facile intelligi potest, quare omnia Jesu miracula *tantum in tres postremos vitae ejus annos* concludantur, *aetas* vero *antecedens* nullis fuerit miraculis insignis. Cum enim haec facinora ad doctrinae commendationem edenda essent, nullus eorum poterat esse usus, antequam Servator hanc doctrinam publice popularibus traderet (f). Sin vero ex rumoribus sunt illae narrationes profectae, quo tandem prodigio factum est, ut *quatuor* historici, qui toti ex rumoribus penderent, in eam rem conspirarent, ut eorum nemo vel

unum facinus aliquod mirabile adolescentis Jesu memo- *nullo prorsus argumento*
biliter dici potest, famam *triginta* totos annos silentio pra- lam, quae ne in du-
lium Infantiae, miraculis refertum, satis docet, quanta esset in iracula Jesu memo-
miniscendi miracula opportunitas (*g*). ularium ineptos

3. Hujus autem animadversionis vis magis etiam intelligetur, si, i eo facin-
comparaveris cum eo, quod facere neglexerit: sive potius, si cogitaveris, n duo
rumorum Euangelistae nonnerint. In Jesu adolescentia jactare se poterat ens
eique affingere, quicquid placeret, nullis testibus, nullis arbitris. Non faciunt,
praetermittunt. Illos vero rumores sequuntur, quos esset cuivis in promtu redarguere.
Horum miraculorum *testes* fuisse narrant *illos ipsos homines*, qui, cum scriberent, adhuc
viverent, non in gurgustio quodam, sed palam; non paucos, sed permultos; non amicos
tantum, verum etiam inimicos! Hanc ergo et famae et Euangelistarum audaciam incredibilem esse, contendo, atque plane impudentem. Ecqua tandem fuit causa, cur vitam Jesu domesticam nullis miraculis insigniverint? Verebantur, credo, ut narrationibus suis fidem facere possent, nullis testibus citatis! Atqui quid opus erat testibus, cum, ut ait Eberhardus, tantam hoc tempore homines sapientes haberent venerationem, ut miraculorum facultas iis a popularibus tribueretur, tamquam aliqua dos, quae ab eorum persona abesse non posset? Itaque ad popularium persuasionem satis fuisset narrare Jesu adolescentis miracula, etiamsi nullam testimoniorum auctoritatem adhibuissent. Quid vero faciunt homines callidi? Quos simplici affirmatione ad fidem persuasionemque permovere possint, iisdem risum movent, cum, nulla cogente necessitate, hos ipsos illorum miraculorum spectatores fuisse narrent, qui sibi conscii sint numquam se miraculis interfuisse!

4. Quandoquidem, ut supra vidimus, *doctrinae* et *historiae* Jesu cum ejus miraculis tam arcta sit conjunctio, ut haec ab illis divelli nequeant, sequitur, si Euangelistae fando tantum miracula Jesu acceperint, doctrinae quoque et historiae partem haud exiguam in famae inconstantia levitateque esse positam. Quid igitur firmum, quid stabile manebit? Quae poterit esse fides, quae integritas, quae auctoritas illius doctrinae, quae per plebis ora ad historicos pervolaverit, atque ab his calamo excepta, nullo adhibito judicio, nulla veritatis habita ratione, literis sit mandata? Vereor ut huic naufragio Eberhardus eripiat suum *Joann.* VII. 17. ceterosque illos locos, quibus Servatorem de miraculis per contemtum loqui, existimet.

5. Non post longum demum annorum decursum, sed *paucis* post Jesu obitum *diebus*, Apostoli, inter quos etiam Matthaeus et Joannes, Jesum appellant *virum multis miraculis insignem*, ejusque rei *testem* laudant eandem illam hominum multitudinem, apud quam hanc orationem habent, *Act.* II. 22. Quomodo igitur fieri potuit, ut ex rumusculis popularibus suas miraculorum narrationes petiverint? Non enim, nisi longo annorum spatio, tanta incrementa fama capere potuit. Sed fortasse haec ipsa Petri oratio ex populari rumore fluxit!

6. Quomodo factum est, ut haec miraculorum fama ita pertrebuerit, ut non tantum *Hierocles*, *Porphyrius*, *Celsus*, verum etiam *aequales* Christi et Apostolorum hos rumores numquam redarguerent, quamvis infestissimo essent in religionem Christianam animo? (*h*)

7. Possent ea, quae attulimus, satis magno eruditionis apparatu ornari, si esset operae pretium. Veremur autem, Viri eruditissimi, ne taedium Vobis afferat nostra disputatio: nobis certe per est ingrata. Cumque Eberhardus tantam rem tanta levitate tractet, ut vix umbram alicujus argumenti afferat, quo sententiam suam muniat, haud scio, an a Vestro consilio alienum sit, omnes nervos intendere ad futile aliquod commentum refellendum. Itaque finem imponamus molestae velitationi.

Eberhardus.	*Euangelistae et Apostoli.*
Sie zogen ihre Berichte nicht aus beglaubten Urkunden, die sie mit der Schärfe der historischen Kritik geprüft, und aus denen sie nur das gewählt, was sie nach langer und sorgfältiger Abwägung der Gründe und Gegengründe bewährt befunden hatten. Sie kannten vieles von den täglichen Leben Jesu aus den allgemeinen und unbestimmten Sagen, die über einen so vielgenannten und so hochverehrten Lehrer durch das ganze Land im Umlaufe waren. Diese Sagen erhielten ihren Stoff, ihre Farbe und Gestalt von den hohen Bildern, die ihnen die gerechteste Bewunderung und Verehrung des gottlichen Weisen eingab. — Alle die allgemein anerkannten, wenigstens nicht öffentlich von den Patrioten widersprochenen Volkssagen, waren die alten Historiographen ehrwürdig und willkommen.	*Luc.* I. 2, 3. Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου· ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι. *Joann.* I. 14. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. *Act.* IV. 20. *coll.* II. 32. οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς, ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν, μὴ λαλεῖν. 1 *Joann.* I. 1, 3. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν (*). 2 *Petr.* I. 16-18. Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν καὶ παρουσίαν, ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Λαβὼν γὰρ παρὰ θεοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν, φωνῆς ἐνεχθείσης αὐτῷ τοιᾶσδε ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης· Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα· καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν, ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν, σὺν αὐτῷ ὄντες ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ. Conf. *Matth.* XVII. 1. sqq. (*i*).

Po-

Potestne Eberhardiana oratione aliquid esse levius, quae *nullo prorsus argumento* nixa, totius N. Foederis refragante auctoritate, tamquam rem quandam, quae ne in dubium quidem vocari debeat, inaudita temeritate sumat, Euangelistas miracula Jesu memoriae prodidisse, non ut testes ac spectatores, sed ut rumusculorum popularium ineptos aucupes?

8. Habuit Servator per tres postremos vitae suae annos duodecim amicos, qui eo familiariter usi sunt. Hoc si infitiatur Eberhardus, pax! nolumus amplius luctari. Horum duo fuerunt Euangeliorum Auctores. Miracula, quae Jesus edidisse dicitur, in hoc ipsum triennium incidisse narrantur, quo et ceteri et duo illi Euangelistae ejus rebus negotiisque interfuerint. Ipsi illi Euangelistae narrant, se testibus, illa esse miracula a Jesu edita. Minime gentium, inquit Eberhardus, ex incertorum rumoquum fonte hauserunt! Ergo Euangelistae illi *famâ acceperunt*, se interfuisse Jesu miraculis; et *famae auctoritate* se interfuisse, narrant. Potestne quicquam dici insipientius? Pergamus. Narrant illi Euangelistae, se cum Jesu de miraculis ejus, quorum ipsi testes essent, fuisse *locutos*, *Matth.* XV. 23. XVI. 6. sqq. alibi, se eorum *spectaculo* commotos exclamavisse ἀληθῶς υἱὸς θεοῦ ἦν οὗτος, *Matth.* XIV. 33. postquam Jesus in vitam rediisset, se eum *oculis* usurpasse, *Matth.* XXVIII. 17. atque sermonis cum eo contulisse, *Joann.* XX. 19. sqq. miraculorum denique efficiendorum facultate non Jesum solum fuisse instructum, verum etiam se ipsos illam a Magistro suo accepisse, *Matth.* X. 1. Inusitata hercle est ista famae auctoritas, quae hominibus persuadere possit, ut bona fide narrent, se ista *locutos fuisse*, *vidisse*, *possidere*, *fecisse*, quae, sibi conscii sint, *se numquam fuisse locutos*, *numquam vidisse*, *non possidere*, *numquam fecisse* (K).

Superest, ut breviter dicamus de *Livio*, *Eunapio*, *Diogene Laërtio*, ceterisque, quorum exemplo Eberhardus docere voluit, eo tempore, quo Euangelistae commentarios suos scriberent, hunc fuisse ab historicis morem receptum, ut scriptionem suam prodigiorum narratione exornarent, quorum fidem non severo judicio ponderassent, sed famâ tantum accepissent. Et illud quidem satis constat, *Hunium* aliosque fidem miraculorum Jesu ita labefactare studuisse, ut iis opponerent miracula *Vespasiani*, *Apollonii Tyanensis*, *Loyolae*, *Xaverii*, aliorum. Illi autem non tam quid sibi de his miraculis videatur, aperte dicunt, quam potius efficere voluerunt, eorum fidem historicam non minori esse auctoritate munitam, quam miracula Christi et Apostolorum; adeoque si haec vere acciderint, illa quoque vere accidisse, necesse esse (*l*). Eberhardi alia est ratio. Cum enim *concedat*, illarum *Livii* ceterorumque narrationum nullam esse fidem, quippe quae ex rumoribus tantum profectae sint, hoc sibi vicissim dari postulat, ut Euangelistarum narrationes ex eodem fonte fluxisse fateamur. Bellum vero et philosopho dignam orationem! Quidni pari jure ita dicatur: *Quandoquidem Schroeckhius Historiam Ecclesiasticam eo tempore scripsit, quo La fontanius scripsit fabulas fictas, efficitur, fictitium esse libri Schroeckhiani argumentum?*

Cum

Cum Euangelistae, ut vidimus, *testium* sibi auctoritatem vindicent, ea, quae narrat *Livius*, prodigia *multis ante eum seculis* accidisse dicuntur (*n*); similiter *Diogenes Laërtius*, *Hyrcipiodorus* autem mille fere post illud miraculum, quod Platoni massagetis florentes (*n*): neque *Emaeus* non-satis-longo post Sophistas, [illegible] at, tempore scripsit. Si igitur isti homines, sive rumorum levitate [illegible] ndi studio abrepti, res commenticias referunt, quid est, quod hos eodem [illegible] ernáreus habeat, atque illos historicos, qui neque ex fama pependerint, neque [illegible] voluerint, verum iis rebus, quas narrant, ipsi interfuerint? [illegible] propius ad illos, quos Auctor laudat, historicos accedamus, quo [illegible] ridiculam ab, eo tentasse susceptam. Ita tandem optime fert [illegible] [illegible] cepto, cum de ceteris dicamus. [illegible] [illegible] ult verb [illegible] fine. [illegible], etiamsi tollantur miracula, hac ra- [illegible], ut historicos [illegible] tam rerum mirabilium, quas narra- [illegible] tatem ei [illegible], quam potius quanta [illegible] uporis iis gratos acceptosque fuisse, [illegible] admirationem ac [illegible] motum injicere? *ita Livius quo fuit [illegible] prodigiorum narrationibus usus, non apud aliquam credulum, [illegible] talia mendacia esse habitura* [illegible] eleme scribi potest ab eo, qui *Livii* scripta vel primoribus labris gustaverit! Atqui, bone! propterea *Livius* neque [illegible] neque haberi potest credulus, superstitiosus, mendax, *quoniam ipse testatur, se illa contemnere, pro nihilo putare, neque vitae interpretanda ad antiquorum hominum* [illegible] *tem ac superstitionem* (*p*). Quid attulisse locos satis erit, quibus constet, quo loco *Livius* habuerit prodigia. Alter est *Lib. XXIV. Cap. X.* „*Prodigia eo anno multa nunciata sunt*, QUAE QUO MAGIS CREDEBANT SIMPLICES AC RELIGIOSI HOMINES, EO ETIAM PLURA NUNCUPABANTUR. — *Affirmantes quidam, legiones se armatas in Janiculo videre; concitaverunt civitatem ad arma: qui cum in Janiculum invisent, negarunt quemquam ibi, praeter usitatos collis ejus cultores, apparuisse.* Alter locus est in eodem Libro, *Cap. XLIV.* „*Consules — prodigia procurarunt, quae nunciata erant. Murus ac portae tactae et Ariciae etiam Jovis aedes de coelo tacta fuerat.* ET ALIA LUDIBRIA OCULORUM AURIUMQUE CREDITA NIHIL VERIS. *Navium longarum species in flumine Tarracinae, quae nullae erant, visae, — et flumen Amiterni cruentum fluxisse.* Jam quis non intelligit, quam inepta sit Eberhardi oratio, cum *Livio* comparantis Euangelistas? Hi enim cum gravi asseverationis affirment: ἡμεῖς μάρτυρες ἐσμεν, ἡμεῖς εἴδομεν, ἀκηκόαμεν, ἑωράκαμεν, facile intelligitur, eorum fidem historicam necessario concidere, si ea commenticia sunt, quorum se testes ac spectatores fuisse, perhibeant. *Livii* vero integra est et intemerata fides, etiamsi eorum, quae refert, prodigiorum nihil umquam acciderit. Non enim, ut testis, ea *accidisse*, narrat, sed, ut historicus, *nunciata fuisse* et a Consulibus *procurata*, refert. Igitur ex hujus nunciationis ac

pro-

procurationis, non vero ex ipsorum prodigiorum, veritate pendet ejus fides historica. Quod vel ex eo intelligi potest, quod ipse historicus, cum nunciata procuratasque fuisse prodigia narret, de ipsis tamen prodigiis, tamquam de fabellis antiquae superstitionis, per contemtum loquitur. Tum demum justa erit, et philosophi judicio digna comparatio, cum Eberhardus effecerit, *ipsos Apostolos diserte fuisse testatos, miracula Jesu pro ludibriis oculorum et aurium* esse habenda, *neque curandum esse superstitiosae vetustatis judicium, quae aliquot ante se seculis iis ludibriis se decipi passa sit, eaque pro veris habuerit* (*q*).

Quae de *Livio* diximus, conveniunt quoque in *Eunapium*. Cum enim ipse *ex rumoribus* se tantum sapere (*r*), nec usquam alicujus miraculi *testem spectatoremque* fuisse fateatur; quid tandem hinc effici ad fidem Euangelistarum labefactandam potest, aut quo jure, cum ille se nusquam miraculis, quae narrat, interfuisse dicat, ita concluditur ratio, ut Euangelistae quoque famâ tantum accepisse Jesu miracula dicendi sint, quamvis et contendant, se eorum spectatores fuisse, nec universa eorum scriptio intelligi possit, nisi eos interfuisse Jesu miraculis statuas? Utque *Livium* vidimus non dicere, *quid ipse credat*, sed ut historicum referre, *quid antiquitus creditum fuerit*, ita quoque *Eunapius* narrat tantum, quid famâ acceperit, ipse autem, quamquam in laudandis Sophistis valde profusus, satis ostendit, se admodum parum tribuere istis rumoribus. Qua de re unum attulisse locum e *Vita Jamblichi*, *pag.* 27. sufficiat. Cum enim nonnulla *Jamblichi* miracula, quae ferebantur, enarrasset, ita pergit: Ἐλέγετο δὲ καὶ παραδοξότερα καὶ τερατωδέστερα. ἐγὼ δὲ τούτων ἀνέγραφον οὐδὲν σφαλερόν τι καὶ θεομισὲς πρᾶγμα ἡγούμενος, εἰς συγγραφὴν στάσιμον καὶ πεπηγυῖαν ἐπεισάγειν ἀκοὴν διεφθαρμένην καὶ ῥέουσαν· ἀλλὰ καὶ ταῦτά γράφω δεδοικὼς ἀκοὴν ὄυσαν. — οὐδεὶς δὲ αὐτοῦ τῶν ἑταίρων ἀνέγραψεν, ὅσαγε ἡμᾶς ἐιδέναι.' Cum *Eunapio* igitur, qui nihil certi, nihil explorati se habere fatetur; qui, quae narrat, Sophistarum miracula ipse ridet atque contemnit; qui eorum narrationem historici gravitate indignam esse censet; cum hoc igitur scriptore acutissimus Eberhardus illos homines confert, qui, quas narrant, rebus se interfuisse testantur, hujusque testimonii fidem tanta gravitate animique constantiâ tuiti sunt, ut dirissimos corporis cruciatus, paupertatem, exilia, mortem, haud sint veriti subire! Eo autem, quem commemoravimus, loco intelligi simul potest, quam perverse *Eunapii* exemplo Eberhardus docere voluerit, eam fuisse historicorum ejus temporis levitatem, ut, quicquid rumoribus accepissent, quod ad magni alicujus viri laudem pertinere videretur, id continuo pro vero haberent, atque in historias suas referrent. *Impiam* enim *rem* esse, ipse *Eunapius* dicit, atque *ab historici partes alienam*, istam rumorum captationem, quam Eberhardus et *Eunapii* et ceterorum ejus temporis historicorum propriam fuisse, contendit (*s*).

De *Olympiodoro* denique et *Diogene Laërtio*, Vitae Platonis Auctoribus, quae scribit Eberhardus, aliquam difficultatem habent. Auctor eorum narrationes de Platone nascente

cum Matthaei et Lucae narrationibus de Christi natalibus eo loco confert, ubi contendit, miracula N. F. ab Euangelistis *poëtarum more* esse conficta; eo tamen *Olympiodorus* ac *Diogenes* nascentis Platonis historiam scripserunt, non ut *poëtae*, sed ut historici, qui, quod *famâ accepissent*, id literis mandarent. Igitur pertinebat illa comparatio ad alterum illum miraculorum fontem, quem Eberhardus commentus est. Id autem cuicuimodi sit, paucis de omni hac re videamus.

Eberhardus igitur cum narrationum de Platonis et Christi natalibus insignem similitudinem animadvertisse sibi videretur, in ea re valde se jactat, et tamquam caussae suae firmissimum praesidium nactus, hanc similitudinem avide arripit, in eaque declaranda diutius, quam pro universa sua disputatione, versatur. Eo autem orationis genere utitur, ut eum appareat valde sibi placere, quasi omnium primus tantam rem ad hominum cognitionem expromat. Atqui *Origenes* jam praeiverat, quamvis diverso consilio (*t*). Hoc utrum Eberhardus ignoraverit, an dissimulaverit, nescio; illud vero neque ignorare Vir doctus, neque dissimulare Vir probus debebat, jam dudum esse demonstratum, quam perperam *Diogeni Laërtio*, *Olympiodoro*, *Apulejo* et *Hesychio Milesio* eadem tribuantur, quae Euangelistis, auctoritas (*u*). Audiamus vero hos historicos, quos Auctor *narrare*, dicit, Platonem esse Apolline natum. Atqui non narrant illi, *quid factum sit*, sed, *quae sit de Platonis natalibus fama*. Itaque in hos convenit, quod supra est dictum de *Livio*. Ad eorum fidem historicam censendam non quaeritur, sitne Plato stirpe divina ortus, sed an talis de eo fama fuerit, qualem illi pervulgatam fuisse, perhibent? Et de *Olympiodoro* quidem ita scribit Eberhardus, quasi ille, tamquam rem, de qua ipsi persuasum esset, *narraret*, Platonis ortum humano fuisse ortu superiorem (*v*). Ecce autem *Olympiodori* locus: ΦΑΣΊΝ ὅτι, ὅτι φάσμα Ἀπολλωνικὸν συνεγένετο τῇ μητρὶ αὐτοῦ, τῇ Περικτιόνῃ, καὶ ἐν νυκτὶ φανὲν τῷ Ἀρίστωνι, ἐκέλευσεν αὐτῷ μὴ μιγνύναι τῇ Περικτιόνῃ μέχρι τοῦ χρόνου τῆς ἀποτέξεως. Ὁ δὲ οὕτω πεποίηκεν (*w*). *Diogenis* vero *Laërtii* cum afferendus sit locus, facimus id quidem cum nostro quodam dolore, verentes ne quid detrimenti capiat probitatis candorisque fama, quam Senex Eberhardus jure meritoque est consecutus. Itaque optimum Virum non dicimus *malo dolo agere*, verum potius, quod humanum est, memoriae vitio, *in aliquo errore versari*, cum *Diogenem* dicat non tantum cum *Olympiodoro* convenire, verum etiam *testem* laudare *Speusippum*, Platonis consobrinum (*x*). Habe rursus *Diogenis* locum: Σπεύσιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δείπνου, καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ Πλάτωνος ἐγκωμίῳ, καὶ Ἀναξιλίδης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ Φιλοσόφων, φασὶν, ΩΔ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΗΝ ΛΟΓΟΣ, ὡραῖον ὄντων τὴν Περικτιόνην βιάζεσθαι τὸν Ἀρίστωνα, καὶ μὴ τυγχάνειν. πευόμενόν τε τῆς βίας ἰδεῖν τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ὄφιν· ὃν καθαρὰν γάμου φυλάξαι, ἕως τῆς ἀποτοκάδος (*y*). Jam ne rursus dicamus, perverse haec loca ab Eberhardo laudari, quo intelligatur, historicos ejus temporis solitos fuisse miraculis e rumoribus arreptis scriptionem suam refercire, cum illi non quid factum sit, sed, ut optimi nostri quoque temporis, historici, tantummodo quae fama fue-

fuerit, referunt; quis non videt, quantopere Auctor labatur, cum *Speusippi* auctoritatem laudet ad testificandum coelestem Platonis ortum? *Erat fama Athenis*, inquit *Speusippus*: Atqui est hodiedum *fama* Neapoli, quotannis sanguine sudare simulacrum *Januarii*. Quis autem tam demens, qui historicum, hos plebejos rumusculos referentem, testem citet cruenti sudoris? Quid? quod Auctor mihi videtur laudando *Speusippo* suam ipse causam mirifice labefactare. Ut enim in illa *Platonis Speusippique* cognatione haud mediocre opinionis Eberhardianae fundamentum positum fuisset, si hic divinum Platonis ortum *diserte fuisset testificatus*; ita, cum ipse Platonis consobrinus se tantum *rumorem aliquem* referre fateatur, jure efficimus, eum nec scivisse, nec credidisse quicquam eorum, quae de avunculo nascente vulgo ferebantur.

Cum de miraculis *universe* sit nobis suscepta disputatio, neminem fore arbitramur, qui a nobis postulet, ut de *uno* quodam miraculo, quod affert Eberhardus, multa peculiariter dicamus, quod jam factum ab aliis est satis superque (*z*). Cum autem, ut diximus, in Christi Platonisque natalibus comparandis valde se jactet Auctoris oratio, atque in ea re diutius versetur, quam pro universae scriptionis ratione, haud alienum esse existimamus, de omni hac comparatione pauca disserere, quo omnis scrupulus legentium animo eximatur. Quamquam quae potuit post ea, quae jam diximus, judicii dubitatio relinqui? — Primum igitur, cum de *universis miraculis* quaeratur, videamus, quid valeat illa Eberhardi oratio ad universorum N. T. miraculorum fidem auctoritatemque infringendam. Deinde ostendamus, non tantum *testium* ratione, ut vidimus, verum *omni* prorsus *nomine*, Euangelistarum de Christi natalibus narrationi majorem esse fidem habendam, quam *Olympiodori* ceterorumque de nascente Platone.

Quid est, quod Eberhardus, cum universis Christi miraculis bellum indixisset, unum praecipue sibi selegerit, in quod, tamquam in antesignanum, impetum faceret? Neque enim armorum penuria premebatur, cum omnis Graecorum Mythologia ei pro armamentario esse posset. Unus *Tzetzis* ad *Lycophronis Cassandram* Commentarius, incredibile dictu est, quantum contineat bellici apparatus; ut nullum fere in omni Sacra Scriptura insignius miraculum referatur, cui non simile quoddam opponi posset, a *Tzetze* relatum. Quamvis autem concedamus, eam fuisse multarum gentium opinionem, viros, ingenio, doctrina, virtute, sapientia, praestantes, nasci *e virginibus* solere (*a*), ecquid tandem hinc efficiatur ad fidem historicam N. F. infringendam? Nisi forte accidere id non potest, quod, omnium gentium opinione, accidere consentaneum sit! Etiamsi vero illud demus, miraculorum, quibus Jesu natales insignes fuerint, non esse majorem fidem, quam quibus Plato esse natus dicatur, quid tandem hoc ad reliqua Jesu miracula? Neque enim, si illa natalium miracula vera non sunt, cetera quoque continuo concidunt. Ne enim de doctissimorum virorum sententia dicamus, qui prima Matthaei Capita germana esse negant, quamquam falso, ut nobis quidem videtur (*b*); quis non videt, eorum mi-

raculorum fidem esse *triplici* nomine minorem, quam ceterorum, quae Servator edidisse dicitur? Neque enim quisquam Euangelistarum *testis* adfuit (*c*), neque *eo consilio* acciderunt, ut aliqua doctrina gravissima iis confirmaretur (*d*), neque in N. F. libris ea usquam laudantur, ut *auctoritatis Christi divinae argumenta*. Quae momenta cum reliquis miraculis adsint, facile cernitur utrorumque discrimen. Si quid igitur Eberhardus proficere voluisset, non natalicia illa miracula impugnasset, quae, ceterorum integra fide, tolli de historia possint, verum ea fuisset adortus, quae summa testium auctoritate, atque gravissimo consilio commendantur; atque ex vita Platonis sive alius cujusvis ea miracula attulisset, quae paris auctoritatis ejusdemque consilii commendationem habeant. Neque vero, etiamsi a Jesu natalibus miracula sejungeremus, verendum nobis esset, ne quis diceret in discrimen a nobis adduci universam Euangelistarum fidem historicam. Fac enim omnem illam historiam aut poëtarum more ab Euangelistis esse confictam, aut falsis rumoribus ad eos delatam; equidem, cum illi *testium* sibi auctoritatem *non* arrogent, prorsus me non videre fateor, quo pacto propterea labefactari eorum testimonium de iis miraculis queat, quibus *se interfuisse* etiam atque etiam contendant. Eberhardi certe vocem minime pertimesceremus. Cum enim ille, demtis miraculis, Euangelistarum tamen fidem ita defendi posse putet, ut ea aut poëtice finxisse, aut famâ tantum accepisse dicantur, quo tandem jure nos reprehenderet, quasi illam fidem debilitaremus, si natalium Christi miracula, quae Matthaeus et Lucas referunt, aut e fingendi studio, aut ex rumoribus fluxisse, contenderemus. Atqui tum demum eorum fides labaret, ac nihili esset putanda, si ea quoque miracula, quorum se *testes* ac *spectatores* fuisse dicunt, ex eorum, quos diximus, fontium alterutro manavisse, certa ratione effici posset.

2. Itaque reliquas miraculorum narrationes, vidimus, nihil detrimenti capere, etiamsi ea, in quibus exsultat Eberhardus, non sint tantae auctoritatis. Nunc autem, cum de *testium* discrimine jam dictum sit, *ceteras* etiam diversitates persequamur, quo intelligatur, *nullo nomine* illa Platonica portenta cum Christi natalibus esse conferenda. Non credo ex virgine natum Platonem, neque Christum crederem, nisi *Christus* esset. Hoc utriusque personae discrimen animadvertere Eberhardus debebat. Sive enim utriusque *doctrinam*, sive *conditionem*, sive denique *universam vitam* cogitaveris, facile intelligetur, eorum inter se non justam ab Eberhardo esse factam comparationem. Et de *doctrina* quidem et *conditione* supra jam diximus. Cum enim omnem Platonis philosophiam *una* peperisset *ratio humana*, eaque se facile ad discipulorum animos commendaret, Christus multa tradebat *una docentis auctoritate credenda*, atque ejusmodi, quae a civium suorum opinionibus longissime discreparent. Itaque miraculorum, Jesu nascente, poterat esse saluberrimum quoddam consilium, nisi ad confirmandam doctrinam, certe ad *movendam* civium *attentionem*, et ad *viam* ei *muniendam*, qui aliquando, ut divinae auctoritatis legatus, praejudicatas popularium opiniones esset fracturus; atque ea traditurus, quae rationi humanae in-

incognita esſent atque prorſus impervia. Hoc in Platonem non conveniebat. Quamquam enim ſupra monuimus, temerariam esſe eorum orationem, qui doctrinam rationalem, nec *poſitivam*, non indigere miraculis, adeoque, quicquid miraculorum ad ejus doctrinae confirmationem narretur, id omne, etiam cauſâ incognitâ, esſe contemnendum, existiment; hoc tamen contendebamus cum hac exceptione: *ſi illi, quibus haec doctrina tradatur, adeo ſint inculti ingenii, atque tam parum ratione uti posſint, ut absque miraculorum commendatione eam doctrinam non probaturi videantur.* Talibus autem hominibus ſcholam ſuam Plato non aperuit; niſi forte *Ariſtoteles*, *Speuſippus*, *Xenocrates*, *Polemo* ſtipites fuerunt.

Atqui erunt fortaſſe, qui dicant, hanc nostram orationem pertinere ad ea tantum facinora illustria defendenda, quae, Jeſu nascente, *in ſenſus caderent*, his enim ſolis hominum potuiſſe *attentionem moveri*, nec tamen necesſario ſequi, ea quoque vera esſe, quae *a ſenſibus esſent remota*, i. e. Jeſum, nulla viri ope, divina esſe generatione ortum; aut huic narrationi majorem esſe, quam quae de Platone feratur, habendam fidem. His ego breviter respondeo, animadvertendum esſe, quantopere *univerſa* Christi *vita* a Platonis differat. Per omnem vitam nullum Plato miraculum edidit, atque fuit homo, excellenti quidem ingenio, ſed homo tamen, qui nullo extraordinario facto ostendit, ſibi arctiorem quandam, quam ceteris hominibus, necesſitudinem intercedere cum naturae Moderatore Deo. Itaque miraculorum, quae ejus natales illustrasſe dicuntur, et ceterarum ejus rerum geſtarum nulla est, ut ita dicam, analogia, nulla proportio. Christi autem erat omnis vita miraculis referta, quae eum declararent ſingulari quadam ratione cum Deo esſe conjunctum. Quod igitur Christus non vulgari modo natus ſit, hoc quidem tantum abest, ut in eo, quippe θαυματουργῷ, quicquam extraordinarium aut magnopere mirandum habeat, ut potius ea re omnium ejus vitae partium aptisſima conjunctio efficiatur. Ut igitur non probabile est, Platonem extraordinaria ratione esſe natum, ita non probabile est, ordinaria ratione natum esſe Christum. Quae mihi animadverſio tantam evidentiae commendationem habere videtur, ut vel cujusque judicium, tamquam testem, citare auſim (*e*).

Hoc igitur loco disputandi finis ſiat. Quid effecerim, Vos, Viri eruditisſimi, existimate. Etiamſi autem minus Vobis probabitur nostra ſcriptio, nos tamen recti conſilii ſustentabit conſcientia. Eo enim omne conſilium nostrum ſpectabat, ut Religioni Christianae ſuus conſtaret honos. Ita autem hanc rem egimus, ut in errore esſe Eberhardi opinionem efficeremus. Quantus vero, quamque latus disputationi nostrae campus patuisſet, ſi nostram Auctorisque ſententiam virtutis ſtimulis, vitae beatae adminiculis, conſolationisque ubertate ac praeſtantiâ dijudicare voluiſſemus. Quo nomine multo pejor est Eberhardi ratio, quam eorum omnium, qui, quamvis religionem Christianam divinitatis

honore ſpolient, tamen praeſtantiſſimam religionem naturalem relinquunt. Horum igitur etſi non est probanda ſententia, tamen illi ſatis multa relinquunt, quae et virtutis ſtudium augeant, et beatam vitam adjuvent, et in rebus afflictis ſolatia praebeant ac paſtum animorum. Quorum vestigiis ſi Eberhardus inſtitiſſet, tacuiſſemus profecto, nec quicquam dixiſſemus contra: non quo probetur nobis haec ratio, ſed quoniam hoc tempore istae voces tam crebro audiuntur, ut ſtomacho fere callum obduxerit conſuetudo. Eberhardus autem cum altius etiam evolare vellet, non religionem naturalem, id est, naturae judicio et auctoritate nixam, ſed Platonicam philoſophiam attulit, atque ne hanc quidem puram vereque Platonicam, ſed male intellectam, ſed corruptam, ſed depravatam, ſed plane commenticiam. Tantum vero abest, ut ex istis fabellis quicquam poſſit ad animi fructum extundi, ut ipſum Eberhardum, fato impendente, de Ideis Platonicis ne cogitaſſe quidem certiſſime confidam. Si vero cogitaverit, vellem beati Viri manes excitare poſſem, quo ſciſcitarer, quantum ista valuerit cogitatio ad mortis metum pellendum.

Quid enim illud dicam, omnem illam de Ideis doctrinam, praeſertim perverſam eam, quam expoſuit Eberhardus, esſe *rem nugatoriam* atque prorſus *commenticiam?* Et illi quidem, qui religionem Christianam, non niſi *naturalem* esſe, existimant, hoc certe nomine laudandi ſunt, quod aliquid relinquunt, quod *verum*, quod *ſtabile* ſit, atque *ipſius voce naturae confirmatum.* Itaque, etiamſi vera esſet eorum ſententia, probanda tamen esſet religio Christiana, propter eandem cauſam, ob quam naturalem religionem probamus. Si autem, ut opinatur Eberhardus, religio Christiana nihil est, niſi Platonica philoſophia, et quidem corrupta illa, commentisque Cabbalisticis mixta, ad quam ipſe Plato riſum tenere non potuiſſet, vide quam multis fabulis obruare, ſi Christianus esſe velis. Neminem esſe arbitror, quin istam doctrinam, ut commenticiam, contemnat. Omnium autem minime is erat *Apologiae Socratis* Auctor, qui istis nugis Platonico-Judaicis quicquam tribueret. Itaque conturbari me fateor, cum Eberhardum in *Praefat. Tom.* I. audio dicentem, tum demum ſe arbitrari optime religioni Christianae ſe conſulturum, ſi eam effecerit ductam esſe ac propagatam ex conjunctis Orientalium atque Graecorum ſtudiis. Optimum virum eo jam pervenisſe ſperamus, ubi, meliora edoctus, de hujus religionis origine, nativa indole, atque ſingulari praeſtantiâ, verius poſſit atque incorruptius judicare.

Symb. Ἰησοῦς δεδύνηται σεῖσαι τὴν πᾶσαν ἀνθρώπων οἰκουμένην, οὐ μόνον ὑπὲρ Θεμιστοκλέα τὸν Ἀθηναῖον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα.

ORIGENES.

AN-

ANNOTATIO AD PROLEGOMENA.

(*a*). *Der Geist des Urchristenthums. Ein Handbuch der Geschichte der philosophischen Cultur fur gebildete Leser aus allen Ständen in Abendgesprachen, herausgegeben von Johann August Eberhard. Drei Theile. Halle*, 1807, 1808. Pag. 2.

(*b*). *Praefat. Tom.* I. *p.* 1. ibid p. 22. *Praefat. Tom.* III. ibid *p.* 83. sqq. et passim.

(*c*). *Tom.* I. *p.* 35. sqq.

(*d*). *Tom.* I. *p.* 77. sqq.

(*e*). Sic vertenda videtur vox *Gefühl. Tom.* I. *p.* 63.

(*f*). Itaque continet haec Pars, praeter poëtarum fabulas, Scholam Ionicam, Italicam, Eleaticam.

(*g*). Complectitur hic Tomus doctrinam Socraticam, Platonicam, Academicam, Elicam, Megaricam, Cyrenaicam, Epicuream, Cynicam, Stoicam, Peripateticam, Scepticam.

(*h*). *Sinn.* Vid. *Tom.* I. *p.* 63.

(*i*). *Tom.* III. *p.* 1-70. Hoc loco Auctor etiam de doctrina Judaeorum, cum ante, tum post exilium Babylonicum agit, quos *Tom.* I. ubi de Orientalibus sermo fuerat, silentio praetermiserat. Neque etiam Gnosticos et Ophitas neglexit. Pag. 3.

(*k*). *Tom.* III. *p.* 102-181.

(*l*). *Tom.* III. 196-386.

(***). Propterea quoque graviter est reprehensus a Censore in *Neue Leipz. L. Z.* 1807. *Nov. p.* 2199.

(*m*). Huc v. c. pertinet, quod Auctor *Tom.* III. *Praefat. p.* VII. dicit, Paulum *procul dubio* Graeca eruditione fuisse imbutum. Quasi ea de re non adhuc sub judice lis sit. Vidd. qui hanc sententiam aut oppugnarunt, aut tuiti sunt, *G. H. Thalemanni Diss. de eruditione Pauli Judaica non Graeca*, Lips. 1769. *Ernesti Opusc. Philol. Crit. p.* 201. *Michaëlis Introd. in N. T.* §. 23. *pag.* m. 289, 301. belg. *Mori Atroas. super Hermeneut. N. T. Tom.* I. *p.* 212. Conf. etiam *Heinrichs.* ad 1 *Tim.* I. 11. *Tit.* I. 12. et in *Additam.* ad *h. l. p.* 266. *Broes* ad *Matth.* XI. 8. *Hug Einleit* II. *p.* 215. Huc quo-

que

que referendum, quod Auctor *Tom.* I. *p.* 35. ſqq. *Leſſingii* (*Theol. Nachl. p.* 191. ſqq.) *Gibbonis* (*Hist. ruinae Imp. Rom. Tom.* I. *Cap.* XV.) aliorumque vestigia premens, religionis propagationem ad cauſas naturales revocat: quae quidem cauſae, etſi grato animo a liberalioris ingenii Theologis animadvertendae ſunt, (vid. *Seiler*, *Gemeinnutz. Betr.* 1793. *p.* 232.) minime tamen ad tantam rem ſuffecisſe videntur. Vid. *Wagenaerii Hist. Euangel. Lib.* V. *Sartorii Diſſ. qua ex admiranda rel. Chr. propagatione probatur ejus veritas. Lesz*, *Ueber die Relig. Tom.* I. *p.* 710. ſqq. *Anthorp*, *Letires on the prevalement of Christianity befor its civil establishement.* Lond. 1778. *Stoschii Diſp. de argum. divinae originis rel. Chr.* 1767. *W. Paley*, *Argum. rel. Chr.* belg. *Tom.* II. *p.* 170. ne de aliis dicam. Denique (nam de omnibus dicere non lubet) ad temerarias Auctoris ſententias retulerim, quae *Tom.* III. *p.* 196. ſqq. de corruptelis religionis per Neoplatonicos disputat. Vid. *Fr. Baltus*, *Defenſe des S. S. Peres accuſez de Platonisme*, Par. 1711. *C. G. Keilii Commentatt. de doctoribus veteris eccles. culpa corruptae per Platonicas ſententias theologiae liberandis.* Alios vide laudatos a *C. D. Beckio*, in opere praeſtantisſimo, *Commentarii Historici decretorum rel. Chr. p.* 132. ſqq.

Pag. 4. (*n*). *Tom.* III. *p.* 26. ſq. 32, 68. ſq.

(*o*). *Tom.* III. *p.* 84, 94.

Pag. 5. (*p*). *Tom.* III. *p.* 102. ſqq.

(*q*). *Tom.* III. *p.* 124. ſqq.

(*r*). Vid. *Wetst.* ad *Joann.* IV. 24.

(*s*). Sic multi, ut hoc utar, Stoicos ex Christianorum rivis hortulos ſuos irrigasſe, putarunt. Quae ſententia refutata est in *Biblioth. Crit. Wyttenb. Vol.* I. *Part.* II. *p.* 114. ſqq. Ipſe Cicero quam ſaepe hac parte peccaverit, docet *Gedikius*, *Hist. Philos. Cicer. p.* 6, 7.

Pag. 6. (*t*). *Tom.* III. *p.* 26, 68. ſq.

(*u*). Conf. *A. W. Schlegel*, *Geſchied. der Tooneelkunst en Tooneelpoëzy. Tom.* I. *p.* 96. ſqq.

(*y*). *Tom.* III. *p.* 83. ſqq.

(*w*). *Tom.* III. *p.* 83. ſqq.

Pag. 7. (*x*). Vid. Cenſura libri Eberhardiani in *Allg. Hall. Literaturz.* Decemb. 1808. *p.* 988.

(*y*). *Tom.* III. *p.* 60.

(*z*). De origine, ratione, uſu, et historia allegoricae interpretationis, vidd. *C. Vitringa*, *de Synag. Vet. Lib.* III. *Cap.* V. *p.* 674. *Moshemius*, *de Reb. Christ. ante Conſtant. M. p.* 630. *Schoettgen.* et *Wetst.* ad *Gal.* IV. 24. *Eichhornii*

Bi-

Biblioth. der bibl. Literat. Vol. V. *Part.* II. *p.* 222. ſqq. Ejusd. *Einleit. in die Apocr. Schr. des A. T. p.* 22, 138. Programma *C. G. Schützii*, Jenae 1794. *J. G. Roſenmulleri Hist. Interpr. S. S. Part.* I. *p.* 13. ſqq. *C. D. Beckii Monogramm. Hermeneut. N. F. Part.* I. *p.* 4. ſq. et quos laudat. De *Aristobuli* praeſertim allegoriis vid. *Valckenaerii Diatr. de Aristob. p.* 69. ſqq. de *Philonis*, *Carpzov.* in *Philonianis*, *Lib.* II. *Cap.* I.

(*a*). Vid. *Schoettgen.* in *Praefat.* ad *Hor. Heb.* §. VII. ſqq.

ANNOTATIO AD CAP. I.

(*a*). Vide *Surenhuſii* Praefationes ad *Mischnam. Eichhornii Allgem. Bibl.* IV. *p.* 315 ſq. Ceterum nota ſunt ſcripta *Ligtfooti*, *Meuſchenii*, *Schoettgenii*, *Carpzovii*, *Wetstenii*, aliorum. Pag. 8.

(*b*). Vide ſcriptores, laudatos *Wolfio Biblioth. Hebr. Part.* II. *p.* 1237. ſqq. et *Bruckero Hist. Crit. Phil.* II. *pag.* 1053. 1061. Speciminis loco conf. *Excerpta ex Epistola quadam Compilatoris de utilitate Verſionis Libri Cabbalistici Sohar, in Cabbala Denudata ed. a Knorrio ab Roſenroth, Tom.* I. *Part.* II. *p.* 3. *Syncatabaſis Hebraizans, ſive brevis applicatio doctrinae Hebraeorum Cabbal. ad dogmata N. F. pro formanda hypotheſi, ad converſionem Judaeorum proficua, ibid. Tom.* II. *Part.* II. *pag.* 3. *ſqq. Joann. Meyerus, de mysterio S. S. trinitatis ex ſolius V. T. libris demonſtrato, atque ex veterum ac recentiorum Rabbinorum, praeſertim Cabbalistarum, rarisſimis monumentis illustrato, Harderov.* 1712. *Camp. Vitringa, Diſs. de decem Sephiroth Cabbal. in Obſs. S. Tom.* I. *p.* 118. *ſqq. Schoettgen. Jeſus der wahre Meſſias aus der alten Judiſchen Theologie erläutert.*

(*c*). *Origenes contr. Celſum, Lib.* I. *p.* 323. *ed. La Rue.* ἰδῶμεν καὶ ὡς τὸν ἠθικὸν τόπον (ὁ Κελσὸς) ὀίεται διαβαλεῖν, τῷ κοινὸν εἶναι καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους φιλοσόφους, ὡς οὐ σεμνόν τι καὶ καινὸν μάθημα. *Lib.* V. *p.* 629. λέξεσί τισι, τοῖς πιστεύουσι τῷ Χριστιανῶν λόγῳ συνεχῶς ὀνομαζομέναις, ἀντιπαρατίθησι ἀπὸ τῶν φιλοσόφων· βουλόμενος τὰ καλὰ τῶν νομιζομένων Κέλσῳ παρὰ Χριστιανοῖς λέγεσθαι, καὶ βέλτιον καὶ τρανότερον εἰρῆσθαι παρὰ τοῖς φιλοσοφοῦσιν. Vid. et *Tertullianus*, *Apolog. Cap.* XLVI. *Iſidor. Pelus. Lib.* I. ep. 54.

(*d*). Scriptores, quos Notâ *b.* laudavimus, eo conſilio ad doctrinam Christi Pag. 9.

et Apostolorum scripta Judaica adhibuerunt, ut divinam ejus originem hoc argumento confirmarent. *Celsus* aliique (vid. Not. c.) Graecos citarunt, ad eandem doctrinam contemnendam: Eberhardus quodammodo in medio positus est. Cum enim religionem Christianam ex humanâ sapientia fluxisse contenderet, ipsam quoque religionem humanae originis esse, statuere debebat. Idem vero hanc rem non in contemtum, ut Celsus, sed in laudem religionis convertit, cum eam continere dicat tamquam florem antiquae philosophiae.

(*e*). Vid. *E. H. Stahl*, in *Eichhornii Allgem. Bibl. Tom.* IV. *p.* 780. sq. et ipse *Eberhardus*. III. *p.* 32.

(*f*). *Philostrat. de Vita Apoll. Tyan. p.* 216. ἐκεῖνοι (Ἰουδαῖοι) μὲν γὰρ πάλαι ἀφεστᾶσιν οὐ μόνον Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ πάντων ἀνθρώπων. οἱ γὰρ βίον ἄμικτον διώκοντες, καὶ ὃς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνθρώπους τράπεζα, μήτε σπονδαί, μήτε εὐχαί, μήτε θύσιαι, πλέον ἀφεστᾶσιν ἡμῶν, ἢ Σοῦσα καὶ Βάκτρα, καὶ ὃ ὑπὲρ ταῦτα Ἰνδοί. Ubi conf. *Olearius*. Vid. *Wetst. et Koppe* ad 1 *Thessal.* II. 15. *Ernestii Disputat. De Odio Judaeorum in Gent.* *Litt. Hesz, Ueber die Lehre, Thaten und Schicksale unsers Herrn* p. 102, 103.

Pag. 10. (*g*). *Tom.* III. *Praefat. p.* VII. „ *Ob Jesus eine Griechische Erziehung gehabt habe, das weisz ich nicht, den wir wissen wenig von seiner Jugenderziehung; ich glaube es auch nicht. Das weisz ich aber, dasz ein jeder Mensch durch sein Zeitalter erzogen wird, und das Jesus, wenn seine Lehre eine Vereinigung des Griechischen Sinnes mit dem Morgenländischen Gefühle ist, sie aus dem Geiste seiner Zeit muste geschöpft haben, und dasz also das Urchristenthum, wo nicht* UNMITTELBAR, *doch mittelbar* MITTELBAR *aus der Griechischen Cultur so wohl, als der Morgenländischen geflossen sey.*"

Pag. 11. (*h*). De his Judaeorum sectis earumque doctrina praeter Scriptores *Antiquitatum*, et *Historiae Eccles.* vidd. *Drusii*, *Serarii*, *Scaligeri* Disputationes in *Triglandi Syntagmate trium Scriptorum de tribus Judaeorum Sectis*, et reliqui, quos laudat *Bruckerus*, *Hist. Phil. Tom.* II. *p.* 712. *Hesz, uber die Lehre* cet. *p.* 159. sqq. De Pharisaeis vidd. *Bruckerus*, l. c. *p.* 750. sqq. *Stäudlinus* in *Commentatt. Theoll. Veltius.* II. *p.* 382, *Ammon*, *Opusc. Theol.*, *p.* 88. *Van Vloten in N. T. Tom.* I. *p.* 73. sq. et quos laudat *Borger*, ad *Gal.* I. 14. *pag.* 102. De Sadducaeis, *Brucker. l. c.* 721. et quos laudavit. *Wolfius*, *Bibl. Hebr. Tom.* II. *p.* 817. *Stäudl.* l. c. *p.* 383. *Ammon*, l. c. *p.* 91. *Flatt*, *Magaz.* VII. *p.* 31. sqq. Ab Essenorum autem doctrina religionis Christianae originem minime repetendam esse, ut *Riemius*, *Stäudlinus*, aliique voluerunt, docuit *Bengel.* in *Flatts Magaz.* VII. *p.* 126. sqq. et nuper Cl. *E. Tinga*, *Orat. de J. C.* Θεοδιδάκτῳ, *minime Essenо.*

(*i*). Huc pertinent inprimis libri *Sohar*, *Bahir*, *Jezirah*, alii.

(*k*).

(k). C. *Vitringa*, *Obsf. S. Tom.* I. *p.* 118. ſqq. *P. Alixius*, *Judicium eccl. Jud. contr. Unitarios. Cap.* II. Pauca de hac re, ſed egregia, ſcripſit *Suskind in Magaz.* X. *p.* 54. ſqq.

(l). *Brucker. Hist. Phil.* II. 950.

(m). Vid. Cap. II. nostrae disputationis.

(n). Conf. *Wagenſeil. ad Sotae fol.* 69. laud. *Bruckero l. c. p.* 705. Vid. et *Origen. contr. Cels. L.* II. *Cap.* 34.

(o). *Antiqq. Lib.* XX. *Cap.* XI. *p.* 982. *Havere.* Ceterum digna est, quae Pag. 12.
de toto hoc argumento conferatur, Disputatio *H. S. Reimari*, *De Aſſeſſoribus Synedrii M.* LXX *linguarum peritis*, *pag.* 4. ſqq. Hamb. 1751. Adde *Brucker. l. c. p.* 704 ſq. *Doederl. Inſtit. Theol. Tom.* II. *p.* 211. *Deylingii Obsf. Tom.* I. *p.* 351. et *E. L. Vriemoetii*, *Oratio*, *De Gentilium et Christianorum quorumdam conviciis in Judaeas*, *pag.* 19. ſqq. adjuncta ejus *Obsf. Miscellaneis.*

(p). *Tom.* III. *p.* 46. ſqq. Quae Eberhardus h. l. de Cabbala ſcripſit, non vacant obſcuritate. Duo tantum genera Cabbalae distinxit, cum debuisset omnino tripartita esse ejus divisio. Quae res magnam peperit confusionem, et Viro doctissimo fraudi fuisse videtur. Recte quidem Cabbalam in *practicam* et *theoreticam* distribuit, neglexit vero theoreticae rursus duas partes constituere, *exegeticam* et *philosophicam*. Quanta hinc seges errorum enasci debuerit, facile est ad intelligendum. Quamvis enim Palaestinensium exegetica, i. e. allegorica interpretandi ratio ab Aegyptiorum non uno nomine differret, illud tamen satis constat, tempore J. C. allegoricam artem in Palaestina non minus usitatam fuisse, quam in Aegypto, vid. *Rosenmull. Hist. interpr. Tom.* I. *p.* 14 ſqq. *Lotzii* V. C. *Introd. in N. T. Tom.* I. *p.* 619. et, quos supra laudavimus. Alia autem fuit ratio *partis philosophae*, i. e. ejus, quae *ipsam doctrinam* complectebatur. Negamus enim iterum iterumque, ullo pacto probari posse, Alexandrinorum *doctrinam* jam tempore J. C. a Palaestinensibus fuisse receptam, contendimusque, sive ipsam rei naturam consideremus, sive N. F. libros consulamus, hanc opinionem omni probabilitate carere. Has igitur diversissimas Cabbalae theoreticae partes cum Eberhardus confundat, atque de *Hermeneutica* tantum loquatur, quisque intelligit, ab eo omitti eam partem, in qua cardo rei maxime vertitur, i. e. *philosophiam*. Quae autem de hac parte disserit, ea non pertinent ad aetatem J. C. sed ad tempora posteriora.

(q). Vide scriptores nota *i.* laudatos. *Karaeos* quoque, res notissima est, ipsis Sacrae Scripturae verbis tenaciter adhaesisse, nec quicquam allegoriae admisisse, vid. *Schupartus de Secta Karaeorum.*

(*r*). *Josephus de B. J. Lib.* I. *cap.* 5. §. 2. II. *cap.* 8. §. 14. *De Vita sua pag.* 18. conf. *Origen. in Matth. Opp. T.* III. *p.* 806.

(*s*). *Joseph Antiqq.* XIII. 10. §. 5. Φαρισαῖοι τοσαύτην ἔχουσι τὴν ἰσχὺν παρὰ τῷ πλήθει, ὡς καὶ κατὰ βασιλέως τι λέγοντες, καὶ κατὰ ἀρχιερέως, εὐθὺς πιστεύεται. Plura vid. apud *Wetst.* ad *Matth.* III. 7.

(*t*). *Joann.* IX. 13. XI. 47. *Act.* V. 34. XXIII. 6. ex quo loco apparet, etiam Sadducaeos in hoc collegium fuisse coöptatos, quod fortasse propterea factum, quod huic sectae honoratiores in populo viri essent addicti, qui tamen in magistratu gerendo Pharisaeorum sententiae et auctoritati obtemperabant, *Joseph. Antiqq.* XVIII. *Cap.* I. §. 4. *Reimarus*, *De Assessor. Synod. M. p.* 15. sq.

(*u*). *J. Seldenus*, *de Synedr. p.* 781. sqq.

(*v*). Vid. *Reimarus l. c. p.* 4. sqq. Hinc etiam γραμματεῖς commemorantur in Synedrio, i. e. ii, qui cum aliis rebus, tum interpretandae S. Scripturae operam dabant, (vid *Schleusn.* in *v.*) *Marc.* XV. 1. Cum his autem γραμματεῦσι conjunguntur Pharisaei, et eo quidem loco, ubi de perversa S. Scripturae interpretatione sermo est, *Matth.* V. 20. coll. vs. 18. Gamaliel quoque, assessor Synedrii Pharisaeus, dicitur νομοδιδάσκαλος, *Act.* V. 34.

(*w*). *Reimarus l. c. p.* 14. sqq.

(*x*). Vid. inprimis *Gal.* IV. 24. coll. *Act.* XXIII. 6. Loco ad Gal. Eberhardus magnam praesertim vim tribuit ad efficiendum, religionem Christianam ex Cabbala ortam esse. Ast primum: quid unus alterve locus ad universam doctrinam? Deinde, non negamus hunc locum Cabbalisticum, i. e. allegoricum esse: illud vero negamus, *doctrinam* hoc loco expositam ex ea Cabbala fluxisse, quae composita fuerit ex philosophia Graeca et Judaica. Quod si tenemus, labefactata est omnis Eberhardi argumentatio. Vid. Nota *p.* Ceterum, verbum ἐρευνᾶτε, *Joann.* V. 39. si non vertendum *inquirite*, sed, ut nobis quidem probabile videtur, *inquiritis*, ipse Servator h. l. Pharisaeis tribuit *singulare studium* S. Scripturae. Tenendum enim verbum ἐρευνᾶν par esse Hebraico דָּרַשׁ, quod vocabulum peculiari ratione de artificiosa interpretandi methodo usurpabatur, estque hinc ducta vox, *Midraschitae*, vid. *Vitringa*, *de Synag. Vet. p.* 670. sqq. *Carpzov.* ad *Goodwin. Moses et Aäron. p.* 136. *Steph. le Moine* ad *Var. Sacr. p.* 345. *Deylingii Obss. Sacr. Tom.* I. *p.* 250. Non quidem in orationis serie commemorantur Pharisaei, sed universe Ἰουδαῖοι, vs. 10, 16. Cum vero hi Sabbatum a Jesu violatum existimarent, vs. 16. satis apparet hos Ἰουδαίους fuisse Pharisaeos, vid. *Matth.* XII. 2.

Pag. 13. (*y*). Supra jam diximus, ipsum Eberhardum ab hac opinione, alienissimum es-

eefe. Si quis igitur cognoscere velit, quanta ſit religionis Christianae cum doctrina Phariſaeorum conflictio, eum, praeter ceteros ſupra laudatos, ad unum delegamus *Bruckerum*, *Hist. Phil.* II. 750 ſqq. Qui ſi forte ad manum non est, ſufficiat *Schleusnerus in Lexic.* v. Φχρισαιῶς.

(*z*). Conf. *Matth.* VI. 5. IX. 11. ſqq. *Luc.* XVIII. 12. *Matth.* XXIII. 5, 14. XII. 38. ſqq. cet. Vid. Cl. *Heringa in Opp. Soc. Hag.* 1790. *pag.* 101. ſqq.

(*a*). Disputatio κατ' ἄνθρωπον, vid. *Heringa l. c. p.* 125.

(*b*). Memorabilis praeſertim locus est, *Matth.* XII. 27. ἐι ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ὀι υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; Servatorem hic κατ' ἄνθρωπον de Exorcistarum incantationibus loqui, dubio caret. Erat enim pervulgata opinio, vi *nominis* Dei, et Daemonum exturbationem et alia multa miracula effici posſe, vid. *Iſidor. Pelus. Lib.* I. *ep.* 413. coll. *ep.* 19. *Grotius et Wetst. ad Matth.* l. c. collat. *H. G. Tzſchirner*, *Geſchichte der Apolog. Tom.* I. *p.* 148. ſqq. Cumque Cabbala *practica* (vid. not. *p.*) eandem quoque vim nomini tetragrammato (יהוה) tribueret, (vid. *Eiſenmenger*, *Jud. Detect. Part.* I. 350. II. 440.) hoc loco Servator Cabbalam *practicam*, quae tamen cum Alexandrina Philoſophia nihil commune habebat, ſignificare videtur. Si igitur non abhorruerit a Servatoris ſapientia nugas Phariſaeorum Cabbalisticas in rem ſuam convertere, quanto magis puram eorum disciplinam contra ipſos adhibuiſſet, ſiquidem ea tunc temporis extitiſſet? Quid? quod hoc loco ipſi Phariſaei ſatis aperte ostendunt, Jeſum ex ipſorum disciplinâ minime profectum eſſe. Cum enim ipſorum υἱοὶ, i. e. discipuli (vid. *Druſius*, *Grotius* et *Kuinoel*, ad l. c.) vi nominis Dei Daemones expellerent, Jeſum autem dicerent ἐυκ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια, ἐι μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ, vs. 24. manifesto indicabant, Jeſum ipſorum discipulum non eſſe. Ipſe quoque Servator ſe *opponit* eorum discipulis, vs. 27.

(*c*). Vid. *Suskind. in Flattii Magaz.* X. *p.* 57. ſq. Cum *Knorrius* ſub initium editae *Cabb. Denud.* duos liberos morte amiſiſſet, Judaei hanc calamitatem domesticam ejus impietati tribuerunt, quippe qui ipſorum arcana ad populi notitiam expromſiſſet, vid. ejus *Praefat. ad Tom.* II. *Cabbal. Den. Wolfii Bibl. Hebr. Vol.* II. *p.* 1229. Similiter *Philo* Alexandrinam ſapientiam ſuam a vulgi cognitione arcere jubebat initiatos, *De Cherub. p.* 116. ταῦτα ὦ μῦσται κεκαθαρμένοι τὰ ὦτα, ὡς ἱερὰ ὄντως μυστήρια ψυχαῖς ταῖς ἑαυτῶν παραδέχεσθε, καὶ μηδενὶ τῶν ἀμυήτων ἐκλαλήσητε. *De Abrah. p.* 370. ἡ μὲν οὖν ἐν Φχνερῷ καὶ πρὸς τοὺς πόλλους ἀπόδοσις ἥδ' ἐστίν· ἡδ' ἐν ἀποκρύφῳ καὶ πρὸς ὀλίγους, ὅσοι τρόπους ψυχῶν ἐρευνῶσιν, ἀλλ' οὐ σωμάτων μορφὰς, ἀυτίκα λεχθήσεται. Per univerſam Graeciam et Orientem ſatis conſtat, ejusmodi mysteria et arcana inter doctos culta fuiſſe, vid. praeter Scriptores Hist. Phil. *Meiners*, *De mysteriis*, et *Corrodi Beytr.*

(*v*). *Act.* VIII. 3. IX. 1., 21. XXII. 4. XXVI. 9. 1 *Cor.* XV. 9. *Gal.* I. 13, 23. 1 *Tim.* I. 13.

(*w*). *Act.* IX. Non attinet ad rem praesentem de eorum sententia uberius exponere, qui, contemto usu loquendi, ac simplicitate interpretandi, omne hoc factum ad naturales causas revocare studeant, vid. *Eichhorn. Allgem. Bibl. Tom.* VI. *p.* 1. sqq. *Ammon. Opuscc. Theol. p.* 1. sqq. Notus est liber *Lyttletoni, de Conversione Pauli*, belg. Traject. 1767. Add. *Lesz, ueber die Relig. Tom.* II. *p.* 731. *Haselaar, Diss. de locis nonnullis Act. Ap.* cet.

Pag. 17. (*x*). Vid. *Semleri Prolegg. in Ep. ad Gal. p.* 121. sqq. *Doederl. Opuscc. Theol. p.* 197. *Beck. Commentarii Decret. p.* 55. *G. C. Knappii Scripta varii argum. pag.* 444. sqq. 455. 479. *Tzschirner, Gesch. der Apol.* I. 73. 298. sqq.

(*y*). *Koppii Excurs* IV. *in ep. ad Gal. Tittmanni Opusc. p.* 322. sqq. *Storrii Opuscc. Acad.* I. *p.* 188. sqq., *van Voorst, Specim.* de ἀναστάσει Θεοῦ. ne alios commemoremus.

(*z*). Vid. *Kusteri Histor. Crit. Hom. p.* 58. sqq. *Heynius in Excurss. ad Hom.* passim. *Tiedemann.* in *Opp. Soc. Teyl.* II. *Tom.* XII. *p.* 125. sqq. Quis ignorat *Allegorias Homer. Heraclid.?*

(*a*). Conf. *Platonis Phaed. p.* 400 ed. *Fisch. Kuster. l. c. p.* 12. sqq. *Wood, Original-genie des Hom. p.* 97. sq. adde *Cic. Tuscul. Quaest. Lib.* V. *Cap.* 39.

(*). *Stahl in Eichhorni Allgem. Biblioth. Tom.* IV. *p.* 793.

(†). Quanti hoc tempore facta sit lex Mosaica vel ex eo perspicuum est, quod non tantum *Josephus* (Vid. ejus Lib. *contr. Apionem*), verum etiam ipsi Alexandrini (ut Auctor Sap. Sal. et Philo) in ea opinione versati sunt, Graecos philosophos omnem suam sapientiam e Judaeorum scriptis petiisse; vid. *Bruckeri Hist. Philos. Tom.* I. *p.* 86. sqq. ejusdemque *Miscellanea p.* 207. *Stahl. l. c. p.* 791. sq. et Disputat. German. *Platonische Philosopheme über den Göttl. Verstand*, in *Pauli Memorab. Part.* I. *p.* 35. sq. Cujus disputationis Auctorem esse *Tennemannum*, didici ex ejus *System. Philos. Platon. Tom.* I. *p.* XXXIII. Adde *Buddei Isag. Histor. Theol. p.* 202, 497, 499. et *Schroeckhii Kirchengesch. Tom.* III. *p.* 274.

(*b*). Vide loca not. *s.* laudd.

(*c*). Vid. 1 *Cor.* III. 19. *Eph.* IV. 14. V. 6. *Colosf.* II. 4, 8. *Auct. ad Hebr.* XIII. 9. *Tit.* I. 14. 1 *Cor.* I. 11.

(*d*). *Gal.* I. 1, 11, 12, 16. alibi. His autem locis nihil impudentius esse potuisset, si Paulus suam doctrinam Cabbalistarum institutioni acceptam referre debuisset. Ita de se loquitur, (vid. not. *u*), ut cujus omnis inde a pueris vitae ratio *notissima* esset Judaeis, quippe qui in Gamalielis (not. *t*) schola ad Judaicam esset eru-

di-

ditionem informatus. Quantam igitur, quamque inusitatam ac facillimo negotio coarguendam impudentiam in Paulo fuisse existimabimus, nisi bene novisset, doctrinam, quam *nunc* tueretur, cum *veteri* sua doctrina, quod ad primaria capita, nihil commune habere. (vid. et *Philipp.* III. 4-7. et quae mox afferemus). Quantum sit hujus argumenti pondus, magis etiam apparebit, si adversus Eberhardum κατ' ἄνθρωπον disputare velimus. Dicit Auctor *Tom.* III. *p.* 61. „ allegoriam Pauli (*Gal.* IV. 21.) non magni ad persuadendum Judaeis momenti fuisse futuram, nisi ea jam in scholas *eruditorum* Judaeorum inducta et approbata fuisset." Itaque allegorica, id est, ut Auctor dicit, Cabbalistica interpretandi ratio cognita fuit Judaeis in Galatia. Cum igitur, judice Eberhardo, doctrina Pauli ex Cabbala tamquam ex fonte emanaverit, cumque Apostolus, si quidem Cabbalistica sapientia imbutus fuerit, eam ex Gamalielis schola traxerit, huc adeste omnes et considerate incredibilem hominis impudentiam, coram ipsis Galatis Cabbalisticis se mirifice jactantis, et doctrinam, cui *nunc* addictus sit, plane esse Cabbalisticae oppositam contendentis, *Gal.* I. 11-17.

(*e*). Ut Alexandria, sic etiam Corinthus, affluebat divitiis, et doctissimis ex utraque gente, (Graeca praesertim), hominibus. Vid. *Michaël. et Hug. Introd.* in has epp. *Chrysost.* πολλὴν ἔιχεν ἡ πόλις ἐμποριας ὑπόθεσιν, ἦν δὲ καὶ ῥητόρων πολλῶν ἔμπλεως ἡ πόλις καὶ φιλοσόφων.

(*f*). Vid. *Koppii* nota ad *Eph.* I. 9. 2 *Thessal.* II. 6. *Heinrichs.* ad 1 *Tim.* Pag. 18. III. 9. *Mori Acroas. sup. Hermeneut. N. T. Tom.* I. *p.* 86.

(*g*). *Tertull. ad Nat. Lib.* I. *Cap.* VII. *p.* 140. *Cap.* VIII. *p.* 141. ed. *Semler.*

(*h*). *Lib.* II. *ep.* 46. Plura loca attulit *Tzschirner Gesch. der Apolog. Tom.* I. *p.* 206. quibus intelligitur, doctrinam Christianam ab Ethnicis appellatam fuisse λόγου καινὸν, λόγον πρόσφατον, διδασκαλίαν νέαν καὶ ἐκτετοπισμένην, χθὲς καὶ ἐν πρώτοις φανεῖσαν, ξένην τινα καὶ καινὴν θρησκείαν.

(*i*). Vid. *Tzschirner*, *l. c. p.* 225. sqq. collat. *Greg. Nazianz. Orat.* III. *adv. Julian. Opp. Tom.* I. *p.* 87. B. Colon. 1690.

(*k*). *Tertull. Apologet. Cap.* XLVI. *Eadem*, (inquiunt Gentiles), *et philosophi* Pag. 19. *monent*, *atque profitentur*, *innocentiam*, *justitiam*, *patientiam*, *sobrietatem*, *pudicitiam.* Plura Neoplatonicorum loca vide apud *Tzschirnerum l. c.* 226. collato hujus Capitis initio not. *c.*

(*l*). Hanc indefinitam verbi vim multis placere, constat. Vid. *J. F. Kleuker*, *Neue Prufung und Erklärung der vorzügl. Beweise*, *Tom.* I. *p.* 155 sqq. *J. A. M. Tittmann*, *Pragmat. Gesch. der Theol. und Religion während den zweyten Hälfte des achtzehnten Jahrhunderts. Tom.* I. *p.* 240. sqq.

(*m*). In omni nostra adversus Eberhardum disputatione *tria* potissimum spec-

tamus, ut *et* rerum temporumque conditione, *et* Novi Foederis auctoritate, *et* discrimine, quod religionem Christianam inter et Philoſophiam Alexandrino-Cabbaliſticam intercedat, efficiamus, illam ex hac proficiſci non potuiſſe. Quamquam aliae ſubinde etiam cauſae commemorabuntur, ob quas Eberhardi ſententia minus nobis probanda videatur. Eorum igitur, quae diximus, momentorum duo priora hoc Capite complexi ſumus. Et ſupra quidem, ubi effecimus, Jeſum ejusque Apoſtolos non eſſe ex Cabbaliſtarum diſciplina profectos, diſerta Jeſu de doctrinae ſuae origine *testimonia* omiſimus, quoniam opportunius nobis videbatur de iis exponere eodem, atque de Pauli *testimoniis*, loco.

Pag. 20. (*n*). *Tom.* III. *p.* 171-173. *Dieſer geringe Grad der Cultur erhielt ſich bey den Morgenländern; und das Volk, unter dem Jeſus lebte, hatte ſich nicht daruber erhoben. In dieſem Zuſtande iſt alle Weisheit, ſie ſey Lehre oder Geſchichte,* OFFENBARUNG, *und ein jeder Lehrer und Weiſer iſt ein* ERLEUCHTETER. *Was er weisz und von ſeinem Wiſſen mittheilt, ſind* GEHEIMNISSE, *ſo lange ſie nicht bekannt ſind, und die man, wenn ſie bekannt gemacht werden, nur* GLAUBEN *kann. — Dieſem Kinderglaube vermag nicht zwiſchen dem Naturlichen und Uebernaturlichen ſo ſcharf, wie wir, zu unterſcheiden. — Ihm iſt daher ein Weisheitslehrer auch immer ein* GOTTGESANDTER, — DENN ER WEISZ NOCH NICHT, DASZ MAN ETWAS DURCH ERFAHRUNG UND NACHDENKEN WISSEN KÖNNE. *Alles dieſes ſind, das Eine wie das Andere, uebernaturliche Gaben, und dem begabten, durch den die Gottheit wirkt, gleich leicht und gleich ſchwer. — So waren diejenigen, welche die Evangeliſche Geſchichte ſchrieben. Was ſie ſchrieben, glaubten ſie ſelbſt, und was ſie glaubten, das glaubten auch die, für welche ſie ſchrieben.*

(*o*). *Praefat.* ad *Tom.* III. *p.* VII. ſq. Ceterum vide, quam belle ſibi in omni hac diſputatione conſtet Eberhardus. Jam enim dicit, Jeſu doctrinam propterea divinam eſſe habitam, quoniam *nova* eſſet, nec *cognita*. Alio autem loco, (*Praefat.* ad *Tom.* III.) Jeſum, ad eam doctrinam comparandam, ne operam quidem habuiſſe erudita inſtitutione contenditi, quandoquidem eam peteret poſſet e *temporis*, quo viveret, *indole*, i. e. ex aequalium ejus cultu et univerſa cogitandi ratione. Viden, quam *vulgaris* fiat illa *nova* et *inaudita* Jeſu ſapientia?

Pag. 21. (*p*). Quamvis haec ſint *ipſius* Jeſu *de ſe* testimonia, facile tamen intelligitur, cauſam noſtram propterea nihilo eſſe infirmiorem, quin etiam confirmari. Quaeritur enim, quomodo Jeſus ſe velit intelligi, cum doctrinam ſuam ſe a Deo accepiſſe, perhibeat? Jam, ſi *idem ille*, qui doctrinae ſuae tantum auctoritatem tribuat, aperte oſtendit, ſe non niſi *proprie* intelligi velle, quid non videt, hujus testimonium eſſe multo pluris faciendum, quam cujusque alius? Si autem quae-

re-

ratur, an re vera Jesu doctrina a Deo sit profecta, illud quidem cum ipsius Jesu hoc asseverantis indole, tum aliis argumentis, judicandum est.

(*q*). Propterea Jesus quoque utramque rem conjungit, *Joann.* XII. 49, 50. Atque ipse Eberhardus hoc concedere videtur, cum loco not. *n.* cit. dicit: *ein* WEISHEITSLEHRER *ist auch immer ein* GOTTGESANDTER.

(*r*). Tenendum est, Jesum se his locis *majorem* dicere discipulis, non ut ipsius Pag. 22.
comitibus dum viveret, sed ut doctoribus suae religionis, cum jam de vita decessisset. Vid. *Storr. Ueber den Geist des Christenthums*, in *Flattii Magaz. Part.* I. *p.* 115. cui disputationi nos plurimum debere, grati profitemur.

(*s*). Notiones *filii Dei* et *Messiae* a Judaeis pro iisdem esse habitas, demonstravit *Koppius*, *Excurs.* II. in *Ep. ad Gal.*

(*t*). Vid. *Storrius*, *l. c. p.* 121. sqq.

(*u*). Storr. *l. c. p.* 124. sq. Pag. 23.

(*v*). Affert quidem ejusmodi loca, ut *Joann.* IV. 24. quibus appareat, Jesum Pag. 24.
commendasse popularibus suis religionem *intelligibilem*. Verum partim supra vidimus, hoc nihil attinere ad ipsius doctrinae *argumentum*, in quo sint posita omnia; partim ipse Eberhardus fatetur, non tantum a Paulo, sed etiam ab antiquis jam vatibus Hebraeorum eam fuisse religionis doctrinam traditam, quae esset a sensibus semota. Itaque hoc nomine Jesus neque dici poterat *Messias*, neque a Paulo sibi ceterisque doctoribus praeferri debebat.

(*w*). Supra diximus, duplici fortasse ratione responderi posse illi quaestioni, quare Jesus se *superiorem* dixerit ceteris religionis doctoribus? quod scilicet *aut* pleniorem ac perfectiorem, quam ceteri, doctrinam exposuerit, *aut* eam omnium primus civibus suis impertitus sit. Intelligitur autem iis, quae diximus, neutram esse respondendi rationem probandam. Si enim Jesus, ut vidimus, non tantum non plenius eam doctrinam exposuit, qua Eberhardus religionis Christianae caput atque summam contineri existimat, verum eam vix tetigit; alteram quoque rationem, qua hanc doctrinam omnium *primus* popularibus tradidisse dicatur, nihili esse, manifestum est. Huc etiam accedit, quod, etiamsi Jesus eam doctrinam exposuisset, tamen, secundum ipsius Eberhardi sententiam, propterea non potuisset omnium praestantissimus haberi, quod eam *primus* exposuisset. Ipse enim Auctor, *Tom.* III. *p.* 86. contendere videtur, Joannem Baptistam, qui Jesum antecessit, eandem, atque hunc, doctrinam fuisse traditurum, nisi praereptus morte praematura fuisset. Itaque praestantiae palma non ad Jesum, sed ad Baptistam, quippe illo *priorem*, deferenda fuisset, nisi mors *fortuita*, *nec opinata* eam intercepisset. In *casu* igitur quodam posita Jesu excellentia est! Atque ne hoc quidem dici potest. Nam ipse Baptista, cum nondum praevidere

posset, se morte impeditum iri, quo minus docendi munus ad finem perduceret, Jesu tamen prae se excellentiam mirifice praedicabat, *Matth.* III. 11. sq. 14. *Joann.* I. 15. sqq. 20, 26, 27. sqq. Ceterum de omni hoc, quod tractavimus, argumento videnda est *Suskindii Disput. Quo sensu Jesus doctrinam suam divinam dixerit.* Qui libellus Germanice etiam versus est.

Pag. 25. ## ANNOTATIO AD CAP. II.

(*a*). Auctorem hujus libri Judaeum Alexandrinum fuisse, Platonica philosophia imbutum, procul omni dubio est. Vid. *Bruckeri Dissert. De vestigiis philosophiae Alexandr. in libro Sapientiae*, in *Miscell. Berol. Tom.* VI. *p.* 150. sqq. repetita in Ejusdem *Miscell. Philos. p.* 187. sqq. *Eichhorn Einleit. in die Apocr. Schriften des A. T., pag.* 86. sqq. Mirum est, in Opere Eberhardi nusquam hujus libri mentionem esse factam.

(*b*). *Tom.* III. *p.* 196. sqq. Vid. de istis hominibus *Bruckeri Hist. Phil.* II. *p.* 189. sqq. *Moshemius*, *de turbata per Platonicos Ecclesia*, in *Cudworthi Syst. Intell. p.* 765. sqq. *Schroeckhii Kirchengesch. Tom.* III. *p.* 291. sqq. VI. 14. sqq. VII. 176. sq. XXXV. *p.* 113. *J. M. Degerando*, *Vergl. Gesch. der System. der Philos.*, *Tom.* I. *p.* 136. sqq. *Keilii*, *Dissertationes de Patr. Eccl. a culpa corrupt.* cet.

(*c*). Saepius recentiorum scripta Cabbalistarum adhibebimus, quorum tamen auctoritati ad antiquae doctrinae cognitionem non nimis est confidendum, cum saepius suas ipsi opiniones veteribus affingant. Hoc utrorumque discrimen cum Eberhardus non animadvertisse videatur, poteramus eum hoc nomine reprehendere. Cum autem ea res nihil esset valitura ad ejus sententiam redarguendam, nolumus hanc severitatem adhibere, quandoquidem in omni hac disputatione Eberhardi solemus errores, brevitatis studio, praetermittere, modo ad causam primariam nihil attineant. Itaque, quoniam sic placet Eberhardo, *Irirae* aliisque doctrinae Cabbalisticae explanatoribus eam tribuimus auctoritatem, quam iis minime tribuendam esse, inter omnes harum rerum peritos constat.

Pag. 26. (*d*). Vid. *Brucker*, l. c. *p.* 684. sqq. et *p.* 944. *Eichh. Introd. in Libr. Apocr. p.* 1. sqq. 88, 134. *Degerando*, l. c. *p.* 151. *Corrodi Beitr. zum Vern. Denk. P.* V. *p.* 25. In ipsa hujus Capitis tractatione passim videbimus, quibus praecipue partibus Alexandrinorum ac Philonis praesertim doctrina a Platonica philosophia differret. Hic universe monemus, minime nobis probabilem videri eorum sententiam, qui, quicquid discriminis intercederet, id omne ex eo profectum

ex-

esse existiment, quod Philo, ceterique Alexandrini, Platonis doctrinam cum *philosophia orientali* conjungere studerent. Nam omnis haec de ista philosophia lubrica quaestio est. Vid. *Tittmanni Disput. De vestigiis Gnosticorum in N. F. frustra quaesitis*, in *Mus. Hag. T.* II. *P.* II. Nobis quidem ita statuendum videtur, praecipua philosophiae Platonicae capita a Philone fuisse probata, in quorum explicatione, ne in Judaeorum reprehensionem incurreret, ita versatus sit, ut Sacrarum Literarum interpretationem, quoad ejus fieri poterat, ad ea accommodaret: sicubi vero accideret, ut difficilis esset utriusque doctrinae conjunctio, eum paulisper a Platone declinasse, ut Sacris libris suus constaret honos. Vid. *Tittmannus*, *de Vestigiis Gnost.* cet. *p.* 323. sq. *Mosheim Polyhist. Tom.* II. *L.* I. *Cap.* VII. §. 11. inprimis vero *Fabricii Diss. De Platonismo Philonis.*

(*e*). Vox קַבָּלָה, quae proprie *acceptionis*, sive *acceptae doctrinae* vim habet, multiplici significatu usurpari solet, de quo vid. *Wolfii Bibl. Hebr. Vol.* II. *p.* 1191. sqq. *Bruck. l. c. Tom.* II. *p.* 916. Nos quidem, modo de re ipsa conveniat, nolumus cum quopiam de verbo disputare. Itaque probamus illam definitionem Cabbalae, quam fecit *P. Cunaeus*, *De republ. Hebr. Lib.* IV. *Cap.* VIII. ut sit *mysticus sensus earum rerum, quae in Sacris Libris latent.* Cumque supra dixerimus, Cabbalam in duas partes distribui, practicam et theoreticam, hanc autem rursus esse vel exegeticam, (*Gematriam*, *Notarikon* et *Temuram*), vel philosopham; practicam quidem, nugatoriam illam et impiam, atque ab ipso Eberhardo contemtam, hic prorsus omittimus: videat de ea, qui velit, *Wolfium* l. c. *p.* 1214. et quos laudat. Neque exegeticam hic curamus, id est, eam, quae continet rationem, qua ex literis, punctis, apicibus, ille mysticus sensus eruatur, quippe in qua adeo se jactent Judaei, ut certamen insaniae suscepisse videantur. Confer de ea praeter *Pistorium* et scriptores laudatos, *J. J. Losii Biga Diss. Diss.* II. *p.* 13. sq. De *philosopha* parte omnis quaestio est.

(*f*). Quantopere Judaei Cabbalae antiquitatem praedicent, eam non tantum ad Esdram et Mosen, sed et ad Abrahamum, quin imo ad ipsum Adamum referentes, videri potest apud *Eisenmengerum*, *Jud. Detect. Part.* I. *pag.* 312. sqq. *Bruckerum*, *l. c. Tom.* II. *p.* 940. sqq. *G. C. Sommerum in Specim. Theol. Sohariacae*, Gothae, 1734. *pag.* 2. sqq. Conf. liber *Cosri p.* 238. sqq. Quorum quidem auctoritatem multi Christianorum nimis secuti sunt, vid. *Wolf. Bibl. Hebr.* II. *p.* 1195. sqq. *Bruck.* II. *p.* 937. sqq. Nos hac quaestione supersedere possumus. Etiamsi enim in numeris Danielis, (ut existimat *Eichh. Allg. Bibl.* III. 797.) jam Cabbalae vestigia exstare putes, ea tamen *artificialis* est, non *philosopha*, nec pertinet ad nostram disputationem. Fuerit etiam ante Christum *phi-*

losopha quaedam et *purior* Cabbala, (vid. *Vitringa Obss. Tom.* I. *p.* 119. sqq.) ea nihil ad nos omnino. Primum enim de omni ista Cabbala ne verbulum quidem hodiedum restat, quo eam ab impura possimus distinguere, (*Bruck.* l. c. *p.* 958.) deinde *non ex pura* illa, sed *ex impura*, (id est, quae Graecâ philosophiâ permista sit, *Vitringa* l. c. *Wolf.* l. c. *p.* 1205. sqq.) voluit Eberhardus religionem Christianam repetere. Itaque, missis reliquis, in *una impura* eademque *philosophâ* versatur disceptatio. Ceterum de antiquitate Cabbalae consuli potest *La Naure, Remarques sur l'antiquité et l'origine de la Cabale.*

(*g*). Vid. *Ernestii Disp. De odio Jud. in Gr. Litt.* et *Eichh. Introd. in Libr. Apocr. p.* 7. sq. 22. sqq.

(*h*). Vid. [illegible] *Vitringa, de Synag. Vet.* 674. Notabilis est locus [illegible] Cabb[illegible]stico studio sectae Therapeutarum Aegyptiae constet, [illegible] *Tom.* II. *p.* 475. ed. *Mang.* ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι [illegible] πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ἱητῆς ἑρμηνείας [illegible] ὑπόνοιαις δηλουμένης· ἐστὶ δὲ αὐτοῖς καὶ [illegible] ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ [illegible] ἰδέας ἀπέλιπον, οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρωμένοι, [illegible] τρόπον.

(*i*). *Philo*, [illegible] τε, ἵνα θεὸν ἰσχύσῃ τις καταλαβεῖν· *Tom.* I. *p.* 258. πάνθ[illegible] τὸν [illegible] σπουδαίῳ καταληπτὰ, αὐτὸς δὲ μόνος ἀκαταληπτός.

(*k*). *Philo*, *Tom.* I. *p.* 578. Μὴ νομίσῃς τοῖς σώματος ὀφθαλμοῖς γίνεσθαι τὴν προσβολὴν· (οἱ μὲν γὰρ τὰ αἰσθητὰ μόνα ὁρῶσι, τὰ δὲ αἰσθητὰ σύγκριτα, φθορᾶς ἀνάμεστα, τὸ δὲ θεῖον, ἀσύγκριτον, (ἄφθαρτον), ἀλλὰ τὸ δεχόμενον τὴν θείαν φαντασίαν, τὸ τῆς ψυχῆς ἐστὶν ὄμμα. *Tom.* II. *p.* 662. οὐδεὶς αὐχήσει τὸν ἀόρατον θεὸν ἰδεῖν, εἴξας ἀλογιστίᾳ.

(*l*). Constat, Deum *per se* consideratum saepius a *Philone* τὸ Ὄν appellari, praeeunte Platone, conf. *Euseb. Praeparat. Euang. Lib.* XI. *p.* 524. D. Auctor *Libri Sapientiae*, vim vocis יְהוָה tenens, Deum vocat τὸν Ὄντα. *Cap.* XIII. 1. vid. *Eichh. in Libr. Apocr. p.* 118. *Bruck. Miscell.* 222.

(*m*). Locum e *Philone* adduxit *Stahl*, in *Eichh. Bibl.* IV. 807.

(*n*). *Philo*, *Tom.* I. *p.* 258. ἀνθρώπου ἐξαρκεῖ λογισμῷ, μέχρι τοῦ καταμαθεῖν, ὅτι ἐστί τι, καὶ ὑπάρχει τὸ τῶν ὅλων αἴτιον, προελθεῖν· περαιτέρω δὲ σπουδάζειν τρέπεσθαι, ὡς περὶ οὐσίας, ἢ ποιότητος ζητεῖν, ὡς δι' ὑγίος τῆς ἠλιθιότης. Add. *p.* 282, 566. *Tom.* II. 216.

(*o*). Dicitur אור פשוט, *lux simplicissima;* usitatius autem אין סוף i. e. *infinitum.* Vid. *Knorrii Apparat. ad Libr. Sohar. p.* 64. et *Cohen Irira, Porta Coel. p.* 67. §. 12. in *Cabb. Denud. Tom.* I.

(*p*).

(p). עַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין טְמִירָא דְּטַמִּירִין, *Idra Rabba p.* 391. §. 30. *Est mundus superior, in quo occultus latet Deus sanctissimus atque benedictus, Synops. Libri Sohar, in Cabb. Denud. Tom.* II. *p.* 142. §. 20. Conf. *Loſius, Biga Diſſert. Diſſ.* II. *p.* 37. Similiter Auctor *libri Sap.* nusquam declarat, quae ſit Dei *natura*, ſed quomodo per hanc rerum universitatem cognoscatur, *Eichh. Introd. in Libr. Apocr. p.* 95. Hanc ob causam *Enſoph* ſaepius a Cabbalistis dicitur בְּלִימָה, *ineffabile*, unde nonnulli explicare voluerunt *Apocal.* XIX. 12. Ceterum quam male cum hoc *Enſoph* comparetur πλήρωμα Joannis, ostendit *Tittmannus, De Veſtig. Gnoſt. p.* 376.

(q). *Plato, Tom.* III. *p.* 265. ed. Bipont. σκοπῶμεν, ὥσπερ προειπόντες τοῖς θεοῖς, ὅτι περὶ αὐτῶν οὐδὲν ἡμεῖς σκεψόμεθα· (οὐ γὰρ ἀξιοῦμεν δίκην ἂν ἔναι σκοπεῖν,) ἀλλὰ περὶ τῶν ἀνθρώπων, ἣν ποτέ τινα δόξαν ἔχοντες, ἐτίθεντο αὐτοῖς τὰ ὀνόματα. *Cic. Nat. D.* I. *Cap.* XII. „ *Jam de Platonis inconſtantia longum est dicere; qui in Timaeo patrem hujus mundi nominari negat poſſe; in Legum autem libris, quid ſit omnino Deus, anquiri oportere non cenſeat.* Quamquam negandum non est, Platonem hac in re non ſatis ſibi conſtitisſe, vid. *W. G. Tennemann, Syſtem. der Platon. Philoſ. Tom.* III. *p.* 126. ſq. conf. *Pſeud-Origen. Philoſophumena*, in *Opp. Orig. Tom.* I. *p.* 896.

(r). *Philo, Tom.* I. *p.* 582. Τὸ γὰρ ὂν, ἢ ὄν ἐστι, δυκὶ τῶν πρός τι· αὐτὸ γὰρ ἑαυτοῦ πλήρες, καὶ αὐτὸ ἑαυτῷ ἱκανόν, καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, καὶ μετὰ τὴν γένεσιν τοῦ παντὸς, ἐν ὁμοίῳ. — Τῶν δὲ δυνάμεων, ἃς ἔτεινεν εἰς γένεσιν ἐπ' ἐνεργείᾳ τοῦ συνταθέντος, ἐνίας συμβέβηκε λέγεσθαι ὥσανεὶ πρός τι· τὴν βασιλικὴν, τὴν εὐεργετικήν. — Τούτων συγγενὴς ἐστι καὶ ἡ ποιητικὴ δύναμις, ἡ καλουμένη θεός. *Irira Pneumat. Cabbal.* in *Cabb. Denud. Tom.* II. *Part.* III. *p.* 189. §. 7. אלא דמיגא דיליה כפום שלמנותיה על ההוא כדה ואפילו על כל ברין „ *Conceptus de eo fieri tantum potest etiam, qualenus dominium exercet in aliquod attributum, in omnes creaturas.*" vid. et *p.* 188. §. 4. 190. §. 9. Adde *Synops. Libr. Sohar, p.* 142. §. 20. et Liber *Cosri, p.* 313, 382, 383.

(s). *Tennemann l. c.* 143.

(t). Cabbalistas, ut ceteros orientales, ſibi Deum tamquam *lucem* cogitasſe, ſatis conſtat, (vid. not. *o.*) et ex iis, quae paulo post dicemus, intelligi potest. Nunc ſufficiat lectores delegare ad librum *J. F. Kleukeri, Ueber die Natur und den Urſprung der Emanationslehre bey den Kabbalisten*, Riga 1786. De Philone etiam res dubio caret, vid. v. c. *Tom.* I. 156, ὁ γὰρ τοῦ ὄντος ὀφθαλμὸς, φωτὸς ἑτέρου πρὸς κατάληψιν δεόμενος ἑαυτὸς δ' ὢν ἀρχέτυπος αὐγὴ μυρίας ἀκτῖνας ἐκβάλλει. Hinc etiam illae frequentes Dei cum ſole comparationes, v. c. *Tom.* II. 254, 415. vid. *Stahl in Eichh. Bibl. Tom.* IV. *p.* 800. Plato autem an ſibi De-

ſium ad *Pſeudorigenis Philoſophumena p.* 896. Idem ſtatuiſſe Philonem apparet ex *Tom.* II. *p.* 488. ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται· οὐδ' εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται· ἐκ τοῦ γὰρ οὐδαμῆ ὄντος ἀμήχανον ἐστὶ γενέσθαι τι. Confer de Philonis ſententia disputantem *Euſebium*, *Praeparat. Euang. Lib.* VII. *p.* 336. de Platonis autem *Athanaſ. Opp. Tom.* I. *p.* 54. ſq. Colon. 1686.

(*y*). Non vacat hoc totum *Systema Emanativum*, quod dicitur, explicare, de quo, praeter alios, videndus inprimis *Kleukerus*, quem ſupra laudavimus, collat. *Allgem. Deutſche Biblioth. Tom.* LXXIX. *p.* 530. ſqq. De Cabbalistarum doctrina hoc unum teneatur. Omnia, ne materia quidem excepta, e Deo fluxerunt. Quod ut conciliarent cum incorporea Dei natura, quatuor, ut deinde videbimus, ſtatuebant eſſe mundos, quorum cujusque veluti radix ſit in proxime antecedenti, quorumque alter ex altero tamquam per traducem manaverit. Quo igitur quisque mundus a prima ſcaturigine, id est, a mundo Enſophico, erat remotior, eo imperfectior erat. Quo factum est, ut mundus postremus, utpote omnium a primo fonte remotiſſimus, ex materia concresceret. Haec in praeſens ſufficiant: deinde paulo uberius. Pag. 27.

(*z*). Vid. *Tittmann. De Veſtig. Gnoſt. p.* 323. ſqq.

(*a*). De mundi origine primaria est Platonis doctrina, duo eſſe rerum principia, *Deum* et *materiam*. *Diog. Laërt. Lib.* III. 69. δύο τῶν ὅλων ἀπέφηνεν ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην, ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει καὶ αἴτιον. εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα. ἀτακτῶς δὲ πότε αὐτὴν κινουμένην, ὑπὸ τοῦ θεοῦ φήσιν εἰς ἕνα συνεχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου. τράπεσθαι δὲ τὴν οὐσίαν ταύτην εἰς τέτταρα στοιχεῖα. Quamquam alii, tamquam *tertium* principium, adjungunt *Ideas*. Vid. *Grabii* notas ad *Irenaeum*, *Tom.* II. *p.* 188, 243. ed. *Maſſueti*. Cum hoc loco unum conferamus locum Philonis, ut appareat, quantopere pendeat a Platone. *Tom.* I. *p.* 2. ἀναγκαιότατόν ἐστιν, ἐν τοῖς οὖσιν τὸ μὲν εἶναι δραστήριον αἴτιον, τὸ δὲ παθητικὸν· καὶ ὅτι τὸ μὲν δραστήριον ὁ τῶν ὅλων νοῦς ἐστὶν εἰλικρινέστατος καὶ ἀκραιφνέστατος. — τὸ δὲ παθητικὸν ἄψυχον καὶ ἀκίνητον ἐξ ἑαυτοῦ, κινηθὲν δὲ καὶ σχηματισθὲν καὶ ψυχωθὲν ὑπὸ τοῦ νοῦ, μετέβαλεν εἰς τὸ τελειότατον ἔργον, τόνδε τὸν κόσμον.

(*b*). Cum Platonem dicimus Deum habuiſſe primum *motus* auctorem, loquimur de motu *ordinato*. Nam *inordinatum* et *confuſum* motum ab aeterno materiae inhaeſiſſe existimavit, hujus proprium, nec a Deo repetendum. Vid. *Vol.* IX. 256, 257, 305. *Vol.* X. *p.* 4. coll. *Opusc. Mythol. Th. Galei. p.* 544. Itaque Deus hanc motus confuſionem compeſcuit et ordinavit, *Vol.* VI. 37. ſq. τούτων δὲ αὐτῷ τὸ σωματοειδὲς τῆς συγκράσεως αἴτιον, τὸ τῆς πάλαι ποτὲ φύσεως ξύντροφον, ὅτι πολλῆς ἦν μέτοχον ἀταξίας, πρὶν εἰς τὸν νῦν κόσμον ἀφίκεσθαι. παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέν-

τος πάντα καλὰ κέκληται. Vid. *Wyttenbach. V. C. ad Plutarch.* De S. N. V. *p.* 28. et quae postea de *Anima mundi* dicemus. Philo hunc motum confusum ignorare videtur, cum materiam (τὸ παθητικὸν) dicat ἄχυμον καὶ ἀκίνητον ἐξ ἑαυτοῦ, κινηθὲν δὲ καὶ σχηματισθὲν καὶ ψυχωθὲν ὑπὸ τοῦ νοῦ. l. c. Hoc autem motu excepto, illud ei cum Platone convenit, quod materiam, antequam a Deo digereretur, omni ordine, forma ac qualitate caruisse statuit, a Deo primum ei inditâ. *Tom.* I. *p.* 5. ἦν μὲν γὰρ ἐξ ἑαυτῆς ἄτακτος, ἄποιος, ἄψυχος, ἑτεροιότητος, ἀναρμοστίας, ἀσυμφωνίας μεστή. τροπὴν δὲ καὶ μεταβολὴν ἐδέχετο τὴν εἰς τἀναντία καὶ τὰ βέλτιστα· τάξιν, ποιότητα, ἔμψυχίαν, ὁμοιότητα, ταυτότητα τὸ εὐάρμοστον. τὸ σύμφωνον, πᾶν ὅσον τῆς κρείττονος ἰδέας. Adde et alium locum adductum a *Stahlio*, *l. c. p.* 842. Eadem est doctrina Auctoris *Libri Sap. Cap.* XI. 17. οὐ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης cet. Neque Cabbalistas dissentire perspicuum est vel ex uno loco *Iritae*, *Porta Coel. Diss.* II. *Cap.* IV. 48. *Descensus perfectionis a summo gradu ad imum, et a maxime ad minimum, non potest esse in infinitum, sed tandem pervenitur ad id, quod omnium maxime privatum est perfectione, quod est materia prima, quae aliena et privata ab omni perfectione et forma, et usque adeo vicina atque propinqua nihilo et privationi, ut ab hac non differat per id quod habet, quia nihil habet omnino, sed per id, quod possit obtinere et recipere, quae est absoluta potentialitas entium, id est, formarum naturalium et compositarum.* Quae posterior sententia illustrari potest loco *Platonis*, *Vol.* X. *p.* 4. ubi materiam dicit ἄμορφον καθ' ἑαυτὴν καὶ ἀσχημάτιστον, δεχομένην δὲ πᾶσαν μορφήν. et *Philonis*, qui *Tom.* I. *p.* 5. τὴν ὕσλαν (*materiam*) dicit μηδὲν ἐξ ἑαυτῆς ἔχουσαν καλὸν, δυναμένην δὲ γενέσθαι πάντα.

(*c*). Hic est ille multis multorum disputationibus nobilitatus κόσμος νοητὸς Platonis, de quo praeter scriptores Hist. Phil. vid. inprimis *Tennemann*, l. c. *Tom.* III. *Cap.* V. VI. *Philo*, *Tom.* I. *p.* 5. εἰ δέ τις ἐθελήσειε γυμνοτέροις χρήσασθαι τοῖς ὀνόμασι, οὐδὲν ἂν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν εἶναι κόσμον, ἢ θεοῦ λόγῳ ἤδη ποιοῦντος. οὐδὲ γὰρ ἡ νοητὴ πόλις ἕτερόν τι ἐστὶν ἢ ὁ τοῦ ἀρχιτέκτονος λογισμὸς, ἤδη τὴν αἰσθητὴν πόλιν τῇ νοητῇ κτίζειν διανοουμένου. *Conf. Stahl*, *l. c.* 812, 840. Sic etiam in libro *Cosri p.* 302. Deus dicitur, antequam mundum conderet, ejus ideam sibi informasse, כאשר אתה רואה הכן לא יצא מתחת ידו בית עד שקדם ויהדו בנפשו *Quemadmodum vides ab Architecti manu non provenire domum, nisi prius animo suo formam ejus conceperit. Hirtz Introd. in Libr. Sohar.* p. 164. *Mundi haec est natura, quod homo (sculpturus imaginem) lignum cedrinum ad manus sumat; si autem tantum cogitatione sua volvit figuram istius rei, in infinitum sculpet, et res illa numquam fiet.* — Hanc mundi, i. e. hominum, naturam

Hirt-

Hirtzius Deo opponit, quippe cui ad creationem ſatis ſit, *creaturam ſibi in idea proponere.* Cum quo loco inprimis conferendus liber *Cosri p.* 102, 103. Similiter fere de eadem re loquitur *Plotinus*, neoplatonicus. *Enn.* VI. *L.* V. *Cap.* 8 *p.* 655. ſqq.

(*d*). Quam male Philonis λόγος cum Joannis λόγῳ conferatur, ostendit *Carpzov. in Philonianis Lib.* VII. *Cap.* I. praemiſſ. *Exercitt. in Ep. ad Hebr. Tittmann*, *De Vestig. Gnost. p.* 412. ſqq. Conf. *Bruck. l. c.* II. 808. ſq. 810. ſq. *Flatt.*, *Magaz.* X. *p.* 1. ſqq. in nota, *Deylingii Obſſ. Sacr. Tom.* I. *p.* 245. ſqq.

(*e*). Locum perſpicuum adduxit *Stahl. l. c. p.* 811. qui tamen, (quod bene notari velim), in eo mihi errare videtur, quod λόγον, posteriori ſenſu ſumtum, id est προφορικὸν, tantum de *proprietatum* divinarum, non item *idearum*, manifestatione, ſeu operatione intelligendum esſe putat. Cum enim Philo dixisſet, priorem λόγον, (i. e. ἐνδιαθετὸν), esſe περὶ τῶν ἀσωματικῶν καὶ παραδειγματικῶν θεῶν, ἐξ ὧν ὁ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, ſtatim addit, alterum λόγον (τὸν προφορικὸν) esſe περὶ τῶν ὁρατῶν, ἃ δὴ μιμήματα καὶ ἀπεικονίσματα τῶν ἰδεῶν ἐκείνων ἐστὶ. adeoque illum λόγον esſe πήγην, ex qua hic fluxerit. Unde perſpicuum esſe arbitror, Philonem h. l. voce λόγου (ſenſu posteriori) non intellexisſe manifestationem proprietatum divinarum, ſed communicationem *idearum* cum mundo adſpectabili, de qua re mox videbimus. Cum vero aliis locis Philo λόγου (προφορικοῦ) voce ſaepius *proprietates* divinas ſignificet, (v. c. ubi de angelis, tamquam de λόγῳ loquitur, vid. *Stahl. p.* 855. ſq.) existimandum est, Auctorem notione λόγου προφορικοῦ complexum fuisſe et *proprietatum* et *idearum* divinarum manifestationem, ſeu operationem. Similiter Plato duplicem νοῦν divinum ſtatuisſe videtur, vid. *Pauli Memorab.* P. I. *p.* 55. Conf. etiam *Liber Cosri p.* 302. ſq. et inprimis eruditisſimus *A. Willet* ad *Galeni Protrept. p.* 60.

(*f*). *Lorija*, *Tract.* I. *Libr. Druſchim*, *p.* 32. *Scito*, *quod antequam emanarent emanantia*, *et creata esſent creata*, *lux ſuprema extenſa fuerit plenisſime*, *et impleverit omne ubi*, *adeo ut nullus daretur locus vacuus in notione lucis*, *nullumque ſpatium inane*, *cet.*

(*g*). Hanc contractionem Cabbalistae appellant צמצום. Vid. *Apparat. ad Libr. Sohar*, *p.* 665. Ceterum infinitum ſit loca omnia adducere, quibus Cabbalistae de hac contractione exponant. Vid. *Lorija l. c. Irira Porta Coel.* 70. §. 3, 4. et *p.* 104. *Ilirtz. Introd. in libr. Sohar p.* 152. ſqq. 160. §. 31, 234. ſqq. Hoc unum notamus, cum hac Cabbaliſtarum doctrina comparandam fortasſe Philonis esſe ſententiam, existimantis Deum *ſibi ſoli* posſe proprietatibus ſuis pure et integre uti, ſimulatque vero eas ad res creandas adhibeat, eum has vires ſuas ac proprietates veluti contrahere et coarctare debere,

ut jam animadverſum video a *Stahlio*, *l. c.* 808. *Philo*, *Tom.* I. *p.* 282. ὁ γὰρ θεὸς ταῖς δυνάμεσι πρὸς μὲν ἑαυτὸν ἀκράτοις χρῆται, κεκραμένοις δὲ πρὸς γένεσιν· τὰς γὰρ ἀμιγεῖς θνητὴν ἀμήχανον φύσιν χωρῆσαι. — ὥσπερ οὖν τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας ἔτεινε μὲν ἀπ' οὐρανοῦ μέχρι τῶν τερμάτων, τὸ σφοδρὸν τῆς ἐν αὐταῖς θερμότητος ἀνεὶς καὶ χαλάσας ἀέρι ψυχρῷ.. — οὕτως ἐπιστήμην θεοῦ καὶ σοφίαν καὶ φρόνησιν καὶ δικαιοσύνην καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστην ἀρετῶν, τίς ἂν ἀκραιφνῆ δέξασθαι δύναιτο, θνητὸς ὤν; ἀλλ' οὐδ' ὁ σύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος. Plura adduxit *Stahlius l. c.*

(*h*). Non vacat, neque lubet, de istis *vaſibus* multa diſſerere. Cui Cabbalistarum ſcripta non ad manum ſunt, eum delegamus ad unum *Bruckerum*, *Hist. Phil.* II. *p.* 997. ſqq.

(*i*). *Irira l. c. p.* 73. ſqq. *Bruck. l. c. p.* 1018.

(*k*). Vid. *Irira l. c. p.* 39. ſqq. *Lexic. Cabbal. p.* 28. אָדָם קַדְמוֹן *Homo anterior. Sic enim R. Simeon ben Jochai tradit in Tikkunim: Nulla datur Sephirah, quae non vocetur Adam; ſed Adam Supremus omnium est corona Summa; huic nomen est Adam Kadmon, Homo anterior: vocaturque* קַדְמוֹן *anterior, s. prior, quia est ante totam Aziluth, eaque prior.* Ceterum quare Adam, i. e. *homo*, vocetur, hoc loco nihil attinet quaerere, vid. *Hirtz*, *l. c. p.* 245. ſqq. *Irira* 109. ſqq. qui copioſe de nugis Cabbalisticis exponit, *Bruckerus l. c. p.* 995. ſqq. *Loſius Biga Diſ.* I. *p.* 39. ſq.

(*l*). Simili prorſus ratione Auctor *libri Sap.* ex Deo fluxiſſe, tamquam radium, ſapientiam, docet. Vid. *Eichhornii Introd.* in *Libr. Apocr. p.* 101. ſq.

(*m*). Vid. omnium inſtar *Irira*, *Diſ.* II. *Cap.* I. *quo demonſtratur*, (haec enim est capitis inſcriptio), *tredecim argumentis fortiſſimis*, *quod a principio primo immediate emanaverit Principiatum unum tantum et perfectum.* Hanc ſententiam propterea tenuerunt Cabbalistae, ut appareret, quomodo ex Deo, in quo nihil concreti ſit, omnia, ne materiâ quidem excepta, emanare potuerint, qua de re mox plura.

(*n*). *Porta Coel. pag.* 43. *Irira* quidem non *Philonem* ſed *Platonem* appellat: cum autem in eadem uterque ſententia verſetur, quisque perinde eſſe intelligit, utrum Philo, an Plato, commemoretur.

Pag. 28. (*o*). Adde *pag.* 85. Uſitatiſſima est haec Philoni appellatio τοῦ λόγου, vid. *Tom.* I. *p.* 277, 437, 653, 567. cet. Eodem nomine *Adam Kadmon* inſigniri, diſci potest, ne plura congeram, ex *Bruckero*, *l. c. p.* 992, 1000. et *Eichhornio*, *Introd. in Libr. Apocr. p.* 103. Quin ipſum nomen *Adam Kadmon* hoc ſatis indicat. Conf. *Hirtz*, *l. c.* 250 ſq.

(*p*). *Philo*, *Tom.* I. *p.* 106. σκιὰ θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστὶν, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος, ἐκοσμοποιεῖ. *pag.* 162. ἐυρήσεις γὰρ ὄργανον λόγον θεοῦ, δι' οὗ κατα-

τεσκευάσθη. adde *p.* 437. De *Adam Kadmon* vid. *Irira l. c. p.* 39. ſqq. Ceterum quae mox de *Sephiris* dicturi ſumus evidentiſſime demonſtrabunt, Adam Kadmon a Philonis λόγῳ ἐνδιαθετῷ nihil differre. Nunc hoc unum animadverſum velim, tantam eſſe utriusque convenientiam, ut Philo et Cabbalistae de utroque fere *iisdem verbis* utantur. Cabbalistae v. c. docent, Deum τῷ Adam Kadmon *impreſſiſſe* omnes *literas*, quod ab *Irira*, *pag.* 76. ſic explicatur, ut illae literae nihil aliud ſint, *quam numeri et principia formarum vel cauſarum omnium entium.* Similiter prorſus *Philo* de λόγῳ, *Tom.* I. *p.* 47. βίβλιον δ' ἔμηκε τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, ὃ συμβέβηκεν ἐγγράφεσθαι: καὶ ἐγχαράττεσθαι τὰς τῶν ἄλλων συντάσεις.

(*q*). De Philone vid. *Stahl l. c. p.* 837. De Cabbalistis *Irira* l. c. *p.* 114. „ *Quia Adam Kadmon medium quid est inter Enſoph et mundum Aziluthicum cet.* Nolo, ne longus ſim, ceteras ſimilitudines perſequi. Vid. *Bruckerus*, *l. c. p.* 992. ſq.

(*r*). Platonem his ideis aeternitatem tribuiſſe, ex uno *Timaeo* ejus ſatis intelligi potest. Evidens locus est, quem ſic convertit Cicero: *Si pulcher hic est mundus, ſi probus ejus artifex, profecto ſpeciem aeternitatis imitari maluit: ſin ſecus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno ſecutus. Non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exſequi, quandoquidem neque mundo quicquam pulchrius, neque ejus aedificatore praestantius. Ex quo efficitur, ut ſit neceſſe, hunc, quem cernimus mundum, ſimulacrum aeternum eſſe alicujus aeterni.* In ſcriptis Philonis non memini me locum reperire, ubi Ideas *diſerte* aeternas dicat. Pluribus autem locis ex illius de *Opificio Mundi* libro inter ſe collatis, ſatis apparet, eum etiam hac in re Platonis fuiſſe auctoritatem ſecutum.

(*s*). *Tom.* I. *p.* 30. ἆρ' οὖν ἐμφανῶς τὰς ἀσωμάτους καὶ νοητὰς ἰδέας παρίστησιν, ἃς τῶν αἰσθητῶν ἀπατελεσμάτων σφραγῖδας εἶναι συμβέβηκε; ibid *p.* 378. ἐπειδὴ γὰρ πάντὸς τὰ μὲν παράδειγμα, τὸ δὲ μίμημα ὁ ποιῶν ἐπείει, καὶ ἀρετῆς τὴν μὲν ἀρχέτυπον σφραγῖδα εἰργάζετο, τὸν δὲ ἀπὸ ταύτης ἐνεσημαίνετο ἐμφερέστατον χαρακτῆρα. Ἡ μὲν οὖν ἀρχετυπος σφραγὶς ἀσώματός ἐστιν ἰδέα· ἡ δὲ χαραχθεῖσα εἰκὼν σῶμα ἤδη, φύσει μὲν αἰσθητὸν, οὐ μὴν εἰς αἴσθησιν ἐρχόμενον. Similiter fere *Plotinus*, conf. *Bruck. l. c. p.* 404. Comparari quoque potest ratio, qua *Irira Porta Coel. p.* 98. explicat vim vocis צִירָה, ut ſit *impreſſio formae per ſe ſubſiſtentis in ſubſtantiam corpoream, quae ab illa non est plane aliena, ſed per ejus influxum producta.* Quae quidem ſententia Platonicae ſimillima est, vid. *Pauli Memorab. P.* I. *p.* 45. ſq.

(*t*). *Tom.* I. *p.* 154.

(*u*). Plurima loca attulit *Stahl*, *l. c.* 809. sq. Perspicua sunt *Tom.* I. *p.* 174. *ὁ θεὸς λέγων ἅμα ἐποίει, μηδὲν μεταξὺ ἀμφοῖν τιθείς. εἰ δὲ χρὴ δόγμα κινεῖν ἀληθέστερον, ὁ λόγος ἔργον αὐτοῦ.* *pag.* 648. *θεοῦ γὰρ ἴδιον λέγειν πάντως τὰ γενησόμενα καὶ τοι τὶ τοῦτο φαμέν; ἔργων γὰρ οὐ διαφέρουσιν αὐτοῦ οἱ λόγοι.* Cum qua sententia prorsus convenit Cabbalistarum doctrina, vid. *Hirtz*, *Introd. in Libr. Sohar*, *p.* 162. Sic etiam Liber *Cosri p.* 302. *Hominis conceptio mentis, sermo et scriptura, sunt duntaxat signa substantiae rei, non res ipsa: Dei vero conceptio et eloquutio est res ipsa.*

(*v*). Brevitatis ac perspicuitatis gratia Deo tribuimus *λόγον ἐνδιαθετὸν* et *προφορικὸν*, quamquam Philo his nominibus non de Deo, sed de hominibus, utitur.

(*w*). De n[illegible]um minime probabilis est etymologia Eberhardi, (q[illegible]*a Denudata* a docto quodam Viro probatam esse memini); [illegible]re nulla sit eruditorum altercatio, more suo, id est, nullo argumento, vocem ductam esse ex *Sphaera* dicit. Pobabilites vox ducta est e verbo סָפַר, *numeravit*. Nolumus tamen contendere. Plura vid. apud *Losium*, *Biga Diss.* I. *p.* 29. *Vitringam Obss. Tom.* I. *p.* 119. sqq. *Wolf. Bibl. Hebr.* II. *p.* 1224. sqq. *Brucker. l. c.* II. *p.* 1003. sqq. inprimis *Sommerum*, *Spec. Theol. Sohar. p.* 3. sqq. add. *I. Rhenferdi Diss. de Stylo Apocal.* §. VI. Ceterum quod in exordio hujus Capitis *not. c.* diximus, Cabbalistas recentiores suas saepius opiniones veteribus affinxisse, inprimis hoc accidit in doctrina de Sephiris, in quibus explicandis cum illi multi sint, in antiquissimis Cabbalistarum scriptis nullam earum mentionem fieri, contendit *I. E. C. Schmidt*, *Christolog. Fragmente*, in *Biblioth. für Kritik und Exeg. des N. T. Tom.* I. *P.* I. *p.* 31.

Pag. 29. (*x*). Quanta perfectionis laude Pythagorei inprimis hunc numerum, quem *Tetractyn* appellabant, (vid. *Sext. Empir. adv. Mathem.* VII. 94.) ornaverint, docet Historia Philosophiae. Vid. praesertim *J. Meursii Denar. Pythag. Cap.* XII. *p.* 104. sqq. et *D. Tiedemann*, *Griechenlands erste Philosophen*, *pag.* 419. sqq. In libro *Cosri p.* 26 et 317. dicitur, *in numerandi ratione per Denarium omnes consentire in Oriente et Occidente.* Conf. etiam *Nicetae Commentar. in Gregorii Nazianz. Orat.* XLII. *pag.* 1158. In *Opp. Greg. Naz. Tom.* II.

(*u*). Hunc numerum exsculpserunt e *Jes.* XI. 2. וְנָחָה עָלָיו (1 רוּחַ יְהוָה (2 רוּחַ חָכְמָה (3 וּבִינָה (4 רוּחַ עֵצָה (5 וּגְבוּרָה (6 רוּחַ דַּעַת (7 וְיִרְאַת יְהוָה Vid. *Sohar Numer. fol.* 54. *col.* 216. laudat. *Schoettgenio* in *Horis Hebr.* II. 362. ex quo, ut et e *Rhenferdo*, *l. c.* plerumque sapit *Eichhorn.* in Disput. *Ueber die Personificationen der Eigensch. Gottes unter den spätern Juden*, in *Allgem. Biblioth. Tom.* III. *p.* 1. sqq.

(*v*).

(*v*). Vid. inprimis *Rhenferd. De Stylo Apocal. Cabbal. in Meuſchenii N. T. e Talm. illustr. p.* 1090. ſqq. *Herderus* in *Maran Atha*, et *Eichh. Comment. in Apocal.*

(*w*). Proprie ex mente Cabbaliſtarum omnes decem Sephirae nomine Tetragrammato יהוה continentur, ut diſerte docet *R. Moſche Corduero* in *Pardes Rimmonim*, *Sect.* XIX. *Cap.* II. ולפעם זה קראהו שם המיוחד שהוא שם שמתי יחדים בו כל ימ מיוחדות *Et hac de cauſa nominant illud* (*nomen tetragrammaton*) *nomen unitum, quoniam nomen est, in quo ſe uniunt omnes decem Sephirae unitae.* Plura attulit *Rhenferdus l. c. pag.* 1094. ſqq. Nos quidem metu vertiginis ab iſta taberna expromenda abſtinemus. Inprimis autem, ut diximus, tres *Superiores Sephiras* ex hoc nomine elicuerunt: totum artificium hac veluti ſumma continetur, ut apex ſupra literam י *coronam*, ipſa litera י *ſapientiam*, ſecunda litera ה *intelligentiam* denotat: reliquae literae והי ſeptem ceteras Sephiras contineant. Vid. *Pneumatica Cabbal. p.* 190. in *Cabb. Denud. Tom.* II. *P.* II. et *Rhenferd*, l. c. *pag.* 1096. ſq. collato libro *Cosri p.* 257. ſqq. Ceterum de argumento Apocalypſeos Cabbaliſtico non auſim mihi judicis partes arrogare. Illud quidem negari nequit, Viros doctiſſimos nimia ſimilitudinum captatione multa in Apocalypſeos libro Cabbalae ope interpretari voluiſſe, quae ad eam certe doctrinam Cabbaliſticam, quam hodie cognitam habemus, non niſi dura ratione referri poſſint. Quorſum, ut hoc utar, illud pertinet, quod, cum viri eruditi τὰ ἑπτὰ πνεύματα, ſeptem *inferiores Sephiras* eſſe exiſtiment, in ſcriptis Cabbaliſticis Sephirae nusquam *Spirituum* nomine appellantur. Cumque in formula Apocal. frequenti ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος tres *ſuperiores Sephiras* ſibi deprehendere videantur, haec formula cum *Superioribus Sephiris* (corona, ſapientia, intelligentia) praeter numerum *ternarium* nihil omnino commune habet. Plura monuit *Suskindius*, in *Magaz. P.* X. *p.* 57-72. dignus, qui de hoc argumento conferatur. Neque tamen diſſimulandum est, in Apocal. multa reperiri, quorum veluti *color* ex doctrina aliqua Cabbaliſtica ductus poſſit videri. Statim in exordio reperitur *trinorum* et *ſeptenorum* in Deo quaedam diſtinctio, *Cap.* I. 4. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος· καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. In doxologiis etiam, quae vocantur, *ſeptem* ſolent attributa divina commemorari, ut *Cap.* V. 12. ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον λαβεῖν 1) τὴν δύναμιν 2) καὶ πλοῦτον 3) καὶ σοφίαν 4) καὶ ἰσχὺν 5) καὶ τιμὴν 6) καὶ δόξαν 7) καὶ εὐλογίαν. *Cap.* VII. 12. 1) ἡ εὐλογία 2) καὶ ἡ δόξα 3) καὶ ἡ σοφία 4) καὶ ἡ εὐχαριστία 5) καὶ ἡ τιμὴ 6) καὶ ἡ δύναμις 7) καὶ ἡ ἰσχὺς τῷ θεῷ ἡμῶν. Cumque, ut diximus, e nomine יהוה tamquam e fonte perenni, tanta Cabbaliſtae myſteria derivare ſolerent, nullum dubium est, quin for-

formula ὁ ἦν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ex eodem hoc nomine, quod trium temporum vim continet, ducta ſit. Quod ut appareat, ſimulque ut intelligatur, quae ſit hac in re Apocalypſeos cum Cabbala conſenſio, afferam locum ex *R. Js. Lorienſis Tract.* I. *Libri Druſchim*, *pag.* 28. *Nomen Tetragrammaton hanc habet etymologiam, ut Exiſtentiam exprimat perpetuam, praeteriti, praeſentis, atque futuri temporis, ante creationem, in ſtatu creationis, et poſt factam rerum immutationem. Si autem conditi non fuiſſent, et quod in iis non vere potuiſſet deſignari exiſtentia omnibus temporis articulis continuata, adeoque vanum fuiſſet hoc nomen Tetragrammaton.* Quamobrem ſic ſtatuendum videtur, Auctorem Apocal. librum ſuum *habitu* quodam Cabbaliſtico exornaſſe, *ipſam* vero *doctrinam* Cabbaliſticam in ejus libro univerſe non reperiri.

(*x*). *Chron. l. c.* pro חסד quidem legitur גדלה. tenendum autem est, haec nomina in Sephirarum doctrina promiſcue uſurpari.

(*y*). In hoc diſcrimine conſtituendo non ſatis ab omni errore ſe immunes praeſtitiſſe doctiſſimi viri videntur. *Rhenferdus* quidem l. c. *pag.* 1099. et qui ejus auctoritatem ſequi ſolet, *Eichhornius*, *l. c. p.* 207. aliique multi, ſuperiores tres Sephiras ad *naturam Dei* pertinere exiſtimant, reliquas autem ejus eſſe *proprietates*. Quae quidem ſententia non tantum pugnare nobis videtur cum doctrina Cabbaliſtarum, nos *naturam Dei* non cognoſcere, verum etiam cum eorum opinione, ex Deo non fluxiſſe, niſi *unum quoddam Principiatum*, (vid. Nota *m*), cum tamen ex *Corona et* Sapientiam *et* Intelligentiam manaviſſe dicant, vid. *Sommeri Spec. Theol. Sohar. p.* 5. Itaque, ſi vera est *Rhenferdi* ceterorumque ſententia, et *plura*, quam unum, ex Deo fluxerunt, et altera pars *naturae* divinae ex altera! Huc accedit, quod *R. Menaſſe Ben Israël*, magnae vir auctoritatis, *De creatione probl.* 27. non ſeptem tantum, ſed decem omnes Sephiras diſerte vocat *Perfectiones divinas*, easque *aliud quid eſſe* dicit, *quam naturam Dei.* Adde *Irira in Porta Coel. p.* 85. *De Sephiris ſupernis hoc tantum innoteſcit, quod cum proxima proveniant a Cauſa prima, in ſe contineant perfectiones divinas formaliter, easque derivent in omnia entia reliqua. Vid. et pag.* 148. Quamobrem non probanda videtur ſententia eorum, qui tres ſuperiores Sephiras ad *naturam Dei* referant. Et tamen ea est conſtans Cabbaliſtarum ſententia, tres ſuperiores Sephiras non eſſe מדות *attributa*, ut dicitur in *Sepher Jezirah p.* 193. *Rittang.* השלש ראשונות חכם שכליות ולא נקראו מדות. *Tres priores ſunt intellectuales, et nequaquam vocantur attributa.* Nos quidem omnem difficultatem tolli exiſtimamus, ſi teneatur, tres ſuperiores Sephiras, aeque ac ceteras, *attributa* dici poſſe, ſi ad Deum, (*Or Enſoph*), *eſſentialia* vero, ſi ad Adam Kadmon, (*intellectum divinum*), referantur. Si enim Cabbaliſtica fingen-

gendi libido eo processit, ut intellectum divinum, sibi tamquam *hominem* informarent, eique cranium, barbam cet. tribuerent, quanto facilius erat huic homini *intelligentiam* et *sapientiam* tribuere! Quinimo ipsa ratio docet, non *naturam Dei*, sed *naturam intellectus divini*, (Adam Kadmon), positam esse in *intelligentia* et *sapientia*. Possumus enim ceteras Sephiras ab intellectu Dei mente et cogitatione sejungere, vim intelligendi ac sapiendi, (בינה et חכמה), non possumus: his enim sublatis, tollitur ipse intellectus. Atque hinc fortasse explicandum est, quod dicunt Cabbalistae, esse superiorum Sephirarum tam arctam conjunctionem, ut altera ab altera separari non possit, ut dicitur in *Schaare Ora* ed. *Mant.* *f.* 83. דע כי זו היא החכמה אינה נפרדת מן הבינה עולמית לפי ששת יחן אדוקות בספירת הכתר *Scito sapientiam numquam divelli a prudentia, quia duae istae connexae sunt in corona.* Plura vid. apud *Sommerum*, *l. c. p.* 4. sq. His igitur rationibus motus posui, tres Sephiras superiores, aeque ac ceteras, pertinere ad *perfectiones Dei*, sed ad *naturam* τοῦ *Adam Kadmon*, id est, *intellectus divini*.

(*z*). Bene tenendum est, hic sermonem esse de iis proprietatibus, quae ad *intellectum divinum* pertinent. Ceteras enim virtutes divinas Philo solet δυνάμεις appellare, v. c. δύναμιν χαριστικὴν, εὐεργετικὴν, ποιητικὴν cet. vid. *Stahl l. c. p.* 818, 826. Quod discrimen si tenetur, facile intelligitur, quid sit, quod Philo dicat, Deum has δύναμεις exserere per λόγον, sicut docet *Tom.* I. *p.* 143. sq. δύο τὰς ἀνωτάτω εἶναι καὶ πρώτας δύναμεις, ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν. καὶ ἀγαθότητι μὲν τὸ πᾶν γεγεννηκέναι, ἐξουσίᾳ δὲ τοῦ γεννηθέντος ἄρχειν. Τρίτον δὲ συναγωγὸν ἀμφοῖν μέσον εἶναι λόγον· λόγῳ γὰρ καὶ ἄρχοντα καὶ ἀγαθὸν εἶναι τὸν θεόν. Quibus verbis nihil aliud significatur, nisi δύναμεις divinas regi ac veluti temperari λόγῳ, id est intellectu et ratione divina.

(*a*). Hoc tamen non ita intelligendum est, quasi proprietates, quas Cabbalistae τῷ Adam Kadmon tribuunt, prorsus essent *eaedem*, atque illae, quas λόγῳ ἐνδιαθετῷ tribuit Philo. Sunt enim Sephirae, quae non ad λόγον ἐνδιαθετὸν referri possint: ut v. c. וכורה non pertinet ad intellectum divinum, sed est δύναμις, quae a Philone appellatur ἐξουσία, vid. *not. superior*. Nobis satis est effecisse, magnam esse Philonianae et Cabbalisticae doctrinae consensionem, quamquam hac ipsa in re majorem nobis utriusque doctrinae similitudinem cernere videmur, quam vulgo creditur. Ut enim (not. *z.*) vidimus, ex mente Philonis λόγον divinum esse ceterarum δυνάμεων veluti caput et rectorem, sic etiam Cabbalistae *superioribus Sephiris* principatum tribuere solent, easque ceteris potiores habere, vid. *not. y.* et *Sommerus l. c. p.* 4. sq. Jam vero, hae ipsae superiores Sephirae, (חכמה et בינה, nam τοῦ כתר obscurior est ratio), quid aliud sunt, quam λόγος Philonis? Vid. not. *y.*

(*b*). Vid. *Brucker. Miscellanc Philoſ.* p. 135.

(*c*). *Porta Coel.* p. 30.

(*d*). Hic locus ſine ulli Platonicâ doctrinâ durus videtur. Sic enim Plato, *Vol.* I. *p.* 227. Διονυσοδώρου φαίνεται, ὅτι ἔστιν ἄλλο καλὸν παρὰ αὐτὸ τὸ καλὸν, ὃ ἂν ἄλλο καλὸν ᾖ, ἢ ὅτι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ. καὶ πάντα δὴ ὄντα λέγω. — τοῦτο δὲ ἁπλοῦς καὶ ἀτεχνῶς, καὶ ἴσως ἱκανῶς ἔχων πρὸς ἐμαυτὸν, ὅτι ἐμοὶ ἄλλό τι ποιεῖ αὐτὸ καλὸν, ἢ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία, εἴτε κοινωνία, εἴτε ὁπῃ δὴ καὶ ὅπως προσγενομένη. οὐ γὰρ ἔτι τοῦτο διϊσχυρίζομαι, ἀλλ' ὅτι τῷ καλῷ πάντα τὰ καλὰ γίγνεται καλά. — Similiter prorſus Plato ἐν ἄλλῳ ubique ἀφορίζει τὰς πόλεις, *Vol.* IV. *p.* 216. Quaeritur, inquit *Socrates*, πρῶτον μέν; εἰ τινας δεῖ τοιαύτας ἔτι μονάδας ὑπολαμβάνειν, ἀληθῶς ὄντας. ἔστι πῶς ἂν ταύτας, μίαν ἑκάστην, οὖσαν δεῖ τὴν αὐτὴν, καὶ μήτε γένεσιν μήτε ὄλεθρον προσδεχομένην, ὅμως ἔναι βεβαιότητα μίαν ταύτην. μετὰ δὲ τοῦτ', ἐν τοῖς γιγνομένοις ἄν καὶ ἀπείροις εἴτε διεσπασμένην, καὶ πολλὰ γεγονέναι δεῖ, ἓν ὅλην αὐτὴν αὑτῆς χωρίς· ἢ δὴ πάντων ἀδυνατώτατον φαίνεται ἂν τοῦτον καὶ ἓν ἅμα ἐν ἑνί τε καὶ πολλοῖς γίγνεσθαι. — In ceteris loci *Hirtzii* partibus quanta ſit ejus doctrinae cum Platonicâ conſenſio, quisque vestrum facile intelligit. Nos cum postea hunc aliaque hujusmodi loca uberius tractaturi simus, ne eadem res saepius dicatur, hic quidem lectori relinquimus ceterarum partium cum Platonis doctrinâ comparationem.

Pag. 30. (*f*). Vid. supra not. *z*. Sephiras a Cabbalistis attributa sive proprietates divinas haberi, satis constat, vid. not. *y*.

(*g*). Omnino in re difficili versatur disputatio. Jure dubitari potest, an non *Hirtzii* Sephiras magis ex sua, quam ex antiquorum Cabbalistarum mente explicuerit, easque ad Platonicam doctrinam detorserit. Veteres certe Doctores ex Platonis ideis Sephiras suas arripuisse, mihi quidem minime probabile videtur. Nihil aliud eos significare voluisse, quam *attributa* divina, existimo. Neque vero intelligo, quomodo, v. c. *potentia*, *gloria*, *fundamentum*, *regnum* cet. *ideae* appellari possint eo sensu, quo eas dixit Plato. Et tamen Cabbalistas a Platonica de ideis, proprie ita dictis, doctrina, minime alienos fuisse, apparet ex loco *Hirtzii*, quem *Annotationum pag.* 139. not. *g*. adduximus. Itaque statuendum videtur, quamvis Platonis sententia a Cabbalistis probata fuerit, eam tamen non esse quaerendam in eorum de Sephiris doctrina. Comparari autem hae Sephirae cum Platonis ideis possunt, quatenus, ut hae sunt in λόγῳ, sic illae in Adam Kadmon, de quo haec una adjicienda est animadversio. Ut non Platonicum, et λόγου ἐνδιάθετον Philonis hic non dicimus intellectum divinum *per se*, id est, *vim intelligendi*, verum *sedem ideārum divinarum*, sic quoque Adam Kad-

Kadmon appellamus intellectum divinum non *per se*, id est *facultatem intelligendi*, sed quatenus in eo insunt sive *ideae*, ut *Irira*, sive *attributa*, ut nos cum aliis statuimus. Quae animadversio eo valet, ut appareat, quo sensu Cabbalistae dixerint Adam Kadmon a Deo genitum esse, ex eoque emanavisse: quod de ipsa facultate intelligendi praedicari nullo pacto potest, quippe quae a notione Dei avelli nequeat. Si igitur Sephirae sunt *ideae*, Adam Kadmon est *intellectus divinus, sibi ideas rerum condendarum proponens*: ejusque ex Deo emanatio est *intellectus divini actio, illas sibi ideas informantis ac proponentis*. Sin vero Sephirae sunt *attributa divina*, aliquam difficultatem habere videtur sententia Cabbalistarum, intellectui divino ejusmodi attributa adsignantium, quae ad intellectum non pertineant, ut ea, quae commemoravimus, *potentiam*, *gloriam*, *regnum* cet. Quae tamen difficultas statim tollitur, si teneamus, Cabbalistas, cum ea attributa in *intellectu divino inesse* dicant, hoc fortasse sibi velle, ea attributa intellectui divino *obversata fuisse*, Deum ea sibi *proposuisse*, ut etiam *ideae rerum* eo tantum sensu in intellectu divino inesse dici possunt, quatenus illae res *obversatae* huic intellectui fuerunt. Si igitur Sephirae sunt attributa divina, *emanatio* τοῦ Adam Kadmon ex Deo est *intellectus divini actio divinas virtutes sibi proponentis*. Quae sententia egregie convenit cum doctrina Philonis, vid. not. *x*.

(*h*). Vid. *Wachterus*, *Spinoz. in Jud.* P. II. p. 224. sqq.

(*i*). *Irira l. c. p.* 56. *Omnis causa efficiens conatur causatum suum sibi reddere simile. — Jam vero Causa prima Ensoph est causa efficiens perfecta, et sibi finite reddidit Causatum suum, (Adam Kadmon), in summo gradu.*

(*k*). Operae pretium est afferre locum *Knorrii ad Dorsne. Tract. de Revolut. Anim.* in *Cabb. Denud.* II. P. III. *p.* 245. *Quatuor haec systemata sive mundi nihil sunt aliud, quam quatuor repraesentatae Divinitatis classes, lumine semper magis magisque diminuto, quales sunt varii praesentiae divinae gradus, v. g. in rubo, in Sinai, in arca, et in universo. Exod.* 3. *vs.* 2. 1 *Reg.* 19. *vs.* 18. *Lev.* 26. *vs.* 12. *Act.* 17. *vs.* 28. *Per Aziluth enim, seu systema vel mundum emanationis intelligitur ipsum τὸ Θεῖον non in se et absolute tale, quod Cabbalistis Ensoph seu infinitum dicitur, sed sub methodo divinorum nominum vel numerationum*, cet. „ Ceterum de horum mundorum discrimine non est hujus loci exponere. Dignus imprimis est, qui legatur, *Irira l. c. pag.* 96. sqq.

(*l*). *Irira l. c. p.* 80. *Brucker* II. *p.* 1004. *In Systemate Emanativo*, quod dicitur, tamquam in catena, singulae partes pendent ex proxime superioribus. Or Ensoph fons est τοῦ Adam Kadmon, Adam Kadmon Sephirarum, Sephirae mundi Aziluthici, Aziluthicus Briathici cet. Cumque Ensoph omnia, quae ex ipso fluxerunt, complectatur, facile intelligitur, quo sensu et Ensoph, et Se-

(z). Vid. *Plutarchi Opp. Tom.* II. *p.* 1012. ſqq. ed. *Hyland. Mosheim.* ad *Cudworthi Syst. Intell. p.* 294. *Gedik. l. c. p.* 150. *Tennemann, Syst. Phil. Plat. Tom.* III. *p.* 174. ſqq. *Wyttenb.* in *Opp. Soc. Teyl. Tom.* IV. *p.* 44. Inprimis vero *C. Meiners, Vermiſchte Schriften, Tom.* I. *p.* 1–60.

(a) In *Pauli, Memorab. Part.* I. *p.* 52. ſqq. conf. *Zimmermanni Opusc. Theoll. Tom.* I. *p.* 863, 389. ſqq.

ANNOTATIO AD CAP. III.

Pag. 34. (a). *Tom.* III. *pag.* 102–196.

(b). *Tom.* III. *pag.* 102. ſqq.

Pag. 35. (c). Multos eſſe hodie conſtat, qui cum Eberhardo ſentiant, ſpem et exſpectationem Meſſiae, quam Judaei concepiſſent, ortam eſſe ex calamitatum gravitate, quibus identidem vexarentur. Vid. quos laudat *C. D. Beckius Comment. Hist. Decr. Rel. Chr. pag.* 56. ſq. 60. 511. 564.

(d). Quomodo ea, quae Auctor de vatibus antiquis dixit, conciliari poſſint cum ipſius ſententia, *antiquiſſimam Judaeorum ſpem poſitam fuiſſe in Meſſia terreſtri; coeleſtis autem Meſſiae exſpectationem tum demum in Viris ſapientibus excitatam fuiſſe, cum res Judaeorum paene ad incitas eſſent redactae*, non aſſequor.

(†). Jam *Celſus*, quamquam ſenſu diverſo, doctrinam N. F. de meliori terra ex hoc Platonis loco ductam eſſe, exiſtimabat, ut refert *Origen. contr. Cels. p.* 714. ed. *Ruaei.* ὑπολαμβάνει ὁ Κέλσος τὰ περὶ τῆς ἄλλης γῆς κρείττονος, καὶ πολλῷ ταύτης διαφερούσης, εἰληφέναι ἡμᾶς ἀπὸ τινῶν νομιζομένων αὐτῷ θείων παλαιῶν ἀνδρῶν, καὶ μάλιστα Πλάτωνος, τοῦ ἐν τῷ Φαίδωνι περὶ τῆς καθαρᾶς ἐν καθαρῷ κειμένης οὐρανῷ γῆς φιλοσοφήσαντος.

Pag. 36. (e). Hoc loco temperare mihi non poſſum, quominus ipſa Auctoris verba afferam, ut appareat, quo jure ſupra dixerimus, Eberhardum interdum magis ſe jactare, quam philoſophum decere videatur. Ita ille, *p.* 114. „*In der überſinnlichen Welt iſt alſo das Ideal des Hohenprieſters der Juden; ſollte da nicht auch das Ideal ihres* MESSIAS *ſeyn? — Ich habe dieſe Frage einigen einſichtsvollen Gottesgelehrten vorgelegt; und nachdem ſie alle den Betrachtungen, die mich darauf geführt hatten, nichts hatten entgegenſetzen können, ſo ſtutzten ſie doch, als ich ſie damit überraſchte. Sie ſahen in ein neues, unbekanntes Feld, und ahndeten Gefahren für ihr theologiſches Syſtem. Wenn hier auch Gefahren zu beſorgen wären, wie ſie es nicht ſind; ſo würde doch der höhern Macht der Evidenz weichen müſſen.*" (f).

(*f*). Ab ista gloriatione *Eberhardus* abstinuisset, si vel unam legisset *Ernestii* Disputationem, de *Officio Christi triplici*, in *Opuscc. Theoll. p.* 371. sqq.

(*ff*). Scilicet cum Platonis et Philonis eadem sit de Ideis doctrina, utriusque Pag. 37.
etiam nomine promiscue utimur. *Superiori* quidem *Capite*, ubi de Philosophia *Alexandrino-Cabbalistica* sermo erat, consentaneum duximus, Philonis frequentius, quam Platonis nomen usurpare. Hoc autem Capite, quo de Idearum natura accuratius etiam disserendum est, Platonis praesertim, qui hujus doctrinae auctor fuit, auctoritatem adhibendam esse existimavimus. In utroque autem Capite alterum nomen in locum alterius fere ubique substitui potest. Sequimur vero ducem Eberhardum.

(*g*). Quod evidenter demonstravit *Tennemannus*, *Syst. Phil. Plat. Tom.* II. Pag. 38.
p. 148. sqq.

(*h*). *Sympos. Tom.* X. *p.* 247. ἔνδε ποῦ ὂν ἐν ἑτέρῳ τινὶ, οἷον ἐν ζώῳ, ἢ ἐν γῇ, ἢ ἐν οὐρανῷ ἢ ἐν τῷ ἄλλῳ· ἀλλὰ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν. Similiter *Philo*, *Tom.* I. *p.* 4. τὸν ἐκ τῶν ἰδεῶν συνεστῶτα κόσμον ἐν τόπῳ τινὶ λέγειν ἢ ὑπονοεῖν, δυ θεμιτόν.

(*i*). Vide *Schmidtii Biblioth. für Critik und Exegese des N. T. Tom.* I. *p.* 38. Pag. 39.

(*k*). Vid. v. c. loca, quae attulit *Schoettgenius*, in libro, *Jesus verus Messias*. Pag. 40.

(*l*). Vid. *G. C. G. Weise*, *De more domini acceptos a magistris Jud. loquendi ac disserendi modos sapienter emendandi*, *Praes. F. V. Reinhardo*, *in Commentt. Theoll. Velthus. Kuin. et Rup. Vol.* V. *p.* 170.

(*m*). Huc pertinet v. c. doctrina de *Patre*, *Filio et Spiritu S.* de *fide Messiae habenda*, de *Messia mortem perpesso*, cet. Vid. inprimis scripta *Meyeri* et *Sommerii*, quae supra laudavimus.

(*n*). Possumus doctos viros commemorare, qui contendant, sententiam de Pag. 41.
Messia, quae hac epistola explicetur, omnino alienam esse et a ceterorum N. F. librorum, et ab Epistolarum ipsius Pauli argumento. Vid. *Corrodi Beyträge zur Beförd. des vernünft. Denk. Part.* X. *p.* 82. sq. et *Allgem. Deutsche Biblioth. Tom.* LXXXIV. *pag.* 382. Quo loco cum simul doceatur, hujus epistolae de Messia argumentum *Cabbalisticum* esse, etiam hac parte intelligitur, Eberhardi opinionem non prorsus *novam* et inauditam esse.

(*o*). Specimenis loco vide disputationem Anonymi, (*Bosveldii*, *Ministri Refor-* Pag. 42.
matorum Dordraceni) in Diario belgico: *Biblioth. Literar. Theol.* 1803. N. I. *pag.* 85-128. et *W. C. Li Ziegler*, *Vollständige Einleit. in den Brief an die Hebr. Gött.* 1791.

(*p*). Vid. *Ziegler.* in *Eichh. Allg. Bibl. Tom.* III. *p.* 738. Pag. 43.

(*q*). *Eichhorn*, *l. c. pag.* 926. *Ich sehe nicht ein, wie die Lehre von*

DER PERSON DES MESSIAS *eine wesentliche Lehre der Christlichen (also auch unsrer) Religion heisen könne. Uns interessirt nur die* ABSICHT *der Sendung des Messias, und nicht so wohl die Lehre* VON DER PERSON DES MESSIAS cet.

(*r*). Vid. G. C. *Storr*, *Ueber den Geist des Christenthums*, in *Flatts Magaz. P.* I. *p.* 393. sqq.

(*s*). Conf. *Corrodi Beytr. P.* IV. *p.* 16-30.

Pag. 44. (*t*). Dicuntur in Theologorum scholis *Articuli Fundamentales*, de quibus, ne alios commemorem, vid. *J. A. Dietelmaier. Theol. Betr.* I. p. 275. sqq. *Hüfnagel. Comm. de vera artic. fundam. finitione*, *Tiefstunk*, *Censur des Prot. Lehrbeg.* I. 361. sqq.

(*u*). 1 *Cor.* II. 2. Ceterum nolumus libellum nostrum onerare citandis multis locis, qui demonstrent, quantam Jesus ejusque Apostoli huic morti virtutem tribuerint. Nota sunt scripta *Grotii*, *Limborchii*, *Töllneri*, *Zachariae*, *Deedesii*, *Seilari*, ceterorumque Theologorum. Videnda inprimis disputatio *Storrii*, *Ueber den eigentlichen Zweck des Todes Jesu*, in ejus *Erläut. des Briefs Pauli an die Hebräer. p.* 363. sqq.

(*x*). Animadvertenda iterum Eberhardi cupiditas. Nisi enim ipsum placitum *de morte Christi* ei *displicuisset*, multa afferre potuisset, quibus certe *probabile* faceret, doctrinam de *Messia Patiente* jam antea Judaeis non prorsus fuisse incognitam, (quamvis eam nec ex Alexandrina nec ex Cabbalistica philosophia didicissent), cum viros doctos esse constet, qui ita sentiant. Vid. *Staeudlini Disput.* in *Biblioth. Gott. Tom.* I. *P.* IV. *pag.* 239. sqq. *Otmar*, *in Henkii Magaz. für Religionsphil. Tom.* III. *P.* II. et *J. E. C. Schmidt*, *Biblioth. für Krit. und Exegese*, *Tom.* I. *Part.* I. *p.* 43. sqq. Quam tamen sententiam perspicue refellerunt, *Tzschirner*, *Geschichte der Apolog. Tom.* I. *pag.* 40. sqq. et quos ille laudat, Auctor *Theol. N. F. Tom.* I. §. 25. *Meyer* in *Versuch einer Hermeneutik des A. T. Tom.* II. §. 207. *Doederl.* ad *Jes. Cap.* LII. *Seiler*, *Die Weissagungen*, *und ihre Erfüllung*, *pag.* 150, 210. *Ammon* in *Christologie*, *pag.* 102.

(*y*). *Cap.* VII. sqq.

(*z*). *Cap.* IV. 15. VII. 26, 27. IX. 11. sqq. 14, 25. sq. X. 10. Vid. *Storrii Introd. ad Comment. in ep. ad Hebr. pag.* XCVIII. sq.

Pag. 47. (*a*). Vid. *Tennemann*, *Syst. Phil. Plat. Tom.* II. *p.* 126, 203. sqq. Ceterum tenendum est, nos, ex sententia Platonis, non cum harum Idearum conscientia nasci, sed eas per experientiam tantum et naturae contemplationem veluti explicari. Unde intelligitur, quid sit, quod in Phaedone dicat Socrates, *discere* nihil aliud esse, quam *reminisci*. (*b*).

(*b*). Multum huic argumento tribuit *Tennemannus*, in *Pauli Memor.* I. *p.* 44. sq. cujus viri de Philosophia Platonica scriptis me, in omni hac disputatione, plurimum debere, gratus profiteor.

(*c*). Vid. *Tennemanni Syst. Phil. Plat. Tom.* II. *p.* 102. sqq.

(*d*). Vocabula εἰδῆ et ἰδέαι, quamquam saepius a Platone distinguantur, in *Parmenide* tamen promiscue usurpari, eleganter docet *Wyttenbachius* ad *Plat. Phaed. pag.* 270. sq.

(*e*). Aristoteli constat doctrinam de Ideis valde displicuisse, ut etiam scriberet Pag. 48.
Metaph. I. 7. Τὸ λέγειν παραδείγματα εἰδῆ εἶναι, καὶ μετέχειν αὐτῶν τἄλλα, κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς. Tenendum autem est, Aristotelem, ut Parmenidem, non ipsius Platonis sententiam, sed perversam ejus interpretationem refellere; quod vel ex eo intelligi potest, quod pleraque, quae adversus hanc doctrinam ab eo allata sunt, jam in Parmenide erant commemorata. Quomodo igitur Aristoteles eadem argumenta Platonis doctrinae opponere potuit, quibus ipse Plato sententiam suam a prava aliorum interpretatione vindicare studuerat? Vid. *Tennem. l. c. pag.* 102. qui idem *pag.* 134. sqq. bene ostendit, quam parum tribuendum sit opinioni eorum, qui Aristotelis auctoritate efficere voluerunt, ideas a Platone pro substantiis habitas fuisse.

(*f*). *Orat.* III.

(*g*). *Act.* II. 33. *Eph.* I. 20, 21. *Phil.* II. 9. *Col.* I. 17, 18. 1 *Cor.* XV. 24-28. cet. Plurima loca postea citabuntur.

(*h*). Rerum naturam cum fluvio instabili comparabat *Plutarch. Tom.* II. *p.* Pag. 49.
392. ποταμῷ γὰρ ὐκ ἐστὶν ἐμβῆναι δὶς τῷ αὐτῷ, καθ' Ἡράκλειτον, οὐδὲ θνητῆς οὐσίας δὶς ἅψασθαι κατὰ ἕξιν. ἀλλ' ὀξύτητι καὶ τάχει μεταβολῆς σκίδνησι καὶ πάλιν συνάγει, προσεισι καὶ ἀπεισι. θὅθεν οὐδὲ εἰς τὸ εἶναι περαίνειν τὸ γιγνόμενον αὐτῆς, Vid. inprimis *Gatak. ad Anton. p.* 126. et *Wyttenb. ad Plut.* S. N. V. *pag.* 76. qui attulit locum inprimis perspicuum e Platone in *Cratylo p.* 265. λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν ὐκ ἂν ἐμβαίης.

(*i*). Plato audivit Cratylum, qui erat ipse auditor Heracliti. *Aristot. Metaph.* I. 6. Πλάτων ἐκ νέου συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ, καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἀπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν ὐκ οὔσης, ταῦτα μὲν ὕστερον οὕτως ὑπέλαβε. Conf. *Seneca*, *Ep.* LVIII. *Diog. Laërt.* III. *Sect.* VI. et *Massueti Dissertat. in Irenaeum p.* 10. sq.

(*k*). Plurima loca in hanc rem attulit *Tennemannus*, *Tom.* II. *pag.* 106-122. Pag. 50.
Perspicua sunt verba *Iridae*, doctrinam Platonicam ad Sephiras accommodantis: *Philos. Cabbal. pag.* 50. „ *Dum videmus, res multas convenire in uno quodam*

dam, meritò concluditur: supra illud, quod in multis est, dari perfectionem aliquam unam, ab istis abstractam, per se subsistentem, et ad ea, quae suae naturae sunt, sese extendentem. Non enim dici potest, quod unum illud generale, v. g. pulcritudo, quae reperitur in multis puleris, dependeat a multis, quatenus sunt multa et diversa; quia haec, quae talia, non possunt constituere unum aliquod omnibus adaequatum, cet.

Pag. 52. (*l*). *Vol.* I. *p.* 179. Οὐκοῦν τούτων μὲν (τῶν ἀισθήτων) κἂν ἅψαιο, κἂν ὄψαιο, κἂν τοῖς ἄλλαις ἀισθήσεσιν ἐπέλθοις· τῶν δὲ κατὰ ταῦτα ἐχόντων ἐστὶν ἔστιν ὅτῳ ποτ' ἂν ἄλλῳ ἐπιλάβοιο ἢ τῷ τῆς διανοίας λογισμῷ· ἀλλ' ἔστιν ἀεὶδῆ τὰ τοιαῦτα καὶ ὄντως ὁρᾶται. *Vol.* IX. 348. τούτων δὲ ὄντως ἐχόντων, ὁμολογητέον μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον εἶδος, ἀγένητον καὶ ἀνώλεθρον, ὔτε εἰς ἑαυτὸ ὑποδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν, ὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλό που ἰόν· ἀόρατον δὲ καὶ ἄλλως ἀναίσθητον, πεῖτο, ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν. Plura vid. apud *Tennem.* III. *p.* 7. sqq.

(*m*). *Hebr.* IV. 14, 15. VI. 20. VII. 26. VIII. 1. sqq. IX. 11, 12, 24-28.

(*n*). Vid. locum Ciceronis apud *Gedik. Hist. Phil. Cit. pag.* 148. Adde *Philonem*, *Tom.* I. *p.* 6. τοσούτῳ δὲ νοητὸν τοῦ ὁρατοῦ λαμπρότερόν τε καὶ ἀγχοτέρω δέοντες, ὅσῳπερ ἥλιος, ὅμματι, σκότους, καὶ ἡμέρα νυκτὸς, καὶ τῶν ἀισθητικῶν ἀστέρων ὁ νοῦς ὁ τῆς ὅλης ψυχῆς ἡγεμὼν, καὶ ὀφθαλμοὶ σώματος.

Pag. 54. (*o*). Vid. *Strunzius*, *Hist. Bardesanis*, *p.* 49. *Morinus*, *Exerc. Bibl. Lib.* II. *Exerc.* IX. *Cap.* 4. *Bruck. Tom.* II. *p.* 841. *Massuetus* quoque *Dissert. in Iren. p.* 8. gravissimis argumentis antiquitatem Cabbalae in dubium vocat, atque libros Cabbalisticos *ante hos quingentos aut sexcentos annos* conscriptos esse, negat.

(*p*). Vid. quos laudat *Bruckerus*, *l. c.* adde *Lassium*, *Big. Diss. p.* 20. *Vitringam*, *Obss. Tom.* I. *p.* 120. *Wolfii Bibl. Hebr.* Vol. I. *p.* 1134. sqq. IV. *p.* 1012. sq. Inprimis in utramque partem disputavit *Schoettgen. Hor. Hebr. ex Talmud. Tom.* II. *p.* 901-949. laudatus a *Saskindio* in *Flavii Mag. R.* X. *p.* 54. "Quin inter ipsos Judaeos quam parum de hujus libri auctoritate et antiquitate constet, intelligi potest e loco *Schalschelethi*, *pag.* 31, 32. *Dicunt nonnulli R. Mosen filium Nachmanis istum librum invenisse in terra Israëlis, et eum misisse in Cataloniam, postquam ivisset in Aragoniam, et incidisse in manus R. Mosis de Leon: dicunt etiam quidam, quod dictus R. Mosis Leon, qui sapiens erat et doctus, has interpretationes fecerit ex ingenio suo, et quod nullam ex iis mercedem acceperit a sapientibus, illis imposuerit, et nomen R. Simeonis Jochaidis, atque sodalitii ejus inscripserit, eo, quod pauper esset et afflictus."

(*q*). *Morinus*, *l. c. p.* 873.

(*r*). *Buddeus*, *Introd. in Hist. Phil. Hebr. p.* 446. *Schoettgen. l. c. p.* 899.

(*s*).

(s). *Bruck. l. c.* 834. ſqq. *Jochaides* fuit diſcipulus *Akibhae*, qui periit in obſidione Bitterae, A. C. 138. Vid. *Basnagii Hist. Jud. p.* 348. *Urſini Antiqq. ſcholast. Hebr. in B. Ugolini Thes. antiqq. ſacr. Vol.* XXI. col. 798. ſqq. quem laudat *Kurt Sprengel Geſch. der Arzneik. Tom.* II. *p.* 177. Conf. *Buddei Iſag. Histor. Theol. p.* 122. ſqq. Fuit autem Akibha in castris *Bar Cochebae*, quem pro *Meſſia* habebat. Ex qua una re ſatis intelligi potest, quam praeclare de dignitate Meſſiae ſenſerit, quamque recte ejus exemplo Eberhardus efficere voluerit, Cabbalistas ſententiam de *intelligibili Meſſiae regno* fuiſſe amplexos! Conf. *G. Less, Ueber die Religion, Tom.* II. *p.* 549.

(t). Conf. *Commentt. Theoll. Velthus.* cet. *Vol.* V. *p.* 170. in nota.

(*). *P.* 16. *Zimmermanni Opuscc. Theol. Tom.* I. *p.* 78. *J. E. C. Schmidt, Biblioth. fur Krit. und Exegeſe Praefat.* ad *Tom.* I. *p.* 5.

(u). Supra jam diximus, non admodum nobis placere ſtudia eorum, qui ex iſis ſcriptis placita Christiana illustrare voluerunt. Non patitur inſtituti nostri ratio hac de re pluribus exponere. Ne autem de ambiguitate horum ſcriptorum, atque de imprudenti doctiſſimorum virorum ratione, qui, ut cauſae ſuae aliquam probabilitatem corraderent, magis verborum ſonos, quam *univerſam Cabbalistarum doctrinam*, curaviſſe videntur; de his igitur ne dicam, illud vehementer mirandum est, homines eruditos non animadvertiſſe, ſe magis *Systema Eccleſiasticum*, quam *doctrinam Christianam*, ex his libris illustrare. Quis enim vel unum *Meyeri* librum de *Trinitate* legerit, qui non viderit, eum ſpinas Nicaenas cum ſobria atque ſimplici N. F. doctrina confundere? Si igitur de hoc placito Patres Nicaeni recte ſtatuerint, eorumque ſententia jam antea a Cabbalistis fuerit praecepta, undenam quaeſo hanc ſapientiam Cabbalistae arripuere? Suane ſponte ad hanc tanti mysterii intelligentiam pervenerunt? Atqui ſuperat mentis humanae aciem. A Deone acceperunt? Quid est, quod Deus tantam rem in N. F. celet omnes Christianos, patefaciat Cabbalistis? Sin vero, ut errare humanum est, Confeſſus ille Nicaenus doctrinam Christianam non recte ceperit, defendatur, per nos licet, illa fides orthodoxa auctoritate Cabbalistarum; nihil ad Christi Apostolorumque doctrinam!

(v). Etiamſi Eberhardo concedamus, Cabbalistarum ſententiam e Platonica de Ideis doctrina *ortam* eſſe, tantopere tamen a nativa ſtirpe degeneravit, ut non amplius *eadem* ac Platonica, dici haberique poſſit. Atqui ne illud quidem concedi debet, cum ſententiae Cabbalisticae origo non e Platonica Philoſophia, ſed ex illa narratione (*Exod.* XXV. 40.) repetenda ſit, qua Deus *oſtendiſſe* dicitur *imaginem tabernaculi, omniumque rerum, quibus exornari deberet. Schemoth rabba Sect.* 35. Deus ita Moſen alloquitur: „*Quemadmodum tu vides* למעלה Pag. 55.

ſuperius, ſic quoque hic למטה *inferius, q. d. Exod.* XXV. 15. *Ligna Sittim ſtant: verſantur enim in* אלכסרטיא, στρατιᾳ, *exercitu coeleſti. Et ſi tu infra facies, ſicut ſuperius vidisti,* משלה של כנקליטון, σύγκλητον, *Conſiſtorium coeleſte demittam, et Schechinam meam ad vos inferius transferam. Quemadmodum vero in coelo Seraphim ſtant, ſic etiam in terra ligna Sittim ſtant. Et quemadmodum in coelo ſtellae ſunt, ſic etiam inferius: Dixit enim R. Chija fil. Aba, quod anſulae aureae in tabernaculo tamquam ſtellae apparuerint." Schir haſchirim rabba fol.* 19. 4. „ *Dixit Deus S. B. ad Moſen: Si tu ea, quae ſuperius ſunt, inferius facis, ego conſiſtorium meum coeleſte demittam et deſcendam, ea Schechina mea habitabit ſe ſuper vos inferius. In coelis Seraphim ſtant, ſic quoque in terra ligna ſittim ſtabunt, idque in modum exercitus coeleſtis cet."* Vid. *Schoettg. de Hieros. Coel. p.* 1206. ſqq.

(*w*). Ecce tibi primum idque immenſum utriusque doctrinae discrimen.

Pag. 57. (*x*). Hic rurſus apparet, quot nominibus a Platonis doctrina commenta Cabbaliſtica discrepent. Plato tantum in intellectu divino Ideas collocabat: Cabbaliſtae vero rerum exemplaria *per ſe* exiſtere, ſtatuunt. Ille, quicquid concretum atque corporeum eſſet, ab Ideis ſuis arcebat: hi rerum coeleſtium magnitudinem, altitudinem, latitudinem, pedibus metiuntur. Vid. *Schoettg.* 1211, 1213. Plato Ideas aeternas eſſe cenſebat: Cabbaliſtae, ut laudata loca docent, coeleſtia non tantum eodem, quo terreſtria, tempore condita eſſe ſtatuunt, verum etiam nonnulli eorum exiſtimant, res coeleſtes demum *poſt* terreſtres caſe creatas. *Tanchuma fol.* 39. 2. *Hieroſolyma coeleſtis ad eundem modum, quo terrena, exſtructa eſt. Prae nimio enim amore terrenae, Deus ſimilem in coelo fecit.* Ibid. *fol.* 35. 3. *Dixit Deus S. B. In hoc mundo fecistis mihi tabernaculum et templum, quae fuerunt inſtar muri: at futuro tempore ego aedificabo templum, quod muro igneo circumdatum erit.*

(*y*). Vid. *Deederl. Inſtit. Theol. Chr. Tom.* II. *p.* 475. ſqq.

(*z*). *De notione Sacerdotis in Ep. ad Hebraeos*, in *Opp. Theol. p.* 223. ſq. Conf. *Deylingii Obſ. Sacr. Tom.* I. *p.* 369. ſqq.

Pag. 60. (*a*). Saepiſſime Auctor hujus epiſtolae, quo Hebraeis religionem Chriſtianam commendet, Chriſtum atque res Chriſtianas cum antiquis claris hominibus, (ut cum Moſe), rebusque conferre ſolet. Vid. *Cap.* III. 1. ſqq. 7. ſqq. 18. ſqq. IV. 1. ſqq. Recteſſime *Deederlinius l. c. Illud intelligendum eſt, totam illam de ſacerdote Jeſu diſputationem Paulinam ſpectare ad Chriſtianos ex Hebraeis, qui in Palaeſtina viverent eſſentque magis tenaces patrii moris et diſciplinae, duabus maxime rebus, Moſis auctoritate ac ſacerdotii honore, illuſtris, quibus quid ſimile aliquid in religione Chriſtiana tenui et ſimplici minime reperirent,* re-

periculum erat, ne hanc ſimplicitatem in contemtum adducerent, et vetere adſuefactione animi ad Moſis admirationem, oculorum autem ad pompam ſacerdotii caperentur. His igitur demonſtrandum fuit, novam quoque disciplinam haud carere ſacerdotis dignitate, ſed, cum in cetera honore, in hoc quoque ſupra veterem longe eminere. Pag. 61.

(*b*). Saepius diximus, Eberhardum parum novi docuiſſe; quod iterum hoc loco animadvertere liceat. Jam dudum enim *Schoettgenius*, *pag.* 1221. doctrinam Epistolae ad Hebr. de Christo ſacerdote cum Cabbalistarum ſententia contulerat.

(*c*). *Praefat. Tom.* I. et III.

(*d*). Vid. *Reinhardi* Diſſ. *De Christo, ſuam dum viveret, reſurrectionem praedicente*, in *Commentt. Theoll. Velthus. Tom.* III. *p.* 1. ſqq. Pag. 63.

(*e*). Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου· πορεύου δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς· ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου καὶ θεὸν ὑμῶν. Quae verba, ſi vera ſit Eberhardi opinio, intelligi nullo pacto poſſunt. Si enim, ut ille putat, Ideae Jeſu in coelo *aeternitas* voce ἀναβάσεως improprie ſignificatur, quomodo igitur Jeſus dicere potuit ſe *nondum* ἀναβεβηκέναι? An igitur tunc, cum hoc Servator diceret, aeternitatis tamquam filum interruptum fuit?

(*f*). Vid. *Act.* XX. 28. *Rom.* III. 24. 1 *Cor.* I. 30. VI. 20. VII. 23. *Eph.* I. 7. *Col.* I. 14. 1 *Petr.* I. 18, 19. 2 *Petr.* II. 1. 1 *Joann.* I. 7. Pag. 64.

(*g*). Vid. *Jeruſalem Betracht. Tom.* III. *p.* 684. ſqq. *Jehne in Commentt. Theoll. Velth. Tom.* II. *p.* 233. ſqq. *Tittmanni* Disp. *De Reſurrectione Mortuorum beneficio Christi*, in *Opuscc. Theoll. p.* 469. ſqq. Pag. 65.

(*h*). Vid. *Act.* II. 24. XVII. 31. *Rom.* IV. 24. VI. 4. VIII. 11. 1 *Cor.* VI. 14. XV. 15. 2 *Cor.* IV. 14. *Gal.* I. 1. *Eph.* I. 19, 20. *Col.* II. 12. 1 *Theſſ.* I. 10. *Hebr.* XIII. 20.

(*i*). Ipſe Eberhardus, *Tom.* III. 120. ſq. ſententiam ſuam cum *Cap.* XV. 1. ad *Cor.* haud facile conciliari poſſe fatetur. Attamen, ut est nimirum ingeniosus, ita ſe expedit. „ *Jeſus iſt der Meſſias, deſſen ewiges Urbild im Himmel iſt. Er muſz alſo auferſtanden, gen Himmel gefahren und im Himmel als König und Meſſias regieren. Hier muſz er ein Volk haben, über das er herrſche. Dieſes Volk ſind ſeine Gläubigen; dieſe müſſen auch nach ihrem Tode fortdauern, und mithin auferſtehen. Wenn alſo Christus oder der Meſſias nicht auferſtanden iſt, ſo haben auch wir keine gewiſſe Hoffnung der Auferſtehung, und unſer Glaube iſt eitel. Iſt aber keine Auferſtehung, iſt gar keine überſinnliche Welt, ſo iſt auch Christus nicht auferſtanden; es iſt kein himmliſcher Meſſias, und wir haben vergebens an ihn geglaubt.*“ — Scilicet hoc est interpretari

Sacras Literas! Itaque corporum resurrectio nulla est. At quis ignorat, omnem Apostoli disputationem non esse de animorum, sed de corporum conditione futura, nec posse illam *feminis* comparationem ad quicquam aliud referri vs. 36. sq.? Fore autem corporum restitutionem, sive potius, fieri eam posse, Christi exemplo confirmat, vs. 12. Christum autem re vera in vitam rediisse, adeoque ejus corpus e sepulcro excitatum esse, ita demonstrat, quod is, qui ἐτάφη, etiam ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κατὰ τὰς γραφάς. Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, ἐξ ὧν οἱ πλείονες μένουσι ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν. Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη καὶ Παύλῳ, vs. 4. sqq. Quali tandem machinâ talia loca aliter quam de corpore Christi explicari posse putemus? Quod si ita est, ceterorum quoque hominum *proprie* intelligatur resurrectio necesse est. Deinde: cum reliquorum in vitam reditum Paulus similem esse reditûs Christi doceat, quaerimus, quomodo universalem illam eamque impropriam resurrectionem Eberhardus interpretetur? Conjungit notiones, *nach dem Tode fortdauern*, et, *auferstehen;* quas igitur pro *iisdem* habere videtur. *Morti autem superstitem esse*, intelligi potest aut *de animi immortalitate*, aut *de Idearum aeternitate.* Si *animi immortalitas* eadem sit quae corporis resurrectio, nulla Christi et reliquorum hominum remanet similitudo, cum, ut ait Eberhardus, Christus propter *Ideae in coelo aeternitatem*, hi vero *propter immortalitatem animi* resurgere dicantur. Sin vero homines propterea improprie reviviscere perhibeantur, quod eorum πρότυπα sint in coelo, integra quidem est Christi et reliquorum similitudo, sed rursus quaerimus, quod saepius jam quaesivimus, *quid*, secundum hanc sententiam, *Christus proprium et peculiare sit expertus*, cum toties et cum tanta momenti significatione redux in vitam dicatur? Ceterum videndus est *Knappius*, *De nexu resurrectionis J. C. e mortuis et mortuorum ad illustranda varia loca N. T. inprimis* 1 *Cor.* XV. 12-19. *In Opuscc. Varii Argum. p.* 337. sqq. et *Toblerus*, *Auferstehungslehre von Paulus.* 1792.

(*k*). Similiter hoc vocabulo de mortuo in vitam reducendo utitur *Homerus*, *Iliad.* Ω vs. 550. sq.

Οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἱος ἑῆος,
Οὐδέ μιν ἀνστήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθῃσθα.

Adde *Euripid. Alcest.* vs. 125. et Hercul. Fur. vs. 721.

Ceterum cum vocem ἀναστάσεως semper *proprie* sumi dicimus, id volumus, eam numquam *in historica narratione sensu improprio* usurpari. Nam de *Morali* illa *Resurrectione*, quam nonnulli, (quamquam falso, ut nobis quidem vi-

videtur), *Joann.* V. significari existimant, hic non agimus. Vid. de ea *E. Sneedorf Hammer*, Diss. *Mortuorum in vitam revocatio sermonibus Christi historicae interpretationis ope vindicata*, *Tittmanni Opuscc. Theoll.* 474. sq.

(*l*). *Hieros. Chetubb. fol.* 35. 1. „ *Jussit R. Jeremia, cum me sepelitis, induite pedibus meis calceos et baculum date in manum meam, meque in latus unum reponite, ut, cum advenerit Messias, sim expeditus.*" Et in ipso *Sohar Genes. fol.* 77. *col.* 303. *Traditio est, R. Jochanan dixisse: Metatron, qui est puer, servus Domini sui, praefectus animae omni tempore, rationem sumturus est in sepulcris a Dumah, angelo, mortuis praefecto, illumque Domino suo oblaturus est. Idem ille fermentationem ossium intra terram jacentium suscipiet, ut corpora restituat, eaque in integritate sua, sed sine anima constituat. Deus vero S. B. illam in locum suum collocabit.*" Ibid. *fol.* 69. *col.* 271. *R. Pinchas dixit: Deus S. B. corpora justorum tempore futuro tam pulcra reddet, sicut corpus Adami fuit, cum in paradisum ingrederetur. R. Levi dixit: Quando anima adhuc in coelo est in lumine coelesti, tunc illo vestitur: quando vero ad corpus redibit, cum eodem hoc lumine fiet* ואז יאיר כזהר הרקיע. Plura vid. apud *Schoettg. in Hor. Hebr. Talm.* passim, et *C. F. Staeudlinum*, *Doctrinae de futura corporum exanimatorum instauratione ante Christum historia*, in *Commentt. Theoll. Vol.* I. *p.* 268. sqq.

(*m*). Jam ante Christum doctrinam de corporum instauratione satis cognitam fuisse Judaeis constat, quamquam ea de re saepius disputatum fuit. Vid. *Staeudl.* l. c. *Planck*, *Einleit. in die Theoll. Wissensch. Tom.* II. *p.* 454. *Ammon*, *Opuscc. Theoll. p.* 78, *Bellerman*, in libro: *der Theologe*, *Tom.* I. *p.* 192. *Corrodi*, *Beytr. P.* V. *p.* 39. Nemo autem fuit, qui e Judaeorum scriptis vel unum locum adduxerit, in quo de *impropria* ista resurrectione sermo sit. Quin ipse Eberhardus, *Tom.* III. *p.* 30. *Josephum*, fatetur, *propterea resurrectionis nullam mentionem fecisse, quod haec doctrina Judaica ab ingenio Graecorum maximopere abhorreret.* Itaque Judaei corporum restitutionem *proprie* interpretabantur. Quod autem Eberhardus sententiam suam Muhammedis quoque auctoritate munire studet, (*Tom.* III. *p.* 118.) ea in re miram inscitiam prodit. Cum enim Muhammedes beatorum sedem voluptariis rebus replet, quis nescit, non philosophiam de Ideis in hanc eum sententiam induxisse, sed potius omne hoc commentum eo consilio ab eo excogitatum esse, ut homines in partes suas alliceret, multitudinisque levitatem voluptate quasi titillaret? Vid. *Pastoret* in libro: *Zoroaster, Confucius et Mahomed. p.* 251. sqq.: Etiamsi vero omnia, quae de Paradisi amoenitate Muhammedes narrat, nihil nisi rerum terrestrium ideae essent, qua tandem interpretationis violentia corporum quoque instauratio,

quae

quae saepissime propriis verbis in Corano commemoratur, (vid. *Pastoret*, *l. c.*) ad Ideas Platonicas referri poterit? *Zoroastrem* quoque corporum instaurationem docuisse, constat, vid. *Pastoret*, *l. c. p. 27.* et *Kleuker*, *Zendavesta im klein. Part.* II. *pag.* 351.

Pag. 67. (*n*). Nota sunt scripta *Dittoni*, *Scherlokii*, *Luderwaldii*, *Doederlinii*, *Lessii*, aliorum. Ceterum illud etiam monendum videtur, non posse, si vera sit Eberhardi opinio, intelligi, cur Jesus toties praedixerit, se *tertio* demum post obitum *die* in vitam rediturum, cum ea temporis notatio non tantum plane *otiosa* verum etiam *falsa* esset. Ecquem denique sensum Eberhardus iis locis tribuat, quibus Servator suum in vitam reditum tamquam *argumentum suae auctoritatis* commemorat?

ANNOTATIO AD CAP. IV.

Pag. 70. (*a*). Vid. ne alios dicam, *Less*, *Ueber die Religion*, *Tom.* II. *p.* 193. sqq. et *H. L. Huebneri diss. Miraculorum ab Euangelistis narratorum interpr. Grammatico-historica*, *pag.* 2. Wittenb. 1807.

(*b*). *Pag.* 162. Nota sunt scripta *Pauli*, *Thiessii*, *Eckii*, aliorum.

(*c*). In celebri *de Miraculis* disputatione. Vid. *Less.* l. c. *p.* 195.

(*d*). *Pag.* 172. *Dieser Kinderglaube vermag nicht Zwischen dem Natürlichen und Uebernatürlichen so scharf, wie wir, zu unterscheiden; und darum ist ihm das Wunderbarste nicht unglaublicher als das Alltägliche, und das Alltägliche und Natürliche nicht begreiflicher als das Wunderbare. Ihm ist daher ein Weisheitslehrer auch immer ein Gottgesandter, ein Weissager, ein Wunderarzt: denn er weiz noch nicht, das man Krankheiten mit natürlichen Mitteln heilen, oder dasz man etwas durch Erfahrung und Nachdenken wissen könne.*

Pag. 71. (*e*). Vid. *pag.* 173. sqq. Perobscura est hoc loco Eberhardi oratio. Memini a Vobis, eruditissimi Viri, quaestionem ita esse publice propositam, ut satis appareret, Auctorem Vobis videri *universas* miraculorum narrationes a poëtico fingendi studio repetere. Atque nobis quoque ita probabilius videri, infra dicemus. Cum autem Eberhardi disputatio hoc loco praesertim in *natalibus* Christi consumatur, interdum existimavimus, Auctorem fortasse hanc *unam* historiam tantum pro ornamento poëtico habere. Nos igitur, ne incertum certamen ineatur, utramque sententiae Eberhardianae interpretationem tenebimus, atque primum quidem vobiscum, Viri doctissimi, sumemus, Auctorem de *universis* miraculorum narrationibus loqui: deinde vero, cum ad exitum hujus Capitis perventum erit, de Christi natalibus peculiariter disseremus.

S.

(*f*). Omnes miraculorum vindices hoc loco enumerare, infinitum ſit. Satis nota ſunt, quae de hoc argumento ſcripſerunt, *Campbellus*, *Noesſeltus*, *Leſſius*, *Farmerus*, *Möllerus*, *Clariſius*, *Storrius*, alii permulti.

(*g*). Reditus Christi in vitam σημεῖον appellatur, quod est uſitatum miraculo- Pag. 72.
rum nomen, *Matth.* XII. 39, 40. *Joann.* II. 18, 19, 21.

(*h*). Conf. *Huetii Demonſtrat. Euangel. pag.* 827. ſq. et *locus Soharicus*, quem Pag. 75.
affert *Schoettgen.* ad *Matth.* IV. 23. Idem et *Wetſt.* ad *Matth.* XI. 5. *Huebnerus*, l. c. *pag.* 10. *not.* 39.

(*i*). Poëtarum ea est ratio, ut multas res mirabiles fingant, *uno ornandi poëmatis ſtudio ducti;* neque id postulant, ut alii fictas ſuas fabulas verae vim historiae habere, credant. Historici vero, etiamſi *fictum* miraculum referant, id non faciunt *ornandi* cauſa, ſed ſibi *fidem haberi* volunt. Itaque non negamus in antiquorum historicorum, Graecorum, Romanorum, Judaeorum, ſcriptis multa reperiri *ficta* miracula, ſed negamus ea ficta esſe tantum *ornandae orationis* cauſa, ſicut *Paradiſum* ſuum *Amiſſum* Geniis replevit *Miltonus*. Contendimus illos historicos *aliis perſuadere* voluiſſe, *vera esſe*, quae narrent, *miracula*.

(*k*). Vid. v. c. quae narrat de *rubo ardente*, *Tom.* II. *pag.* 91. de *nube* Pag. 76.
ante Israëlitarum exercitum incedente, *pag.* 105. de *Moſis jejunio*, *p.* 146. cet.

(*l*). *Tom.* II. *p.* 114. Ἐι δέ τις τούτοις ἀπιστεῖ, θεὸν ὄυτ' ὶδεν, ὄυτ' ἐζήτησε πώποτε· ἔγνω γὰρ ἂν, ἐυθέως ἔγνω, παγίως καταλαβὼν, ὅτι τὰ παράδοξα δὴ ταῦτα καὶ παράλογα, θεοῦ παίγνιά ἐισιν, ἀπιδὼν ἐις τὰ τῷ ὄντι μεγάλα καὶ σπουδῆς ἄξια, γένεσιν ὐρανοῦ, καὶ πλανητῶν καὶ ἀπλανῶν ἀστέρων χορείας, καὶ φωτὸς ἀνάλαμψιν, ἡμέρας μὲν ἡλιακοῦ, νύκτωρ δὲ τοῦ διὰ σελήνης, καὶ γῆς ἵδρυσιν ἐν τῷ μεσαιτάτω τοῦ παντὸς, ἠπείρων τε καὶ νήσων ὑπερβάλλοντα μεγέθη, καὶ ζώων καὶ φυτῶν ἀμυθήτους ἰδέας, ἔτι δὲ καὶ πελαγῶν ἀναχύσεις, ποταμῶν ἀυθιγενῶν καὶ χειμάῤῥων φορὰς, ἀεννάων ῥεῖθρα πηγῶν, ὧν ἀι μὲν ψυχρὰν, ἀι δὲ θερμὸν ὐδάτων ἀνομβροῦσι. — Ἀλλὰ ταῦτα μὲν πρὸς ἀλήθειαν ὄντα θαυμάσια, καταπεφρόνηται τῷ συνήθει· τὰ δὲ μὴ ἐν ἔθει, κἂν μικρὰ ᾖ, ξέναις φαντασίαις ἐνδιδόντες, καταπλητόμεθα τῷ φιλοκαίνῳ. Niſi igitur Philonem ſolem, lunam, fontes, cet. quae oculis cernimus, pro ornamentis tantum poëticis habuiſſe existimas, nullo pacto illud Moſis miraculum ornandae tantum orationis ſtudio tribuere potuit.

(*m*). *Eberh. Tom.* III. *p.* 24. ſq.

(*n*). *Eberh. l. c. p.* 27. ſqq. *Storrii Opuscc. Acad. Tom.* I. *p.* 42. ſqq.

(*o*). Vid. loca Joſephi permulta, quae attulit *Huebnerus* l. c. in *Addendis* ad *pag.* 10. *not.* 35.

(*p*). *Antiqq. Jud. Lib.* X. *Cap.* II. §. 1. *p.* 514. *Haverc.*

(*q*). Multa exempla attulit *Huebnerus*, l. c. *pag.* 10. *not.* 35.

(*r*). Vid. notas ad *Josephi Antiqq. Lib.* III. *Cap.* I. §. 2.

(*s*). Satis sit, unum locum attulisse. Cum Israëlitarum per Mare Rubrum transitum enarrasset, ita pergit, *Antiqq. Lib.* II. *Cap.* XVI. §. 5. Ἐγὼ μὲν οὖν εὗρον ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ὅντως ἕκαστον τούτων παραδοκῆσαι. θαυμάσει δὲ μηδεὶς τοῦ λόγου τὸ παράδοξον, εἰ ἀρχαίοις ἐνδράσιν καὶ πανηρίας ἀπείροις εὐρέθη σωτηρίας θεὸς καὶ διὰ θαλάσσης, εἴτε κατὰ βούλησιν Θεοῦ, εἴτε κατ' αὐτόματον· ὁπότε καὶ τοῖς περὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν βασιλέα τῆς Μακεδονίας χθὲς καὶ πρώην γεγονόσιν ὑπεχώρησε τὸ Παμφύλιον πέλαγος, καὶ δδὸν ἄλλην δυκ ἔχουσι παρέσχε τὴν δι' αὐτοῦ. Non igitur negat Josephus Israëlitarum exercitum trajecisse Mare Rubrum, (vid. *Relandi* notam ad locum Josephi), sed illum transitum ad causam naturalem revocat, eumque cum Alexandri transitu comparat.

Pag. 77. (*u*). Loca, quibus Apostoli tantum tribuunt miraculis, infra in *altera Sect.* occurrent. Nunc sufficiat laudavisse *Augusti Theol. Monathsschrift* 1801. *pag.* 316. sqq.

(*v*). Vid. *H. G. Tzschirner, Gesch. der Apol. Tom.* I. *p.* 148. sqq.

(*w*). Vid. praeter alios, *Wagenseilii Tela ignea Satanae, Eisenmeng. Entdeckt. Judenth. Tom.* I. *pag.* 154, 157, 158, 165, 166. *Less, Ueber die Relig. Tom.* II. *p.* 350. sqq. *Lardner, large collection of ancient Jewish*, cet. *Tom.* IV. *p.* 764. sqq.

(*x*). Speciminis causa unum affero locum *Juliani*, quem ita refert *Cyrillus contr. Julian. p.* 191. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀναπείσας τὸ χείριστον τῶν παρ' ἡμῖν, ὀλίγους πρὸς τοῖς τριακοσίοις ἀναπείθει, ἐργασάμενος παρ' οὐ ἔζη χρόνῳ λέγειν οὐδὲν ἀποῦς ἄξιον, εἰ μή τις οἴεται τοὺς πολλοὺς καὶ τυφλοὺς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐξορκίζειν ἐν Βηθσαϊδᾷ καὶ ἐν Βηθανίᾳ ταῖς κώμαις, τῶν μεγίστων ἔργων ὄντι. His multa addi possunt e libris *Origenis contr. Cels.* allisque, vid. *Lardner* l. c. *Schroeckh Kirchengesch. Tom.* III. *p.* 296 sqq. *Less.* l. c. *p.* 355. sqq. *Ernesti N. Theol. Biblioth. Tom.* III. *p.* 605. sq. *Doederl. Instit. Theol. Tom.* I. §. 13. *obs.* 3. *Tzschirner, Gesch. der Apol. Tom.* I. *p.* 226.

Pag. 78. (*y*). Dicit quidem Auctor, *pag.* 168. Patres Ecclesiasticos miraculorum causam pervertisse, atque aliter de iis sensisse, quam Jesum ejusque Apostolos. Verum ea accusatio non ad miraculorum *interpretationem*, sed ad eorum *vim probandae doctrinae* pertinet, quam Patres demum Ecclesiastici miraculis perverse tribuerint. Qua de re postea videbimus. Etiamsi quis vero argumentationem nostram, qua efficere studuimus hanc historias exornandi consuetudinem prioribus post Christum Natum seculis prorsus incognitam fuisse, cum in Patrum scriptis ne verbo quidem ea consuetudo commemoretur, ita labefactari posse putet, ut dicatur, satis esse, si modo *tempore Jesu et Apostolorum* ea fuerit

His-

Historicorum consuetudo, cum postea ea res in desuetudinem abierit, atque Patres fictis fabulis verae historiae auctoritatem tribuerint; is quidem nihil dicat. Primum enim, qui factum est, ut tot docti Patres *Iustinus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, alii, qui omnem Graecam Judaicamque eruditionem complectebantur, hanc unam consuetudinem ignoraverint? Deinde, qui fieri potuit, (quod supra jam attulimus), ut ne eruditissimi quidem eorum *adversarii*, *Celsus*, *Hierocles*, *Porphyrius*, *Julianus*, eum historicorum morem recordati fuerint? Antequam vero huic loco de veritate miraculorum historica finem imponamus, aliquid monendum est, quod bene a lectoribus teneatur velim. Cum ad *alteram Sectionem* perventum erit, videbimus admodum obscuram esse Eberhardi de veritate miraculorum *historica* disputationem, cum ad eam infringendam non *una*, sed *duabus* rationibus uti videatur, quamvis, more suo, utramque confundat, atque pro *una* habeat. Altera ratio est, *ut miracula ab Euangelistis poëtarum more esse conficta*, dicat, *ad exornandam Jesu vitam*. Altera, *ut miraculorum narrationes ex popularibus atque incertis rumoribus fluxisse*, contendat, *quos ornandae historiae causâ, more illius temporis, in rem suam Euangelistae converterint*. Quomodo utraque sententia simul vera esse possit, Auctor viderit. Nos vero, cum ostendere voluimus, rationem, qua Eberhardus miraculorum veritatem historicam labefactare studuerit, ejusmodi esse, ut Auctor *et* secum ipse, *et* cum Philonis ac Josephi auctoritate pugnet, de *priori* tantum illa ratione locuti sumus, *qua miracula ab ipsis Euangelistis poëtice esse conficta*, dicit. Atque hoc propterea dicimus, ne videamur disputationi nostrae plus tribuere, quam ei jure tribui debeat. Quamquam, si de *posteriori* quoque ratione dicere vellemus, satis multa afferri possent, quibus efficeretur, parum sibi Eberhardum constare. Fac enim, ut hoc utar, miraculorum in N. F. narrationes *e popularibus rumoribus* manasse: etiamne illam *de resurrectione Christi* narrationem? Si negas, quid est, quod hanc unam historiam excipias? sin ais, quomodo tandem Apostoli hoc *populari* rumore referendo significare potuerunt, *ideam Messiae in coelo esse?* Nisi forte plebeculam Christianam, quae hunc rumorem sparsisset, abditissimos Philosophiae Platonicae recessus perspectos habuisse, arbitrare! Atqui, inquit, populus quidem hanc Jesu resurrectionem *proprie* intellexit, Apostoli vero hunc rumorem adhibuerunt ad Platonicae doctrinae commendationem. Minime vero! quomodo enim *impropriam hanc orationem* intelligere illi potuerint, qui *ipsam rem proprie* acciperent? Plura adjungi poterant; sed neque patitur instituti nostri ratio, neque adeo necessarium videtur.

(z). Ut reliquas artes, sic etiam artem *medicam* ad Deos refert Homerus, ut *Iliad.* Δ. *vs.* 210. sqq. *Odyss.* Δ. *vs.* 229. sqq. At quis non videt, opinionem Homeri

poëtae, qui artis nascentis veluti infantiam viderat, male transferri ad *philoſophum*, qui multis postea ſeculis vixit. Vid. *H. W. A. de Marées*, *Verſuch über die Cultur der Griechen zur Zeit des Homer*, *pag.* 69-73. Ceterum, quam male Philoni ejusque aequalibus haec rerum phyſicarum ignorantia tribuatur, intelligi potest e libro medici elegantisſimi, *Kurt Sprengel*, *Geſchichte der Arzneik. Tom.* II.

(*a*). Joſephus quoque quantum abhorreat a miraculorum captatione et amore, intelligitur ex iis locis, ubi multa V. F. miracula ad cauſas naturales revocare ſtudet, vid. *Huebner*, *l. c. pag.* 10. *not.* 35. Utque mirandum est, quod ſupra diximus, Graecos Judaeosque religionis Christianae adverſarios miraculorum *hiſtoricam* veritatem non ita infregisſe, ut ea *poëticae fictioni* tribuerent, ita non minus mirandum est, eos horum miraculorum *phyſicam* veritatem non ita attenuasſe, ut ea ad medicam potius *dexteritatem*, quam ad *artes magicas* et ad *Schemhammphorasch* referrent, quod tamen ſecus factum conſtat. Vid. *Moshemii Verſio Germ. Origen. contr. Cels. p.* 23, 25. *Eiſenmeng. Entdeckt. Judenth. Tom.* I. *p.* 154, 157, 158. *Tzſchirner*, *l. c.* 226[10]. ſq.

Pag. 79. (*b*). Conf. *Ammon*, *Opuscc. Theoll. p.* 14. ſq.

Pag 81. (*c*). Vid. *Cotta ad Gerhardi Loc. Theol. Tom.* XII. *p.* 93. et *S. F. N. Morus*, *Epitome Theol. Chr. p.* 26. Ceterum de variis miraculorum definitionibus vid. *Ammon*, *Comment. de notione Miraculi*, *Tieftrunk*, *Cenſur des Christl. Protest. Lehrbegr.* I. 210. *Paulus in N. Theol. Journ.* IX. *p.* 284. alii, quos laudant *Beckius* in *Commentt. Decret. p.* 22. et Auctor libri: *Die Aufhellungen der neueren Gottesgelehrten von* 1760 bis 1805. *Tom.* I. *p.* 541. ſqq. Eberhardi autem ſententia ab aliis jam erat occupata: vid. *Tieftrunk*, *l. c. p.* 298. ſqq. *Kant*, *Relig. innerh. den Gränz. der bl. Vern. p.* 107. ſqq. *Fichte Crit. aller Offenb. p.* 48.

Pag. 82. (*d*). Vid. *F. V. Reinhardi Diſp. utrum ad judicium de miraculis requiratur univerſae naturae accurata cognitio*, in *Opuscc. Theoll. Tom.* I. *p.* 173. ſqq. *Flatt*, *Beytr. zur Dogmat. und Moral*, *p.* 69. ſqq. et quos laudat *pag.* 70.

(*e*). Vid. praeter *Leſſium*, aliosque miraculorum vindices, *C. F. Staeudlin*, *Ideën zur Kritik des Sytems der Christl. Religion*, *pag.* 177.

(*f*). Tenendum est, Eberhardum *h. l.* disputare non adverſus historicam, ſed phyſicam miraculorum veritatem; adeoque non quaeri, an aliquid vere acciderit, ſed, an id, quod acciderit, verum miraculum ſit, nec ne?

(*g*). Conf. praeter alios, *Storrii Doctr. Chr. Pars Theoret. p.* 34. ſqq. qui breviter, ſed accurate, demonſtravit, has περιστάσεις (eas certe, de quibus, maxime quaeritur) Jeſu miraculis fuisſe adjunctas.

Pag. 83. (*h*). Vid. *Werenfelſii Opuscc. Tom.* I. *p.* 98. *Huebneri Diſſert. Exeget. de Mirac. p.* 23. ſqq.

(*i*).

(*i*). *W. Paley, Overzigt der bewijzen voor het Christend. Tom.* I. *p.* 300 sq. *Flatt. Beytr. zur Christl. Dogm. und Moral. p.* 33. sqq.

(*k*). Sententia nostra declarari melius non potest quam verbis acutissimi viri *Jos. Butleri*, in libro praestantissimo: *The Analogy of Religion natural and revealed, pag.* 245. ed. 7^mae^. „ *But it may possibly be disputed, how far miracles can prove natural religion; and notable objections may be urged against this proof of it, considered as a matter of speculation: but considered as a practical thing, there can be none. For suppose a person to teach natural religion to a nation, who had lived in total ignorance or forgetfulness of it; and to declare he was commissioned by God so to do: suppose him, in proof of his commission, to foretell things future, which no human foresight could have guessed at; to divide the sea with a word; feet great multitudes with bread from Heaven; cure all manner of diseases; and raise the dead, even himself, to life: would not this give additional credibility to his teaching, a credibility beyond what that of a common man would have; and be an authoritative publication of the law of nature, i. e. a new proof of it? It would be a practical one, of the strongest kind, perhaps, which human creatures are capable of having given them. The law of Moses then, and the gospel of Christ, are authoritative publications of the religion of nature: they afford a proof of God's general providence, as moral Governor of the world; as well as of his particular dispensations of providence towards sinful creatures, revealed in the law and the gospel. As they are the only evidence of the latter; so they are an additional evidence of the former.*" Cum quo loco conf. *J. F. Kleuker, Neue Prüfung und Erklär. der vorzügl. Beweise* cet. *Tom.* I. *p.* 409. sqq. et *Storr*, in *Flattii Magaz. Part.* IV. *p.* 184. sq. Ejusdem *Bemerkungen über Kant's Philosoph. Religionslehre, p.* 64. sqq. Pag. 84.

(*l*). Vid. hac de re *J. A. Ernesti Vindiciae arbitr. div. in Relig. constit. Opuscc. Theoll. p.* 169. sqq. *J. F. Kleuker, l. c. p.* 145. sqq. *Tom.* II. *p.* 1-33. *J. S. Semler, letztes Glaubensbek. über natürl. und Chr. Relig. J. K. S. Rademacher* in *Henkii Magaz.* III. *p.* 1. sqq. *Storr*, in *Flattii Magaz. Part.* I. *p.* 103. sqq. ne alios laudem.

(*m*). Quanta esset in hac argumentatione temeritas, ostendit quoque *Kantius, Relig. innerhalb die Gränzen d. blosf. Vernunft, p.* 111. Pag. 85.

(*n*). Vid. *Jacob, Annalen der Philosophie, Part.* LXXXIX. *pag.* 711. *C. C. Flatt, Philos. und historisch-exeget. Bemerk. über die Wunder Christi*, in *J. F. Flattii Mag. P.* III. *p.* 17, 24-29. collat. *Paley, Overzigt der bew.* cet. *Tom.* I. *p.* 18. sqq. 91. sqq. *Zimmermanni Opuscc. Theoll. Tom.* II. *p.* 41. sq.

(*o*). *Wir müssen uns also auf einen höhern Standort stellen, wenn wir die Er-*

zählungen der Evangelisten von den Wundern Jesu in einen solchen allgemeinen Gesichtspunkt fassen wollen, der die Heiligkeit seines Charakters unberührt lässt. Ich weiss sehr wohl, wie viel ich wage, indem ich vielleicht der Erste bin, der sie ohne Umwege auf diesen Standort geradezu hinweiset. Sie werden mich daher gewiss nicht tadeln, wenn ich mit einiger Furchtsamkeit an das Werk gehe, und, um Ihren Scrupeln zuvorzukommen, Sie durch einige allgemeine Betrachtungen darauf vorbereite. Papae! quae tandem ista gloriatio est, quae novitatis fames, qui pruritus! Tribus rationibus, ut vidimus, Eberhardus impugnat miracula, ut eorum narrationes *aut* ex rerum naturalium ignoratione, *aut* ex poëticae fingendi libidine, *aut* ex rumorum levitate esse profectas statuat. Et de hac quidem *postrema* ratione postea videbimus. *Primam* autem illam minime *novam* esse, norunt omnes, qui quidem scripta eorum, qui superiori seculo miracula infringere studuerunt, legerint, vid. ne alios dicam, *Rousseavium* apud *Lessium*, *über die Rel. Tom.* II. *p.* 190. sq. *Altera* autem ratio, qua miraculis aut sensus *Allegoricus* tribuitur (ut resurrectioni Christi), aut praeter poëticam dictionis luxuriem nihil iis relinquitur, ejusmodi est, ut, quamvis rarius usurpata, minime tamen digna sit, quae novitatis palma ornetur. Quis enim ignorat, *Woolstonum* jam miracula *allegorice* esse interpretatum, in ejus *Six discourses on the miracles of our Saviour*, et in *Moderator between an Infidel and an Apostate?* Qui autem ante Eberhardum miracula jam ad *poëticum* dicendi genus referret, fuit *Hallenbergius*, *Geheime Lehre der alten Orientaler und Juden p.* 277. Rost. 1803, Utinam *veri* magis quam *novi*, cupidus fuisset Eberhardus!

(*p*). Quam belle Eberhardus ita dicat, intelligi potest vel ex uno *J. A. Fabricii* libro: *Delect. argum. et syllabus scriptorum pro veritate Rel. Chr. Cap.* XLIII. Miram profecto et inauditam eruditorum hominum discordiam! Quod enim Eberhardus impudenter contendit, unicum semper fuisse in *Ecclesia Protestantium* argumentum veritatis Rel. Chr. id ipsum *Ernestius* putat, *nemi-nem* fortasse *umquam* ad argumenta retulisse. *N. Theol. Bibl. Tom.* V. *p.* 349.

Pag. 86. (*q*). *Lettres de la Montagne*, *L.* III. *p.* 65. sq.

(*). Vid. *G. F. Seiler*, *Ueber die Beschaffenheit, Zwecke und Wirkungen der bewunderniswürdigen Thaten Jesu*, *pag.* 7-37. quem librum post beati viri obitum edidit *J. G. Rosenmullerus*, Lipsi. 1810. Vid. et *G. A. Teller*, *Excursus* III^tius ad *T. Burnetii* librum *de fide et officiis Christianorum.*

(*r*). Cave credas, Eberhardum primum hac argumentatione usum esse, aut quicquam ab eo esse allatum, quod non et melius et saepius jam ab aliis sit dictum. Vid. *Rousseavius l. c. p.* 68. sq. *Eckermanni Theol. Beytr. Tom.* V. *Part.* II. *p.* 14. sqq.

(*s*).

(s). Exemplo esse potest *Luc.* XXIII. 8, 9. Propterea Herodis spem videndi miraculi Servator non explevit, quoniam Herodes illud accepturus fuisset, ut inane sensuum oblectamentum, non ut argumentum veritatis doctrinae: quod quantopere et a Jesu Christi persona et a miraculorum consilio abhorreret, facile intelligitur. Vid. *Origen. contr. Cels. L.* I. *p.* 30, 53. sq. ed. *Spenc. Leyss. Ueb. die Relig.* II. *p.* 178. sqq. Pag. 87.

(t). *Matth.* XII. 39, 40. Σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ (γενεᾷ), εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. Quandoquidem quisque intelligit hoc loco valde labefactari sententiam Eberhardi, mirum videri non debet, si Auctor haec verba alto silentio praeteriit. Cum autem in loco Lucae (Cap. XI. 29.) parallelo mentio quidem fiat *Signi Jonae*, nec tamen Servatoris explicatio adjungatur, hunc locum Lucae Eberhardus arripit, atque contendit signum Jonae nihil aliud esse, quam *munus Praeconis*, quo Jonas apud Ninivenses functus sit. Quis autem non videt, Eberhardum, cupiditate abreptum, migrare illam legem, quam sanxit Servatus Populusque interpretum, locum breviorem ad sensum copiosioris et longioris esse explicandum? Quamquam praeiverat jam *Rousseavius*; vid. *Kleuker, l. c. Tom.* I. *p.* 364. conf. etiam *Bellermann*, in libro: *der Theologe*, *Tom.* II. *p.* 78. sqq. *Eckermannus* quoque in *Theol. Beytr. Tom.* V. *P.* II. *p.* 26. sqq. et *Paulus* in *N. Theol. Journ.* 1797. *p.* 396. et in *Philologisch krit. Kommentar. ad locum Matth. laud.* eodem, quo Eberhardus, modo locum interpretantur. Hi vero cum vs. 40. suae sententiae obesse intelligerent, quamvis nulla Codicum auctoritate adjuti, tamen illud comma germanum esse, negant, egregie refutati ab Auctore libri: *Kritik des Kommentars von Paulus*, *p.* 77. sqq. et a *Storrio* in *Flattii Magaz. Part.* IV. *p.* 191. sqq. Conf. *F. V. Reinhardi Diss. de Christo suam diu vivaret resurrectionem praedicente.* In *Commentatt. Theoll. Veltheus.* cet. *Vol.* III. *p.* 5.

(u). In *Flattii Mag. P.* IV. *p.* 203. sq. Conf. etiam *Grot.* ad locum Joann. laud. et *Storrii Diss.* I. in *L. H. N. T. p.* 83. sq. Pag. 88.

(w). Vid. *G. T. Zachariae*, *Paraphrast. Erklär. der Briefe Pauli*, *Tom.* I. *p.* 177. sqq.

(w). Conf. *A. Christianense*, *Spec. Hermeneut-Theol.* Praef. *J. Heringa*, V. C. *p.* 77. sqq. Pag. 89.

(x). Ἐπειδὴ καὶ Ἰουδαῖοι σημεῖα αἰτοῦσι, καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν.

(y). Ceterum, qui copiosius de iis locis, quibus Servator miracula patentes reprehendit, videre velit, adeat Auctorem libri: *The truth of the Christian religion vindicated from the objections of unbelievers, particularly of Mr. J. J. Rous-*

Rouſſeau, *p.* 183. ſq. *Kleuker*, *l. c.* 364. *Leſſ. ueber die Rel.* **Tom. II.** *p.* 421. ſqq. Inprimis *Storr: Hat Jeſus ſeine Wunder für einen Beweis ſeiner Göttlichen Sendung erklärt?* In *Flattii Magaz.* IV. *p.* 188. ſqq.

(*z*). Vid. *Weſt.* ad *h. l.* et *Storrius*, *l. c.* 232. ſqq.

(*a*). *Storrius*, *l. c. p.* 226. ſqq.

(*b*). Vid. *Schleusneri Lexic. v.* δύναμις. et *G. Heſſelinkii*, V. C. *Woordenb. v. Krachten.*

(*c*). *Doederl. Inſtitut. Theol. Tom.* II. *p.* 236. ſqq. ed. 3. *J. A. Noeſſelti Diſp. ad Rom.* XIV. 17. in *Opp. ad interpr. S. S. pertinentibus*, *Fascic.* II. *p.* 112. ſqq. *Knapp. Opusce. p.* 210. ſqq.

(*d*). Vocem ἔργα in hoc Cap. *miracula* ſignificare, oſtenditur in *Flattii Magaz. Part.* II. *p.* 80. ſqq. IV. *p.* 210. ſqq.

(*e*). *Storrius*, *l. c.* 229. ſqq.

Pag. 90. (*f*) Ut *Eckermannus*, *Theol. Beytr. Tom.* V. *P.* II. *p.* 88. Qui quidem horum locorum perſpicuitate adeo commotus est, ut, cum efficere vellet, Jeſum *nihil* tribuiſſe miraculis, ſtatuere coactus ſit, *haec loca (pleraque) non eſſe germana!* Quam ſententiam refutare operae pretium duxit *Storrius*, *l. c. p.* 234. ſqq.

(*g*). Loca, quae attulimus, praeter *Storrium l. c.* a perverſa interpretatione vindicavit *M. Weber*, Progr. *de conſilio, quod Jeſus ſe in miraculis ſpectaſſe ipſe profeſſus est. Viteb.* 1802. Conf. etiam *J. H. Regenbogen*, *V. C. Verdeed. van den Geopenb. Godsd. Tom.* I. *p.* 122. inprimis *Möller*, *over het bew. uit de Wonderw. p.* 107. ſqq.

(*h*). Vid. *H. G. Tzſchirner*, *Geſch. der Apologet. Tom.* I. *p.* 55.

(*i*). *Doederl. Inſtit. Theol. Tom.* I. *pag.* 31.

(*k*). Vocem δυνάμεως ſaepius in N. F. ſignificare *facultatem efficiendi miracula*, ſatis conſtat, vid. *Act.* VI. 8. Ceterum quisque intelligit, parum referre ad miraculi magnitudinem, utrum illi κατάδυν. ὑπο τ. διαβ. ſint morbo aliquo correpti, an ii, qui vulgo habeantur.

(*l*). Ita locum esſe interpretandum intelliges, ſi cum *Griesbachio* voculam καὶ, quae in vulgari editione legitur, ſumma Codicum Verſionumque auctoritate omiſeris. Verbum autem μαρτυρεῖν hic *confirmandi* notione esſe ſumendum, probavit *P. Abreſchius*, *Paraphr. Ep. ad Hebr. Spec.* III. *p.* 284.

(*m*). Εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, ita, ut fecimus, interpretandum esſe, docet Paulina ſcribendi conſuetudo, vid. *Rom.* I. 5. XVI. 26. 2 *Cor.* VII. 15. X. 5. Vid. *Koppii* animadv. ad *Rom.* I. 5. XV. 18. et *J. Crellius* ad *vs.* 18, 19.

(*n*). Vix eget animadverſione, hoc loco tantummodo quaeri, *quantum Jeſus ejusque Apostoli miraculis tribuerint*, non item, *quanta in ipſis miraculis inſit*

pro-

probandi veri vis: qua de re videndi ſunt, qui miraculorum patrocinium aut ſusceperunt, aut ea impugnarunt, quos omnes enumerare, infinitum ſit.

(*o*). *Storr*, *Ueber den Geist des Christenth.* in *Flattii Magaz. P.* I. *p.* 155. *Sehen die Schwachen etwa gar nach einer bibliſchen Stelle, ſo wird zur Vorſorge Joh.* VII. 17. *angeführt.* Pag. 91.

(*p*). Ita locum interpretatur Anonymus in *Bydragen tot bevord. van Waarh. en Godsvr. Tom.* II. *P.* III. *p.* 129. ſqq. *Storrius* quoque l. l. *p.* 107. ſqq. demonſtravit, quam parum univerſae orationis ſeriei conſentaneus ſit ille ſenſus, quem Eberhardus aliique huic Joannis loco tribuunt. Ceterum Graecorum γινώσκειν et Latinorum *cognoscere* et *cognitio* hanc ſaepius *inquirendi* vim habere, conſtat: vid. *Fragmenta Euripidis p.* 581. ed. *Musgravii*, et interdum apud *Demosthenem*, ſi recte memini. *Cic. in Verr.* II. 31, 37. *Liv.* I. 50.

(*q*). *Storr.* in *Flattii Magaz. P.* IV. *p.* 203.

(*r*). *Leſ. Ueber die Rel. Tom.* II. *p.* 180. ſq. *Reinhardi Opuscc. Theoll. Tom.* I. *p.* 184. ſqq.

(*s*). Vid. *C. C. Flatt*, *Philoſ. und histor-exeget. Bemerk. über die Wunder Christi*, in *J. F. Flattii Mag. P.* III. *p.* 33.

(*t*). *C. C. Flatt*, *l. c. p.* 24. ſqq. Pag. 92.

(*u*). Vid. *C. Rogge* ceterique viri doctiſſimi in *Opp. Soc. Teyler. Theol. Tom.* XV. *Nitzſchii* Progr. *Quantum Christus miraculis tribuerit*, *Viteb.* 1796. Ceterum de vi *argumenti interni*, quod dicitur, infinitum ſit omnia commemorare, quae docti homines, hoc praeſertim tempore, disputaverint: brevem hujus disputationis veluti historiam exhibet Auctor libri: *die Aufhellungen der neueren Gottesgel. Tom.* I. *p.* 585. ſqq.

(*v*). *Pag.* 168. *Von dieſer richtigen Schätzung des Werthes der Wunder wichen die Kirchenlehrer ab, ſobald ſie mit der aberglaübiſchen Philoſophie ihrer Zeiten bekannt wurden. Sie begannen den Wundern eine Beglaubigungskraft beyzulegen, aber doch nur für die Schwachen am Verſtande; die Gelehrten ſollte die Lehre, auch ohne Wunder, durch ſich ſelbst überzeugen. Dieſe Meinung gründen ſie auf eine Theorie über die Geisterwelt, die ſo willkührlich und ungereimt is, dasz ſie ſich ihr Urtheil der Verwerfung ſelbst ſpricht. Sie legen den Dämonen, die ſie in gute und böſe eintheilen, die Macht bey, Wunder zu thun.*

(*w*). *Justin. Mart. Apolog.* I. *pag.* 48. ed. *Thirlbii.* ὅπως δὲ μή τις ἀντιθεὶς ἡμῖν, τί κωλύει καὶ τὸν παρ' ἡμῖν λεγόμενον Χριστὸν, ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων ὄντα, μαγικῇ τέχνῃ ἃς λέγομεν δυνάμεις πεποιηκέναι, καὶ δόξαι διὰ τοῦτο υἱὸν Θεοῦ εἶναι, τὴν ἀπόδειξιν ἤδη ποιησόμεθα, οὐ τοῖς λέγουσι πιστεύοντες, ἀλλὰ τοῖς προφητεύουσι πρὶν Pag. 93.

ἢ γενέσθαι, κατ' ἀνάγκην πειθόμενοι, διὰ τὸ καὶ ὄψει ὡς προεφητεύθη ὁρᾶν γενόμενα καὶ γινόμενα, ἥπερ μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις καὶ ὑμῖν, ὡς νομίζομεν, φανήσεται. *Irenaeus*, *Lib.* II. *Cap.* 57. Εἰ δὲ καὶ τὸν Κύριον φαντασιωδῶς τὰ τοιαῦτα πεποιηκέναι φήσουσιν, ἐπὶ τὰ προφητικὰ ἀνάγοντες αὐτοὺς, ἐξ αὐτῶν ἐπιδείξομεν, πάντα οὕτως περὶ αὐτοῦ καὶ προειρῆσθαι, καὶ γεγονέναι βεβαίως, καὶ αὐτὸν μόνον εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. *Lactant.* V. 3. *Disce igitur, si quid tibi cordis est, non idcirco a nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit; sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quae nobis annunciata sunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putasſemus, ut et vos nunc putatis, et Judaei tunc putaverunt, si non illa ipsa facturum Christum prophetae omnes uno spiritu praedixissent.*

Pag. 93. (*x*). Apologiae *Quadrati* exſtat fragmentum apud *Euſeb. H. E. Lib.* IV. *Cap.* III. *p.* 94. ed. *Vales.* quo ita fit miraculorum Jeſu mentio, ut appareat, *Quadratum* ea Magorum prodigiis opponere, ut quae vix inter ſe ſint comparanda: τοῦ δὲ Σωτῆρος ἡμῶν τὰ ἔργα ἀεὶ παρῆν· ἀληθῆ γὰρ ἦν. οἱ δὲ θεραπευθέντες, οἱ ἀναστάντες ἐκ νεκρῶν, οἳ οὐκ ὤφθησαν μόνον θεραπευόμενοι, καὶ ἀνιστάμενοι, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ παρόντες, cet. *Justinus Mart.* cum multa Jeſu miracula enumerasſet, reprehendit Judaeos, *Dial. p.* 288. *Thirlb.* ὅτι ταῦτα ὁρῶντες γινόμενα, φαντασίαν μαγικὴν γίνεσθαι ἔλεγον, καὶ γὰρ μάγον εἶναι αὐτὸν ἐτόλμων λέγειν, καὶ λαοπλάνον. conf. *Apolog.* I. *p.* 20. *Tertullian. Apologet. Cap.* XXI. *p.* 57. ed. *Seml. Quem* (Judaei) *ſolum hominem modo praeſumſerant de humilitate, ſequebatur uti Magum aeſtimarent de potestate, cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos reluminaret*, cet. Vix autem eget animadverſione, Magorum miracula eadem eſſe, quae Daemonum, cum hi *per illos* ea ederent. Erant enim duo *Magiae* genera, θεουργία, quae *bonos*, γοητεία, quae *malos* Daemones habebat Auctores, cujusque *Celſus* Jeſum accuſavit. Vide de utraque *Magia Ledermulleri Diſſ. De Theurgia et virtutibus Theurgicis.* 1763. *Moshemius* ad *Verſ. German. Origen. contr. Celſ. pag.* 25. ſq. *Zimmermanni Opuscc. Theol. Tom.* I. *p.* 104. ſq. *Kurt Sprengel*, *Geſch. der Arzneikunde*, II. *pag.* 185. ſq. *J. Webſter*, *Onderz. van Tooveryën*, *Cap.* XVII. §. 3.

(*y*). Eas notas collegit *Tzſchirner*, *Geſch. der Apolog. Tom.* I. *p.* 152. ſqq.

(*z*). *Argumentum* religionis *internum*, quod appellatur, in duas partes Patres distribuebant, quarum altera complectebatur *ipſius doctrinae praeſtantiam*, altera *ſalubrem ejus vim et efficacitatem ad emendandos hominum mores, Christianorum exemplo perſpicuam.* Utramque partem cum miraculis conjungebant, ut quivis intelliget, qui quidem haec loca inter ſe conferre velit: *Tertullian. Apologet. Cap.* XXI. *p.* 57. *Cap.* XLV. *p.* 105, 106. *Seml. Origen. contr. Celſ. Lib.* I. *p.* 5, 23, 24. *Spenc. Arnob. adv. Gent. Lib.* I. *Cap.* VI. XXXVIII. XXXIX. XLII.

XLII. ſqq. Plura congerere nihil attinet. Ceterum Eberhardus hic laudat locum ſatis longum *Augustini de Civ. Dei*, *Lib.* X. *Cap.* XVI. quem, dubium est, utrum attulerit eo consilio, ut demonſtraret, *Patres ſuperſtitioſae philoſophiae placitis in eam esſe ſententiam adductos, ut in miraculis veritatis argumentum ponerent*, an vero, ut efficeret, *eos indoctis tantum miraculorum auctoritatem adhibuisſe, ad doctos vero movendos, una uſos fuisſe religionis praeſtantia, ut firmisſimo veritatis indicio.* Utrumcunque ſpectaverit, falſus est. Nam ad *prius*, quod diximus, consilium quod attinet: tantum abest, ut *Augustini* locus Eberhardi cauſam adjuvet, ut eam potius vehementer labefactet, cum in hoc ipſo *Capite* Daemonum praeſtigias Pater *contemnat*, neque cum Christianorum miraculis comparandas esſe, doceat: *Haec ergo*, inquit, *atque alia hujuscemodi nequaquam illis, quae in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt: quanto minus ea, quae illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata ſunt prohibenda atque plectenda, magica ſcilicet vel theurgica. Quaedam vero, etſi nonnullis piorum factis videantur opere coaequari, finis ipſe, quo discernuntur, incomparabiliter haec nostra ostendit excellere.* Haec cur Eberhardus non verterit, intelligo; quomodo, iis lectis, permanere in ſententia potuerit, non intelligo. Si vero Auctor hoc loco laudando *alterum*, quod commemoravimus, consilium ſpectavit, irrito quoque conatu rem ſuscepit. Huc enim *Augustini* ſententia redit: *Si alii Angeli divinum ſibi honorem arrogarent, atque ad eam rem hominibus perſuadendam, miracula efficerent: alii vero unum tantum Deum esſe colendum docerent: his major esſet, quam illis, fides habenda, etiamſi hi miracula efficiendi facultate esſent destituti.* Dicit igitur *ratione* esſe judicandam doctrinae indolem: ſi doctrina *falſa* ſit aut *impia*, non esſe curanda miracula. Atqui haec Augustini ſententia eadem prorſus est, quam ſupra probavimus, miracula nihili esſe, niſi cum *ſalubri doctrina* conjuncta. Cum autem uni rationi hoc juris *Augustinus* concedat, ut judicet, doctrinam falſam et impiam *non esſe divinam:* huicne conſequens est, miracula ex *Augustini* ſententia non magnam vim habere ad judicandam *doctrinae alicujus ſalubris* divinam auctoritatem? Cumque porro dicat, esſe *infirmos pios*, qui *corporis ſenſus mentis auctoritati praeponerent*, quique prodigiis facile adduci posſent, ut *falſam* religionem probarent, adeoque Deum ſapientisſime religionem Christianam *majoribus* etiam *miraculis*, quam a Daemonibus edi posſent, munivisſe; quid, quaeſo, hoc aliud ſignificat, niſi, omne errandi periculum tantum ad *infirmos*, non vero ad *doctos* pertinere, quippe apud quos nihil valeant miracula, quae *falſae* doctrinae commendationi inſerviant? Quis autem non videt, haec minime ita esſe interpretanda, quaſi *Augustinus* dicat, mira-

cula, quibus *praeſtantiſſima* Chriſti doctrina munita ſit, in uſum *infirmorum* tantum eſſe effecta, doctos vero in *una* religionis excellentia divinae auctoritatis argumentum ponere? Ut verbo dicam: *falſae* doctrinae *argumentum*, judice *Auguſtino*, *doctis* ſatis est ad judicandum, eam doctrinam *non eſſe divinam*; *infirmis* non ſatis est, quippe qui prodigiis facile ſe decipi patiantur. Minime autem, ut diximus, hinc ſequitur, *ſalubris* quoque *doctrinae* argumentum doctis ſufficere ad judicandum, divinam huic doctrinae auctoritatem eſſe tribuendam. Sed ſatis de *Auguſtino*. Ceterum digna est, quae conferatur, animadverſio viri venerandi et eruditiſſimi, *W. de Vos*, in *Opp. Soc. Teyl. Theol. Tom.* XV. p. 463.

(*a*). Ita rurſus, more ſuo, hanc quaeſtionem tractare incipit, ut oraculum quoddam ſapientiae editurus videatur. *Das iſt die zarte, empfindliche und ſchmerzhafte Stelle in dieſer Unterſuchung, die man gern nichs berühren möchte, und die man doch nicht ganz unberührt laſſen kann, wenn man zu einer völliger Beruhigung gelangen will. — Ich glaube indeſz, daſz die Wahrhaftigkeit der Geſchichtſchreiber nicht ſo ſchwer zu retten ſey, wenn man den Muth hat, ſich über ſeine Zeiten und ihre Denkungsart zu erheben, und ſich in die Zeiten und die Denkungsart der Vorwelt zu verſetzen.* Hoc autem loco aliquid monendum est, quod ad intelligentiam Eberhardianae disputationis pertineat. Nimirum Auctor ſumit, rem jam a ſe esſe confectam, atque Jeſum nulla miracula edidiſſe. Quod cum ita ſit, inquit, quaeritur, quomodo tuenda ſit fides historica Euangeliſtarum? De hac igitur fide dum ſollicitus vult videri, dumque eam rem, tamquam *primariam*, tractat, *obiter* tantum, et *nullo argumento*, ea adſpergit, quibus intelligi potest, quid de his miraculorum narrationibus ſentiat. Itaque, ut hoc utar, non *diſerte* dicit, nedum rationibus *probat*, Jeſum in ſanandis aegrotantibus remedia adhibuiſſe; ſed *oblique* tantum hoc ſignificat, atque ita fere disputat: *quandoquidem homines morborum per naturales medelas curationes pro miraculis habebant, quis tandem eos doloſe agere, dixerit, ſi miracula a Jeſu edita eſſe, narrant.* Nolim hanc disputandi rationem Eberhardi calliditati tribuere, ſed tamen habet ea calliditatis ſpeciem. Cum enim Auctor fidem historicam conſideret, ut *cauſam primariam*, quae tuenda ſit, evitat neceſſitatem, ſuam de miraculis ſententiam argumentis confirmandi. Si enim quaeritur, *quomodo tuenda ſit alicujus historici fides, ſi aliquid accidiſſe narret, quod non accidiſſe conſtet?* ad eam defendendam ſufficit aliquid *ſumere*, v. c. eum fortaſſe hanc rem rumore tantum accepiſſe; nec tamen neceſſe est hanc ſumtionem argumentis ſtabilire. Non enim quaeritur, *an argumentis nitatur ſumtio?* ſed, *an non aliquid excogitari poſſit, quo fraudis et mendacii culpa ab historico pellatur?* Haec est primaria quaestio. Atque ita quoque rem ſuam egit

egit Eberhardus. Unam Euangelistarum fidem historicam curans, *sumit nullo argumento*, Jesum remediis usum esse, Euangelistas ex rumoribus pependisse, cet. Quamobrem si accommodate ad Eberhardi orationem disputare vellemus, possemus has sumtiones tacitas praeterire, cum hoc unum nobis demonstrandum esset, *fidem Euangelistarum defendi non posse, si Jesus in morborum curationibus medelas adhibuerit*, cet. Nolumus autem istam Auctoris artem (ita enim dicendum) imitari. Cum enim nobis persuasissimum sit, Auctorem non adeo sollicitum fuisse de fide Euangelistarum historica, quam potius hoc praetextu usum fuisse, ut ipsi opportunitas esset, sententiam suam de miraculis, quam argumentis confirmare non posset, sine argumentis obiter significandi; utrumque agemus, ut et Eberhardi *sumtiones*, (ita enim appellanda est brevis, nullo argumento nixa, disputatio, qualis est Auctoris) accuratius tractemus, tamquam causam, ut nobis quidem videtur, *primariam;* et, sicubi opus fuerit, efficiamus, si vera sint, quae Auctor sumat, fidem Euangelistarum prorsus esse conclamatam. Quamquam hac re supersedere fortasse possemus.

(*b*). Eberhardum, more suo, nihil novi attulisse, vix indiget admonitione. Pag. 94.
Vid. *Th. Morgan*, *Moral Philosopher*, *Vol.* II. *p.* 38.

(*c*). Videndus de hac re *Kurt Sprengel*, *Gesch. der Arzneik.*, *Tom.* II.

(*d*). Ita v. c. sauciatum Menelaum a Machaone sanatum narrat, *Iliad.* IV. Pag. 95.
vs. 213. sqq.

Αὐτίκα δ' ἐκ ζωστῆρος ἀρηρότος εἵλκεν ὀϊστόν.
Τοῦ δ' ἐξελκομένοιο, πάλιν ἄγεν ὀξέες ὄγκοι·
Λῦσε δέ οἱ ζωστῆρα παναίολον, ἠδ' ὑπένερθε
Ζῶμά τε, καὶ μίτρην, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες.
